REFUTATIO PRAELECTIONUM THEOLOGICARUM...

Johannes Junius, Fausto Sozzini, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
20 I
1
Digitized by Google

382

Digitized by Google

Digitized by Google

~~XXVIII 6. 14~~ VII. 4. 30.
K.5.

Digitized by Google

REFUTATIO
PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM FAUSTI SOCINI SENENSIS,

PER

JOHANNEM JUNIUM Eccleſiæ Sylvæducenſis Paſtorem.

ex Libris Bibliotecæ D. D. Caroli — De Quadél epipi Monspe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELREODAMI,

Apud HENRICUM LAURENTII, Bibliopolam.

M. DC. XXXIII.

Digitized by Google

PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.

Chriſtiano & benevoli Lectori
J. J.
Salutem in Chriſto.

QVæ infirma mundo elegit Deus ut pudefaciat robuſta, ut ſcripſit Apoſtolus, prona res eſt parva magnis ſuperare: ubi paria paribus opponuntur res in ancipiti æquilibrio poſita videtur, robuſta infirmis aggredi & proſternere quo magis arduum eo etiam magis admirandum: cedit negotij difficultas in majorem & illuſtriorem authoris gloriam. Tanta Dei opt. Max. virtus eſt, ut nihil humano præſidio tam munitum aut validum, quod minimo ejus nutui poſſit obſiſtere, nihil tam puſillum & infirmum, quo maxima non poſſit Deus, ipſe dixit & facta ſunt. Buccinarum clangore Iericho cecidit: aſininâ maxilla ſuos porcuſſit hoſtes Simſom: ſuperciolioſum illum Peliſchthaum in armis enutritum puer David fundâ ſuperat. Innumera alia è ſacro verbi Dei Palladio depromi poſſent exempla, quibus hoc ipſum copioſè comprobari poſſit.

Ætas noſtra complura & egregia ejus rei documenta habet. Vnum è multis adferam: jacebat ſuperioribus ſeculis Euangelica veritas, magnâ & diuturnâ Papatus mole preſſâ: hæreſis; idololatria; ſuperſtitio; tyrannis & cæteræ quæ veritatem peſſundant, ita invaluerant. ut actum de cauſa veritatis videretur. At miſertus Deus Opt. Max. qui laborare quidem Eccleſiam ſuam ſub purpurato homine peccati, oſtro & murice ſuperbiente, mori non eſt paſſus. Sol oceano tingitur non extinguitur: Veritas divina, juſto Dei judicio tenebris merſa majorum ſeculis, nobis felicioribus nepotibus renata eſt, certantibus inter ſe admirabili Dei bonitate & potentiâ. Per quos tantæ molis opus effectum, elegit infirma mundo ut pudefaciat robuſta. Pauci & puſilli virtute ex alto induti, plus quàm herculeo auſu rem aggreſſi, ſucceſſus adfuit ad ſtuporem etiam Papatus: horum labore & ſudore ſtator & vindex hoc ſeculo veritatis ſuæ Deus: hi nobis Eccleſiam peperere ad verbum Dei Reformatam: iſtorum labores non deſtruendi, ut multis malè feriatis ingeniis mos eſt, ſed iiſdem ſuper ædificandum. Malè conſulti homines fundamenta à majoribus poſita convellunt; accepta ab iis diſplicent; damnata probant; cauſam hominis contra Dei cauſam agunt: pulsâ gratiâ naturam & arbitrium revocant, prorſus abeuntes à primis Reformatoribus,

toribus, eorum tamen veſtigiis ſe inſiſtere audire volunt ut non obſcurè indicat Smalcius in præfatione quam Prælectionibus Socini magiſtri ſui præfixit, ubi verba ejus ſunt. Quibus ſuccedentes alij pari animo, multùm à prioribus adjuti, facilius in eodem præclariſſimo opere progredi potuêre &c. *Dum diruunt ſuperſtruere videri volunt. utinam ipſi & alij in hoc opere præclaro progreſſi, pulchrius ſanè haberetur ædificium. Non virtus ſed dolus eſt quod obtenditur, quamvis longè aliter exiſtimat Smalcius, qui hoc ſcriptum Fauſti Socini tanquam ſacrum Palladium illuſtri Academiæ Heidelbergenſi recipiendum offert, muros petit ut dividant, & mœnia pandant urbis: legantur, perlegantur & legitimo examini ſubjiciantur petit: Socino ſuo ſtatuam auream ponit. D.D. Paræum Heidelbergenſis Academiæ aliquando lumen acerbius perſtringit, qui è ſtatione ſuâ ad Dominum emigravit, cum fortiſſimus ſtadiodromus pro causâ Dei & Chriſti feliciter depugnaſset. Quod ſi libuiſſet habuiſset illuſtris Academia, ſuis rebus florentibus, quod ex divite ſcientiarum gaza ad Socini lectiones repoſuiſſet; ſed dedignata fortaſſis jure merito ſarcaſticam Smalcij dedicationem, aut gravioribus curis impedita fuit, vel cum hæ Prælectiones in lucem ederentur, conſultius viſum ſilentio eas premere, quàm de*

iis refutandis multùm laborare. Verum cum indies magis ac magis repat error, & pax Eccleſiæ non niſi in acie, nec quies niſi inter media arma eſſe poſſit: quinimo cum tanta ſit adverſariorum confidentia, ut ſilentium aſſenſum interpretentur præfat. ſolut. ſcrupulorum, *æquos & candidos rerum arbitros vitio mihi non daturos ſpero, ſi pro ingenij mei modulo, in communi causâ, has Prælectiones ad amuſſim veritatis, quantum quidem Deo adjutore licebit, excutiam. Prælectiones Socini cum meo opere conjunxi, ne quid eſſet, quod genius lectoris deſiderare poſſit. Cum vidua paupercula minutum unum ante aliquot annos in Eccleſiæ gazophylacium contuli, vultu ſatis benigno acceptũ fuit à multis: alterum nunc offero, hoc unum te rogans Chriſtiane lector, quiſquis es ut eo candore & humanitate, qua alios bonos & literatos omnes ex officij Chriſtiani conſcientiâ & ratione proſequeris, me etiam quamvis minimum inter eos & infimi ſubſellij aſpicere dignêris; candido pectore ſuſcipe hunc alterum laborem: infirmiora firma; ſi quid minus rectè dictum, indictum volo, tulima judicij corrige ſi quid pingui nimis ſtilo conceptum. Cætera vale & noſtris laboribus fruere.*

EXE-

EXEQVIÆ FAUSTI SOCINI, A JOANNE JUNIO *plurimis vulneribus confoſſi.*

PLangite Poloni, veſtro mors atra minatur
Triſtia fata patri, dilacerate genas.
Vos etiam, Arminj ſemen, date ſigna doloris,
Nam moritur crebro vulnere veſter avus.
Quiſquis fonte ſacro ſolos aſpergis adultos,
Luge cauſſidici funera certa tui.
Junius inflixit modò plurima vulnera Fauſto,
Vulnera, quæ medicam non patiuntur opem.
Feſtinate viri, Socini arteria cedit,
Et nervi rupti vulnere deficiunt.
Certè obiit: detur ſpeculum vel plumula nobis,
En plumam, en ſpeculum, ſpiritus omnis abeſt.
Licet; exequias Fauſto fac Sarmata veſtro,
Cumque Anabaptiſtis Arminiana cohors,
Libertinorum ſi miſcellanea turba
Agmen contendat claudere, nemo vetat.

Ludebam

ADRIANUS JEKERMAN,

CLaſſis Harlemenſis hanc Fauſti Socini Prælectionum refutationem per D.D. Iohannem Iunium, ſuæ tum temporis diœceſios membrum, perlegit & perluſtravit, in omnibus S. Scripturis conſonam & orthodoxam reperit, ac utiliſſimum & ſolidiſſimum opus ad reprimendas gliſcentes hodie controverſias & hæreſes Socinianos, judicavit & declararit. Actum anno 1632 pridie nonas Iulias.

Quod communi nomine teſtamur,

HENRICUS GEESTERANUS,

JACOBUS ALBERTUS CAMP.

Eccleſiæ Harlemenſis Miniſtri, ad hoc negotium Deputati.

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM F. SOCINI SENENSIS

Caput I.

Primus homo etiam ante lapſum naturâ mortalis fuit.

Quod probatur ſic:

PRimò. Quia etiam ante peccatum liberis procreandis ab ipſo conditore Deo deſtinatus fuerat, Gen. 1.28. 1.
Qui autē immortales ſunt, liberos non procreant, dicente Domino *Jeſu*, eos qui futuri ſeculi, & reſurrectionis ex mortuis participes erunt, nuptias ideò non contracturos, quia ampliùs mori non poterunt. Luc. 20. verſ. 35. 36.

Secundò. Quia jam eſcis utebatur & cibo, 2.
Gen. 1. 29. Ubi autem immortalitas eſt, ibi eſcis ciboque non eſt locus. Id verò apertè oſtendunt Pauli Apoſtoli verba, cum ait, *Eſca ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet,* 1. Cor. 6. 13. Nam quando id fiet? nempe cum moriemur, idque in perpetuum ſic erit: quamvis corpus ſuſcitandum ſit, ut ibidē Apoſtolus teſtatur, ſuſcitandum, inquam, ad

incorruptionem & immortalitatem, ut idem alibi affirmat, cum qua nec ventrem neque eſcas aliquid commune habere poſſe, optimè noverat Paulus.

3. *Tertiò*. Primus homo etiam ante peccatum corpus animale habuit, igitur & mortale. Probatur utrumq; ex Pauli verbis 1. Cor. 15. ubi verſ. 44. corpus animale illud vocat, quod priùs vile, corruptibile, & mortale appellaverat, idq́; à ſpirituali planè ſecernit, quod idem eſt, ut ex antecedentibus patet, quod glorioſum, incorruptum, & immortale. Verſu autem 45. ait, primum Adamum factum fuiſſe in animam viventem, ut inde probet, eum habuiſſe corpus animale. Adamus verò non modò antequàm peccaret, ſed in ipſa creatione factus eſt in animam viventem, Gen. 2. 7.

4 *Quartò*. Primus homo, antequàm peccaret, jam erat terrenus; nempe, quia è terra formatus fuerat: Sed nos in eo quod morimur & corrumpimur, imaginem primi hominis, quatenus terrenus erat, portamus: Ergò primus homo, quatenus terrenus fuit, mortalis cenſendus eſt, & ſic etiam antequam peccaret. Hæc ex Paulo apertè colliguntur 1. Cor. 15.47. & deinceps, junctis iis, quæ ante ab ipſo diſputata fuerant. Ex prædictis intelligi poteſt, cum ſcriptum eſt à Paulo, per peccatum mortem ingreſſam eſſe in mundum, non de naturali mortalitate eum loqui, ſed de ipſa morte, ut verba ſonant, deq́; moriendi neceſſitate. Poterat enim Adamus, ſi non peccâſſet, quamvis natura mortalis, à morte Dei beneficio conſerva-

ſervari; vel ſi mortuus fuiſſet, in vitam aliquādo revocari, atque immortalis fieri. Hæc & ſibi & poſteris ſuis peccato ſuo quodammodò invidit. Itaq; niſi novus Dei favor nobis adſit, neceſſe eſt omninò, ut omnes moriamur, & in ipſa morte maneamus. Neque enim is aut neceſſariò aut verè moritur, qui aliquando in vitam revocandus eſt, ſed dormit potiùs ac quieſcit. Peccatum igitur non mortalitatis naturalis, ſed neceſſariæ mortis cauſa fuit. Nec aliter intelligi debet comminatio illa, *In quacunq́; die comederis ex ea, moriendo morieris &c.* Gen. 2. 17. Nam ſi peccatum (& hoc *quinta*
rationis loco eſſe poteſt) mortalitatem natura- 5.
lem homini attuliſſet, Ieſus Chriſtus qui peccatum abſtulit, ejuſque propriam vim omnem ac pœnas illi propriè conſtitutas delevit, mortalitatem quoque naturalem abſtuliſſet ac deleviſſet: quod tamen non fecit. Cui adde, quod cùm primus homo Diaboli operâ peccaverit, quidquid ex peccato illo verè profectum eſt, opus Diaboli cenſeri debet. Atqui Dei filius apparuit, ut diſſolveret opera Diaboli, 1. Joh. 3. 8. Igitur, ſi ex peccato illo mortalitas naturalis reverâ profecta eſſet, eam quoque Dei filius ſolviſſet.

Sexto loco, ex eo conſtare ſatis poteſt, pri- 6.
mum hominem, antequàm peccaret, jam mortalem naturâ fuiſſe, non autem immortalem, quòd, exceptâ arbore ſcientiæ boni & mali, ex omnibus Paradyſi arboribus ut comederet, ab initio dixerat illi Deus, Gen. 2. 17. inter quas arbores vitę arbor erat, in ipſo Paradyſi medio

conſita, Geneſ. 2. 9. Quid enim opus fuiſſet propter eum, qui naturâ immortalis jam eſſet, vitæ arborem conſerere, eique ad comedendum tradere? &c.

7. *Septimò* ac poſtremò. Cùm omnes cauſę efficientes mortalitatis noſtræ naturalis, ſive in nobis ſive extra nos ſint, jam antequàm primus homo peccaret exiſterent, nõ minùs quàm poſteà; neceſſe eſt, ut ipſe etiam effectus mortalitatis naturalis, non minùs anteà quàm poſteà extiterit. Quod verò cauſæ iſtæ omnes jam exiſterent, unuſquiſque per ſe ſatis intelligere poteſt. Multa alia dici potuiſſent: ſed hæc ſatis ſuperque veritatis amatoribus eſſe debent.

REFUTATIO PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM F. SOCINI SEN:

CAP. I.

Primum hominem etiam ante lapſum naturâ mortalem fuiſſe.

UT diſputatio de hoc propoſito Themate tantò rectiùs procedat ſtatus controverſiæ ante omnia formandus, ut clarè appareat, in quo Socinus, in dogmate ſuo de mortalitate primi hominis, à communi ſententia diſſideat. Mortalis itaq; ambiguè dicitur, ac

ac propterea vocis πολυσημία tollenda. Primò ſimpliciter & abſolutè Deus ſolus in gradu eminentiæ & perfectionis incorruptibilis & immortalis, tum reſpectu eſſentiæ intrinſecę, per quam eſt, quod eſt, tum reſpectu omnis cauſę extrinſecæ. Secundò quædam ſunt immortalia ratione eſſentiæ ſuæ intrinſecæ, ut intelligentiæ & animæ rationales, quæ tamen, ſi efficientiam poſſibilem cauſę extrinſecæ, hoc eſt potentiæ divinæ ſpectes, mori & annihilari poſſunt, etſi Deo ſic volente nunquam ſint moriturx. Tertiò immortale id dicimus, quod etſi ratione principiorum, ex quibus conſiſtit, & qualitatum illi adhęrentium in ſe habet moriendi poſſibilitatem, ſimul etiam adjunctam ſibi habet potentiam non moriendi, & ab actuali morte ex Dei beneficio certiſſimam immunitatem, peccato non interveniente, quo tertio modo primum hominem ante lapſum natum immortalem fuiſſe contra Socinum aſſeritur. Primus ergo homo ante lapſum in tali conditione & ſtatu erat, ut ſi in ſtatu integritatis perſtitiſſet, moriturus non fuiſſet. Socinus verò primum hominē ita ante lapſum, naturâ mortalem fuiſſe autumat, ut ex vi naturali illius cōditionis, actus ipſe mortis, primo homini dubij & incerti eventûs eſſet. Ex vi naturalis hujus mortalitatis, in qua primus homo ante lapſum fuit, fideles actu mori ait lib. 3. de Servatore cap. 8. ubi verba ejus ſunt: *Mors naturalis, quatenus naturalis eſt, & omnibus communis, non eſt peccati ſtipendium, ſed naturæ noſtræ, quam ipſemet Adamus, in ipſa creatione accepit,*

Variaſignificatio.

propria ſequela. Peccati autem ſtipendium eſt moriendi neceſſitas & mors æterna, id vel ex eo patet, quod Chriſtus nos, qui illi ſidem habemus, ab omni prorſus peccato, id eſt peccati pœna & reatu liberavit; & tamen naturalem mortem non ademit: ſed æternam duntaxat & moriendi neceſſitatem. De æterna morte non eſt quod ambigas; de moriendi neceſſitate, admonere nos poſſunt ij ex nobis, quos vivos offendet poſtremus Chriſti adventus, qui mortem non guſtabunt, idem enim judicium faciendum eſt de omnibus, quod de paucis illis. Nam ſi moriendi neceſſitatem Chriſtus non ſuſtuliſſet, ne illi quidem pauci mortem effugere poſſent. Moriuntur igitur cæteri fideles, non quia propter peccatum eos mori neceſſe ſit, cum peccati reatus penitus ſublatus fuerit: ſed propter mortalitatem, quæ etiam ante peccatum, & ſine peccato, homini utpote corpus animale habenti, & ex terra ab ipſo initio formato, naturalis erat. Similia leguntur inſtit. relig. Chriſtian. pag. 5. in reſponſ. ad defenſ. Puccij. cap. 6. pag. 194. cathechiſ. Racov. titulo de via ſalutis cap. 1. de cauſis pateſaciendæ ſalutis viæ.

Sectio 1. Hiſce ſic præmiſſis accedimus ad adverſarij argumenta, quæ ſeptem numero ab eo afferuntur. Primum argumentum ſic proponit. *Quia etiam ante peccatum, liberis procreandis ab ipſo conditore Deo deſtinatus fuerat Gen. 1.28. Qui autem immortales ſunt, liberos non procreant, dicente Domino Jeſu, eos, qui futuri ſeculi & reſurrectionis ex mortuis participes erunt, nuptias ideo non contracturos, quia amplius mori non poterunt Luc. 20. 35. 36.* Argumentum paucis contractum in formam ſyllogiſmi ſic habet,

Immor-

Immortales procreationi non deſtinanturLuc. 20. primus homo procreationi deſtinatur, primus ig. homo non immortalis. Verùm in majore adverſarij latet æquivocationis fallacia. Immortale eſt vel id quod internâ ſui conſtitutione mortis incapax eſt, vel id quod quamvis non tale exDei munere tamen certam habet ab actuali morte libertatem; qui modò priori immortales ſunt, procreationi non deſtinantur, de ſic verò immortalibus verba facit Chriſtus: qui modo poſteriori ſunt immortales, procreationi deſtinari, nihil prohibet, hoc poſteriori autem modo, primus homo immortalis erat, non priori: at qui primi hominis ante lapſum immortalitatem aſſerunt, nequaquam volûnt eandem eſſe illam cum ea, quam beatorum corpora, per reſurrectionem à mortuis conſequentur. Deinde dico Chriſtum in verbis iſtis apud Lucam non agere de libertate à potentia moriendi per ſe nudè ſumta, verùm etiam de libertate ab actu ipſo moriendi; docet enim in futuro illo ævo conjugio non fore locum, quia morti ibi locus non erit, in reſurrectione mortuorum non ducturos uxores homines, quia ampliùs mori non poterunt; quæ verba apertè ſuggerunt filios hujus ſeculi uxores ducere, quia mortales ſunt & moriuntur; qui ergo potentiam non habent moriendi ut moriantur actu, ex ſententia Chriſti procreandis liberis non deſtinantur. Dices, ergo aut moriturus primus homo etiam citra peccatum; aut ſi non moriturus, liberis procreandis deſtinatus non fuit. At occurritur hanc cauſam Chriſti,

non eſſe cauſam conjugij adæquatam, neque ad omnia omnino tempora extendendam: tam quidem à multis retro ſeculis, cauſa propter quam reſuſcitandi aliquando, procreandis liberis deſtinantur eſt mortalitas, ita ut ceſſante hac mortalitate, conjugium ipſum ceſſaturum ſit, ſed ex eo non ſequitur, nullas alias unquam iſtius divinæ ordinationis cauſas fuiſſe, certè fuerunt, nam in ipſis mundi incunabulis deſtinatus homo liberis procreandis, quia Deus homines procreatione multiplicari volebat Gen. 1. v. 28. & ex uno ſanguine totam hominum gentem facere Act. 17. 26. deinde ſententia Chriſti de reſuſcitatis nuptias non contracturis, quia ampliùs mori non poterunt, adverſarij ſententiam non juvat; nam in Chriſti ſententia mors & conjugium conjunguntur, in Socini autem mortalitas & conjugium ſolummodò, nec ex inſtitutione conjugij actualem mortem colligi vult adverſarius: in dicto verò Chriſti nullum mortalitati cum conjugio conſortium niſi per intermediam mortem actualem: quapropter hoc dictum Chriſti ad ſtatum primævum non eſt extendendum, aut ſi eo etiam referendum putat Socinus, ipſum etiam actuale mori ex eo inferendum fuit, quod primus homo liberis procreandis deſtinatus fuit. Etenim ſi homo mortalis creatus, liber tamen à morte, procreatione liberorum non indiguit ad ſui durationem, & ſi liberorum procreatio deſtinata in remedium ſuperventurę mortis, non incerta ſed certa fuit in ſtatu innocentiæ mortis exſpectatio. Pręterea dici poteſt, cauſam

ſam iſtam ob quam, conjugij inſtitutione & liberorum procreatione adverſùs mortem proſpexit Deus, etiam in primo homine ante lapſum locum habuiſſe. Mors cauſa conjugij, quia homines permanere prohibet, ut loquitur Apoſtolus ad Heb. 7. v. 23, mutatio autem & tranſlatio primi hominis in cœleſtem & beatam vitam, prohibuiſſet etiam homines permanere, primus enim homo ſi in integritate perſtitiſſet æternam vitam conſecutus fuiſſet, quod in proceſſu diſputationis, Deo volente, demonſtrabitur; ratio ergo propter quã mors conjugij medium poſtulavit, ante lapſum etiam locum habuit.

Sect. 2. Secundum argumentum adverſarij eſt, quia jam eſcis utebantur & cibo Gen. 1. v. 29. *Ubi autem immortalitas eſt, ibi eſcis ciboque, non eſt locus. Id verò apertè oſtendunt Pauli Apoſtoli verba, cũ ait eſcæ ventri, & venter eſcis: Deus autem & hunc & has deſtruet* 1. *Cor.* 6. 13. *Nam quando id fiet? nempe cum moriemur, idq; in perpetuum ſic erit: quamvis corpus ſuſcitandum ſit, ut ibidem Apoſtolus teſtatur, ſuſcitandum inquam, ad incorruptionem & immortalitatem, ut idem alibi affirmat, cum qua nec ventrem, neq; eſcas aliquid commune habere poſſe, optimè noverat Paulus.* Hoc argumentum adverſarij laborat æquivocâ ſignificatione mortalitatis & immortalitatis; uſus cibi locum non habet in immortalitate corporum ſuſcitandorum; nullum propterea immortalitatis modum eſſe ubi cibi uſus locũ habeat, id nullo modo ſequitur; quapropter hoc argumentũ adverſarij nihil efficit.

Sect. 3. Tertium argumentum eſt. Primus homo etiamante lapſum corpus animale habuit,igitur & mortale. *Probatur utrumq; ex Pauli verbis 1 Cor. 15. ubi verſ. 44. corpus animale illud vocat, quod prius vile corruptibile & mortale appellaverat, idque à ſpirituali planè ſecernit, quod idem eſt ut ex antecedentibus patet, quod glorioſum, incorruptum & immortale. Verſu autem 45 ait, primum Adamum factum fuiſſe in animam viventem, ut inde probet eum habuiſſe corpus animale. Adamus verò non modò antequam peccaret, ſed in ipſa creatione factus eſt in animam viventem Gen.* 2. 7. Hoc etiam argumentum ejuſdem cum ſuperiore conditionis eſt, & nihil contra ſententiam de protoplaſtorum immortalitate efficit, nam primum hominem corpus animale habuiſſe ante lapſum agnoſcimus, & ſpirituale non eſſe vitæ, quæ in terris agitur, ſed ejus immortalitatis proprium eſſe, quæ internā moriendi poſſibilitatem excludit,proinde animale primi hominis corpus,mortale etiam fuit, quia mori potuit,quamvis & immortale ideo, ut rectè magnus Auguſtinus monet lib. 6. de Geneſi ad lit. cap. 25. quia & non mori poterat. *Neq; enim immortale quod mori omnino non poſſit, erit niſi ſpirituale,quod nobis futurum in reſurrectione promittitur: ac per hoc illud animale & ob hoc mortale, quod propter juſtitiam ſpirituale fieret: & ob hoc mortale omnimodo factum eſt, propter peccatum non mortale,quod & antea erat, ſed mortuum, quod poſſet non fieri, ſi homo non peccaſſet.* Hoc ergo corpus,quod primus homo habuit, & nos ex primo homine oriundi habemus

bemus (imaginem enim terreni hominis, ab ipſo exordio humanæ generationis induimus, *ut rectè ab Auguſtin. lib. prædicto c.19. eſt obſervatum*) ſatum non fuiſſet, niſi peccatum incurriſſet homo; pœnâ enim mortis legem ſuam primo homini latam ſanciverat Deus.

Sect. 4. Verum quidem, primum hominem terrenum creatum & è terrâ formatum; nos verò etiamſi nõ moreremur aut corrumperemur, imaginem primi hominis quatenus terrenus erat, portare tamen verè diceremur, ut enim Adam non prius fuit, quàm terrenus fuit, ſic neque cæteri homines, corpus enim quod cum ipſa nativitate accipimus χοϊκὸν eſt. In eo quidem etiam, quod morimur & corrumpimur, exprimimus terrenam illam conditionem, quã cum primo parente per creationẽ accepimus; actualis enim mors cum potentia moriendi ſimilitudinem & convenientiam habet; ſed hoc addimus contra veteres & novos Pelagianos, peccatum eſſe cauſam, cur morte & corruptione, terrena illa conditio, quam ex natura trahimus, nobis exprimenda ſit, non expreſſuri, ſi nunquam peccaſſemus: hæc ex Paul. 1. Cor. 15. cap. & Rom. 5. colliguntur.

Quapropter cum Paulus ad Rom. 5. ait, per peccatum mortem ingreſſam eſſe in mundum, nullũ ille ullius mortis oſtium agnoſcit, præter peccatum. Socinus geminum mortis oſtium nobis aperit, & contra Paulum affirmat, non tantùm per peccatum intraſſe mortem, ſed & per naturam, quà naturalis & non neceſſaria mors ei, à natura eſt, quà neceſſaria, ex

ex peccato. Paulus contrà perpetuò mortem ad peccatum tanquam ad unicum ſuum fontẽ refert, monſtret Socinus alterum illum ex ſcripturis? mortis imperium inter naturam & peccatum à Paulo non dividitur, in divina illa inter Chriſtum & Adamum comparatione, ſed totum hoc regnum uni & ſoli pecato vendicat, neminem recenſet, quem paſſus ſit Deus, per naturam, non per peccatum aut ſimul per naturam & peccatum mori. Itaque non potuit tantùm non peccator Adam, Dei beneficio à morte conſervari, ſed revera conſervatus fuiſſet. Secundò ponit adverſarius, Paulum de neceſſaria in ipſa morte manſione ut ſic dicam loqui, non de naturali mortalitate: per naturalem mortalitatem, ut enucleatiùs rem evoluamus, duo hîc intelligere mihi videtur: primò mortem poſſibilem de qua jam actum. Secundò poſſibilem & non neceſſariam in morte manſionem, huic etiam contendit per peccatum neceſſitatem tantummodò acceſſiſſe, hanc mortem paſſim æternam vocat & diſcipuli ejus, videatur cap. 8. lib. tert. de ſervat. & paſſim in ipſorum ſcriptis id obſevare licet, æternam mortem aliud nihil ipſis eſſe quàm in morte manere, & beatâ immortalitate in perpetuum carere, adeò ut æterna mors nihil aliud ſit ipſis, quàm annihilatio hominis & æternum nihil: pœnas poſthumas, de quibus Dominus in parabola divitis & Lazari, impudenter Poëtarum fabulis de Ixione Siſipho Tantalo comparant. Hæc verò adverſariorum dicta prophana figmenta ſunt, quod ſic probatur.

1 Sen-

1 Sentire hominem in morte manere ſine relatione ad peccatum, eſt contra Scripturam ſentire: per hominem mors peccantē nempe, ut interpretatur Paulus; per uuum hominem peccatum venit in mundū, per peccatnm mors, τὸ κέντρον mortis & ſepulchri peccatum 1 Cor. 15. v. 55. 56. 2. Hæc perpetua in morte manſio, aut æterna mors ut Socinianis placet loqui, merum ens rationis eſt, nec hæc æterna mors, peccati primi effectus eſt, ſed hujus mortis oppoſitum, reſurgere ex mortuis ad æterna ſupplicia ſubeunda, in quibus æternum victuri im pij; oſtendo Pauli teſtimonio, qui dicit, oomnes nos comparere oportet coram tribunali Chriſti, ut unuſquiſque reportet ea, quæ per corpus, ſecundùm ea quæ fecit, ſive bonum ſive malum. item Judæ 14. 15. Actor. 24. 15. Sed quid de illa æterna morte dicemus, quam nunc ipſam mortem, nunc veram, nunc neceſſariam, nunc moriendi neceſſitatem indigetat, illa enim hoc metallum eſt, quod ſub illa verborum cute hîc reconditur: eruamus & exploremus. Dico ergo hanc opinionem epicureiſſmum ſapere, inferos non agnoſcere: luſerunt ſcil. iſta poëtæ, & vanis nos agitavere terroribus, nullus orcus eſt, nullus Acheron, nullus Cocytus, nullus Pyriphlegeton: Sanctiùs Empiricus, de inferis ſicut de Diis omnes homines habere communem notionem: non hujus vitæ mortem ſed alterius intelligit; hanc perſuaſionē ſpernit & abdicat Socinus. Doceamus ergo, mortem æternam, non eſſe perpetuam animæ & corporis diſſolutionem; corporis annihilatio-

lationem, meram beatæ immortalitatis privationem; ſed impios in cruciatibus æternis, animâ & corpore æternum victuros, mortem æternam cum æterno corporis ſenſu conjunctã eſſe. Refellitur contraria opinio, iis locis, qui æternum ignem impiis ex anima & corpore conſtantibus paratum dicunt Matth. 25. 41. Marc. 9. 48. 2. Theſſal. 1. 9. Apoc. 20. 11. Excipitur Matth. 25. ſolummodò agi de iis, quos Chriſtus vivos offendet. At hoc nihil eſt, nam ſic eorum impiorum mors æterna, erit ea quam nos deſcripſimus. 2. mortui non ſunt excludendi, nam ea erit mortuorum, quæ vivorum ratio, cum Chriſtus ſit definitus à Deo judex vivorum & mortuorum Actor. 13. 42. nec poteſt etiam ſuſtineri, ignem æternum & inextinguibilem eſſe, quia non ille ſed effectus ejus in æternum duraturus, hoc eſt, quia impij extincti & annihilati, in illa morte ſemper manſuri, nam ſic nihil tã momentaneum, quod non æternum: ignis qui in foco ſtruitur, ſic æternus, etenim ligno & ceſpitibus qui uruntur adfert æternum exitium: nihil in natura perit, quod hoc æternum exitium non patitur, nihil vitâ prędìtum, quod eâdem privatum, æternã mortem non ſubeat, nec beſtia mactatur, quæ in æternum ignem non abeat. Etiam non nati eam calamitatem experiuntur, quam impij, nunquam cum iis lucem immortalitatis beatæ aſpecturi. Ignis qui Sodomam & Gomorrham exuſſit, aut eſt æternus ille ignis, in quo improbitatis ſuę pœnam luunt impij; aut ęternus dicitur, quia æterni ignis, impiis parati, inſignis

&

& formidabilis typus fuit. Porro quemadmodum primus homo, tum mortem temporalem & corporis,tum æternam hanc,ſibi peperit inobedientiâ in Deum, ita obedientia,ſiquidem in ea perſtitiſſet, certiſſimum adverſùs mortẽ corporis præſidium fuiſſet,& ſimul ad beatam & æternam vitam haud dubiam ſpem feciſſet. Socino anceps ſtatus primi hominis, potuit conſervari à morte Dei beneficio, potuit immortalis fieri. Hæc ſumma rei Socino,peccans debuit mori: debuit in morte manere: nõ peccanti incerta mors, incerta immortalitas. Poſtremum thema hîc evertendum reſtat. Igitur non dubia ſed certa in innocentia beatæ immortalitatis ſpes. Probatur,quia judicium univerſale omnibus & ſingulis paratum,aut æternas pœnas improbis, aut juſtis æternam vitam aſſignabit;ſtatus tertius nõ datur. 2 argumentor, à peccato mors æterna, ergo per juſtitiam vita æterna, peccatum regnat in mortem, juſtitia ad vitam æternam Rom. 5. 21, connectit perpetuò Paulus in illâ comparatione Chriſti & Adami, lapſum cum morte,juſtitiam cum æterna vita. 3 nulla cauſa in ſcriptura aſſignatur ademtæ æternæ vitæ, præter peccatum,cũ ergo ſolum peccatum mortẽ æternam cauſet, vitâ privet,ſequitur in innocentia nõ ancipitẽ, ſed certam fuiſſæ beatæ immortalitatis ſpem. Denique ex ipſa adverſarij confeſſione, rationabiliter colligitur, primum hominem, ſi non peccaſſet,æternâ vitâ &immortalitate donandum fuiſſe. Smalcius cap.7.lib. de divinitate Chriſti. *Et tamen Chriſtus,ne quid diſſimulemus,* *firmi-*

firmiter ſtatuimus, etiamſi promiſſio nulla aperta extet in V. F ad. vitæ æternæ; eam tamen aliquando datum iri omnibus illis, quicunq; Deo unquam confiſi ſunt, & eidem obediverunt. Si ergo qui Deo confiſi & eidem obediverunt, hoc eſt non ſine peccato & imperfectè obediverunt (*ut exponit Socin. in fragm. de juſtificatione, ubi quærit, quid ſit ſub Euangelio, non ex operibus ſed ex fide juſtificari*) vitâ donantur æternâ, ergo & operantes qui perfectè obediverunt, tam enim operibus, hoc eſt perfectæ obedientiæ mandatorum, ut ille interpretatur, vita promittitur, quàm fidei:

Sect. 5. Pro ſolutione ad quintum argumẽtum dico, falſum eſſe Jeſum Chriſtum omnem propriam peccati vim, ac pœnas illi propriè conſtitutas deleviſſe prorſus & in totum, jus quidem delendi habet, omne id, quod ex peccato, non actu autem ipſo in totum delevit, quod ex eo patet quia per reſurrectionem ultimam id demum effecturus, ut ex illa Apoſtoli triumphali oratione manifeſtum eſt; abſorpta eſt mors ad victoriam, quæ? audi Apoſtolum, cujus aculeus peccatum à lege roboratum, aculeus mortis peccatũ, vis autem peccati lex. *Ait deinde Chriſtum mortalitatem naturalem non abſtuliſſe ac deleviſſe:* Si intelligat nullatenus, ſuæ ſententiæ de naturali mortalitate hoc loco contradicit, nam naturalis mortalitatis ſunt, mors non neceſſaria, & non neceſſaria poſſibilis, dubiaque in morte manſio: hunc poſteriorem naturalis mortalitatis modum ſuſtulit Chriſtus, nam illa jam impoſſibilis eſt, certaq; Chriſtianis ex Dei promiſſione, beatæ

beatę immortalitatis ſpes. Denique etſi Dei Filius apparuit ut diſſolveret opera Diaboli, & mors opus Diaboli cenſeri debeat, ex peccato profecta, ſequitur minimè propterea jam actu diſſolutam eſſe, jus moriendo diſſolvit, ultimo adventu diſſolutionem conſummaturus in ſuis. Quin etiam omnes qui peccato dant operam ex Diabolo ſunt, & quà tales filij ejus, peccata ipſorum opera Diaboli Joh. 3. com. 9. Eph. 2. v. 2. 2. Cor. 4. v. 4. neque tamen illa diſſoluta ſunt; quod ſi illa diſſoluta eſſent, non peccato ſed juſtitiæ operam darent. Et annon opus Satanæ diſſoluturus Chriſtus, cum ipſum Satanam abolebit ſecundo adventu 1. Cor. 15. v. 24? quem locum Socinus in tractatu quæſtionis de regno Chriſti in terris futuro, de dęmonibus eſt interpretatus. Annon horrendæ illæ & truculentę ſanctorum perſecutiones Satana inſtigante & procurante eveniunt, ut ex multis ſcripturæ locis, præſertim Apocalypſis, eſt manifeſtum, cum Domini causâ occidantur fideles totum diem, & ſint velut oves deſtinatę mactationi: hoc à Leone illo rugiente eſt, & ab inimico illo, qui fuit homicida ab initio, unde etiam thronum ſuum habere dicitur ubi truncat & mactat Apoc. 2. 13. Ab hac Diaboli tyrannide fideles liberationem non habent ſed ſperant 2. Theſſ. 1. com. 6. 7. Apoc. 6. 10. 11. Denique mala cupiditas & corruptio per propagationem in poſteros transfunditur *ex confeſſ. Socini in cap. 4. Prælect. idem ſimilia habet 6. cap. lib. 4. de ſervatore.* Illa autem eo autore ex majorum peccatis contracta eſt, neque

tamen à Chriſto diſſoluta: nihil ergo hæc verba adverſarij continent, niſi ratiocinationem peſſimè concluſam: non poteſt enim illa diſſolutio operum Diaboli, ad quam Filius Dei patefactus eſt, quacunque tandem ratione ſumatur, rectè explicari, ut inde cum valore inferatur, mortem à natura eſſe.

Sect. 6. *Ex eo conſtare ſatis poteſt, primum hominem, antequam peccaret, jam mortalem naturâ fuiſſe, non autem immortalem, quòd exceptâ arbore ſcientiæ boni & mali, ex omnibus Paradyſi arboribus ut comederet, ab initio dixerat illi Deus, Gen. 2. 17. inter quas arbores vitæ arbòr erat, in ipſo Paradyſi medio conſita Gen. 2. 9. Quid enim opus fuiſſet propter eum, qui naturâ immortalis jam eſſet, vitæ arborem conſerere eiq́ ad comedendum tradere? &c.*

Eadem oberrat chordâ adverſarius, ludit ambiguitate vocis immortalis. Auguſtinus eleganter totam hanc rē diſcuſſit lib. 6. de Gen. ad literam cap. 24 & 25. *Illud quippe (corpus nempe) ante peccatum & mortale ſecundum aliam, & immortale ſecundum aliam cauſam dici poterat: id eſt mortale quia poterat mori, immortale quippe, quia poterat non mori. Aliud eſt enim non poſſe mori, ſicut quaſdam naturas immortales creavit Deus: aliud eſt autem, poſſe non mori, ſecundum quem modum primus creatus eſt homo immortalis: quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ: à quo ligno ſeparatus eſt cum peccaſſet, ut poſſet mori, qui niſi peccaſſet, poſſet non mori.* Propterea eſus de arbore vitæ arguit quidem, primum hominem immortalem non

fuiſſe

fuiſſe eâ immortalitate, quæ reſurrectione donabitur, ſed eâ, quâ poterat non mori, eidemq; ſacramentum fuit certæ à morte libertatis, & ſymbolum beatę immortalitatis in cælo aliquando degendæ: quapropter hoc argumentũ in adverſarium retorqueri poteſt, non enim aliam ob cauſam homo arbore vitæ ſpoliatus fuit, niſi quia ipsâ vitâ privandus ob peccatum: hanc unam & ſolam cauſam ſcriptura aſſignat.

Sect. 7. *Poſtremò argumentatur. Cum omnes cauſæ efficientes mortalitatis noſtræ naturalis, ſive in nobis ſive extra nos ſint, jam antequam primus homo peccaret, exiſterent, non minus quàm poſtea, neceſſe eſt, ut ipſe etiam effectus mortalitatis naturalis non minus antea, quam poſtea extiterit. Quod verò cauſæ iſtæ omnes jam exiſterent, unuſquiſque per ſe ſatis intelligere poteſt.* Reſp. rurſum ſi per mortalitatem naturalem intelligat capacitatem intrinſecam ex ipsâ corporis conſtitutione reſultantem, nemo negat. Sin intelligat ut connotet actualem mortem, ex illâ cõſtitutione animali profluentem, tum nego cauſas efficientes omnes extitiſſe, ejus enim peccatum cauſa eſt, quod, antequam peccaret homo, non extitit.

Cap. II.

Quæritur, quid ſit in homine naturaliter, quod ad religionem attinet?

Receptior hodie ſententia eſt, homini natu- 1.
raliter ejuſque animo inſitam eſſe Divini-

tatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quæque humanarum rerum inprimis curam gerat, hominibus conſulat atque proſpiciat.

2. Hæc ſententia, quam nos falſam eſſe arbitramur, non aliunde potiùs orta fuiſſe videtur, quàm ex eo, quòd videantur omnes homines opinione iſtâ Divinitatis alicujus imbuti eſſe. Verùm animadvertendum erat, ab ipſo initio cum homo creatus fuit, Deum ſe illi patefeciſſe, qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, poſteros ſuos facilè Divinitatis opinione imbuere potuit. Quanquam hac re opus non erat, cùm ipſe Deus, non primo homini tantùm, ſed aliis ſubinde ex eo natis, ſeſe variis rationibus patefecerit, quemadmodum ex Sacra hiſtoria clarè liquet.

3. *Quòd* ſi Divinitatis opinio cunctis naturalis eſſet, certè ea non eſſet ex fide: Atqui ex fide eam eſſe apertè docet epiſtola ad Hebr. cap. 11.6. cum ait, ſine fide neminem Deo placere poſſe: nam accedentem ad Deum credere oportere, quòd Deus ſit, & quòd remunerator ſit eorum, qui ipſum quærunt. Illud ex his verbis certum eſſe videtur, fieri poſſe, ut quis fide & ſic opinione iſta Divinitatis careat, cum dicitur, ſine fide neminem Deo placere poſſe. Unde concludendum eſt, opinionem iſtam nõ eſſe cunctis naturalem. Hocque primæ rationis locum contra receptam iſtam ſententiam obtinebit.

4. *Secundò*. Si divinitatis opinio cunctis naturalis eſſet, quomodo idem auctor ibidẽ ex eo,

quòd

quòd Enochus Deo placuiſſet, niteretur probare, eum, Deum eſſe &c. credidiſſe? Hoc profectò arguit ejuſmodi opinionem non eſse naturalem, id eſt, fieri poſſe, ut quis eam ſuo animo non conceperit. Nam quæ naturalia ſunt, neceſſaria etiam omninò ſunt.

Tertiò. Sacrę literę apertè teſtantur, aliquos 5.
eſſe, qui Deum eſſe non credant, Pſal. 10. 4. & 14. 1. & 53, 2. quos etſi ſtultos appellant, non tamen naturales animæ facultates ſenſumque communem eos deſtituiſſe ſignificare volunt, ſed verâ ſapientiâ eos prorſus carere. Vera autem ſapientia minimè naturalis eſt, ſed ratione aliquâ comparatur, cujus rei teſtimonia per totam Scipturam obvia ſunt ubique.

Quarto. Non ſinguli tantùm aliqui homi- 6.
nes, ſed integri populi hodie inveniuntur, qui nullum penitus ſenſum, aut ſuſpicionem Divinitatis alicujus habent. Hi ſunt in novo occidentali orbe in Breſilia provincia, ut hiſtorici tradunt, mihiq; vir fide dignus ſanctè affirmavit, qui in ipſo loco aliquandiu fuerat. Sed & alibi quoque ejuſmodi gentes reperiri, Indiæ recens hiſtoria teſtatur.

At ſunt qui dicant, id ſaltem negari non poſ- 7.
ſe, ex ſola hujus mundi machina, ſi quis animũ advertat, poſſe quemlibet, non ſolùm Deum eſſe, manifeſtè cognoſcere, verùm etiam rebus humanis eum proſpicere, planè percipere. Imò complures addunt, ex eâdem machina omnes ſatis intelligere, quidquid opus eſt ad eam Dei notitiam, ex qua omnis religio proficiſcitur.

8. Sententia iſta ſimiliter, vel ex eo falſitatis convincitur, quòd præſtantiſſimi quidam Philoſophi, inter quos maximè, ut creditur, Ariſtoteles, qui ingenij acumine omnes ſuperâſſe videtur, qui hanc mundi machinam non aſpexerint modò, ut cæteri omnes, aut, quemadmodum multi fecerunt, eam ſunt contemplati, ſed diligentiſſimè in ipſa univerſa, ejuſque ſingulis partibus rimandis atq; expendendis ſunt verſati, huc pervenire non potuerunt, ut Deum inferiora hæc ſingula curare ſuſpicarentur, vel hominum ſaltem ſingulorum eum curam habere intelligerent. Quinetiam ne creatum quidem à Deo mundum fuiſſe aſſequi potuerunt, imò id planè negârunt. Sed quia ſententia iſta, quamvis à veritate aliena, quibuſdam Sanctarum literarum teſtimoniis confirmari videtur, de potioribus deinceps agamus.

9. *Primò* ad eam confirmandam afferri ſolet Pſal. 19. ubi disertè ſcriptum eſt, Cœlos ennarrare gloriam Dei, & in omnem terram exiviſſe regulam ſive ſonum ipſorum. Animadvertendum eſt primùm, in Pſalmo pro conceſſo ſumi, Deum creâſſe cœlos, idque ab iis qui eos aſpiciunt credi, ut in locis illis eveniebat, ubi David auctor Pſalmi erat. Et ſenſus eſt, cum quis cœlos aſpicit ac contẽplatur, quos Deum creâſſe novit, Dei ſapientiam atque potentiam inde percipere. Nam niſi Deum pro ipſorum creatore agnoſcat, quî poterit ex ipſis Dei tanquam creatoris gloriam agnoſcere? Etenim ſi quis dicat, ibidem ſcriptum eſſe, ipſos cœlos per ſe docere, ſe creatos eſſe à Deo, nimirum in

in illis verbis, *Et opus manuum ejus annuntiat firmamentum*. Dico, *annuntiare opus* eo in loco, nec fortaſſe uſpiam alibi, non ſignificare, indicare eſſe opus, ſed quale ſit opus, ſeu celebrare opus. Mecum autem ſentiunt in paraphraſibus ſuis Joh. Campenſis, & Georgius Buchananus. Quanquam verbum *annunciat* ad nomen *gloriã* ſuperiùs poſitum referri poteſt, & nomen *Firmamentum* per appoſitionem explicari hoc pacto: Et opus manuum ejus, nempe firmamentum, anuntiat Dei gloriam. Atque hunc ſenſum ſecutus eſt Zuinglius in verſione ſua. Deinde conſiderandum eſt, appellatione omnis terræ, in ſacris literis, præſertim verò in Pſalmis, Judæam terram intelligi ſolere. Vide Pſalm. 45.17. & 105.7. In Pſal. quidem 105. dicitur, judicia Dei in omni terra nota eſſe, cùm tamen in Pſal. 147, 20. dicatur, non omni nationi, ſicut Iſraëlitis fecit, patefeciſſe Deum judicia ſua. Idem dico de orbis finibus, ut ex Pſal. 2.8. conſtat: neque enim David fines orbis terrarum poſſedit, niſi quatenus totã regionem illam, inimicis ſuis devictis Dei ope, ſuo imperio ſubjunxit: & tamen Deus ibi pollicetur, ſe poſſidendos ei daturum terminos terræ. Nam ſi dicas ad Chriſtum iſta accommodari debere, fateor hoc verum eſſe, ſecundùm ſenſum myſticum, ſecundùm quem ſenſum ſimiliter ſi Pſal. 19. 5. verba explicentur, & ad Apoſtolos ut Paulus cap. 10. 18. epiſtolæ ad Rom. facit, accommodentur, poterunt accipi ut ſonant, ſed interim nihil ad rem noſtram facient, qui de cœlis ipſis agimus.

10. *Secundò*, affertur locus ille ad Rom. 1. 20. *Inviſibilia enim ejus à creatione mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ipſaque æterna ejus virtus & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles. &c.* Sed ſciendum eſt verba, *à creatione mundi*, debere conjungi cũ verbo *Inviſibilia*, eundemque ſenſum eſſe, qui eſt Matth. 13. 35. *Abſcondita à conſtitutione mundi.* Plerique interpretes ex præpoſitione *à ex* fecerunt, contra ipſorum Græcorum codicum fidem, qui non ἐκ κτίσεως, ſed ἀπὸ κτίσεως habent. Ait igitur eo in loco Apoſtolus, æternam divinitatem Dei, id eſt, id quod nos Deus perpetuò facere vult (Divinitas enim hoc ſenſu alibi quoq; apud ipſum enuntiatur, ut Col. 2. 9.) æternamq; potentiam, id eſt promiſſiones quæ nunquam intercident (quo ſenſu paulò ſuperiùs dixerat, Euangelium eſſe potentiam Dei) hæc, inquam, quæ nunquam, poſtquàm mundus creatus fuerat, ab hominibus viſa fuerant, id eſt, non fuerant eis cognita, per opera, hoc eſt, per mirabiles ipſius Dei & divinorum hominum, præſertim verò Chriſti & Apoſtolorum ejus operationes, conſpecta fuiſſe.

11. *Tertiò*, videtur omninò afferri poſſe id, quod dicit idem Paulus, Actor. 17. 26. 27. Deum feciſſe, ut homines, quos ex uno ſive unius ſanguine creaverat, habitarent ſuper univerſam terram, & quærerent Dominum, ſi fortè eum contrectarent & invenirent. Hinc enim videtur conſtare, Dei conſilium fuiſſe, ut homines per res creatas ad ipſius cognitionem pervenirent, & quaſi palpando (ſic enim aliqui verbũ *contre-*

contrectarent explIcant) ipſum invenirent. Hîc dico, Quærere Dominum nihil aliud eſſe, quàm ſanctè vivere, ut ipſe præcipit: Eum autem invenire, eſt illum ſibi propitium experiri. De phraſi illa *quærere Dominum*, nemo eſt qui dubitare poſſit, eam illud ſignificare, quod diximus. Ubique enim exempla occurrunt, præſertim in Pſalmis, ut Pſal. 9. 11. Pſal. 24. 6. & Pſal. 105. 3. 4. Ex quo facilè intelligi poteſt, verbum inveniendi ſimiliter id ſignificare, quod diximus. Sed locus ille Eſaiæ 55. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt: invocate eum, dum prope eſt*, ſententiam noſtram plus ſatis confirmat. Nam ſequitur ſtatim per epexegeſin, *Derelinquat impius viam ſuam, & vir* Verſ. 7.
iniquus cogitationes ſuas & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus &c. Porrò verbum *Contrectare* non ſignificat palpare, ut cæci faciunt, ſed reverà id, quod ipſum verbum ſonat. Quamvis enim in Græco ſit verbum ψηλαφάω quod palpandi ſignificationem habere poteſt, ſatius eſt tamen, contrectandi ſignificatione, quam ſimiliter habere poteſt, illud accipere. Nam Johannes quoq; eodem verbo hoc ſenſu 1. Ioh. 1. 1.
eſt uſus, in prima epiſtola in ipſo initio. Pauli igitur ſententia eſt; Dei conſilium fuiſſe, ut homines ſanctè ſecundùm ipſius voluntatē viverent, atq; ita eum ſibi propitium experirentur, & propterea ſequitur: *Quanquā non longè eſt ab* Verſ. 27. 28.
unoquoq; noſtrum: per ipſum enim vivimus & movemur, & ſumus. quaſi dicat: Non eſt dubitandum, quin is ſanctè viventibus præſtò ſit, cùm in omnes homines ſua beneficia conferat: hoc

enim ipſum, quòd & vivimus, & movemur, & ſumus, ab ipſo omnes habemus. Confer autem cum hoc loco, locum 14. cap. in eàdem hiſto-
Act. 14. 15. ria, ubi idem Paulus cum Barnaba ait, Deum
16. illis quoque qui ipſi minimè ſerviebant, benignum ac liberalem ſe præbuiſſe.

12. Verùm (dicit aliquis) quomodo poterant homines ſanctè vivere ſecundùm Dei præcepta, ſi homines Deum naturaliter non nôrunt? Reſpondeo, Deum ab initio per multa ſecula, & ante & poſt diluvium, præſertim verò ante, de quo tempore loquitur Apoſtolus, ſeipſum hominibus patefeciſſe, adeò, ut & ipſum & ejus voluntatem ſatis perſpectam haberent. Quocirca ſi poſtmodùm factum eſt, ut Dei cognitione caruerint, id ipſorum culpâ contigit, qui lumen illud divinum paulatim minui atq; extingui in ſeipſis ſiverunt. Quòd ſi tamen volumus Pauli mentem fuiſſe, ut ſemper homines Deum quærere poſſint, dico, illum ſuis verbis explicâſſe, quid verè in hominibus naturaliter ſit poſitum, quod attinet ad religionem. In omnibus enim hominibus naturaliter eſt aliquod juſti atq; injuſti diſcrimen, aut certè in omnibus hoc ſitum eſt, ut cognoſcant & fateantur, juſtum injuſto anteponi debere, honeſtum turpi. Hoc autem nihil aliud eſt, quàm Dei verbum quoddam interius, cui qui obedit, ipſi Deo obedit, etiamſi alioqui ipſum Deum non eſſe quidem aut ſciat aut cogitet. Nec dubium eſt, qui hac ratione Deo paruerit, illi etiam gratum futurum. Nam ſi quis objiciat, id quod ante ex epiſtola ad Heb. recitavimus, oportere

acce-

accedentem ad Deum, credere, Deum eſſe, &c. facilis reſponſio fuerit, cum certum ſit, Apoſtolum loqui de iis, quibus Deus ſe patefecit aliquâ ratione. Talis enim Enochus erat, de quo ibi verba fiunt. Iſti enim niſi Deum eſſe credant, animum à pietate, & ſic à juſti honeſtiq; ſtudio, alienum ſe habere demonſtrant. Præterea ſermo ibi eſt de iis, qui ſingulari quadam ratione Deo grati atque accepti ſunt, qualis Enochus fuit. Itaque verum quidem erit, eum qui ad Deum accedere velit, id eſt, eum ſibi ſingulari, ſeu non vulgari (ut ita dicam) ratione propitium experiri, oportere omninò credere Deum eſſe: & ſi hoc deſit, ſive quia Deo ſe patefacienti fidem adhibere noluerit, ſive quia ei ſe Deus nullâ ratione patefecerit, iſtum minimè ad Deum acceſſurum: Non tamen verum erit, id omninò requiri ad hoc, ut quis quadantenus (ut ſic loquar) Deo gratus ſit, aliam etiam ob cauſam, quàm quia ejus ſit creatura, ſed ſatis fuerit interiori illi atque occulto quodammodo Dei verbo paruiſſe.

REFUT. CAP. II.

In quo quæritur, quid ſit in homine naturaliter quod ad religionem attinet.

HUjus capit. ſcopus eſt demonſtrare, nullam divinitatis, omnium & ſingularum rerum providę & moderatricis, notitiam naturaliter inditam eſſe homini, nec per rationis naturalis in mundi machina diſcurſum, acqui-

ſitam

ſitam eſſe. Hanc geminam naturalis cognitionis Dei originem, falsò aſſeri, demonſtrandum ſibi hoc cap. ſumit. Ac primò quidem adverſus naturalem Dei cognitionem, tum inſitam, tum diſcurſu rationis acquiſitam, argumentum adfert ſect. primâ. Deinde impugnat cognitionem inſitam 3.4.5.6. ſect. Tertiò contra acquiſitam agit uſque ad ſect. ultimam, in quâ refellendam ſibi ſumit objectionem à ſe motam contra ſuam explicationem loci Actor. 17.

Sect. 2. itaque aſſerit communem illam divinitatis opinionem, ex orali Dei patefactione, tum primo homini, ab ipſo initio creationis factâ, tum aliis ſubinde, idque variis rationibus, ortam. At verum quidem Deum variis apparitionibus & alloquiis ſe, ab ipſo mundi exordio, hominibus patefeciſſe, non tamen illa patefactio unicum & neceſſarium medium, quo in qualemcunque numinis cognitionem devenitur. Nam quod ad primum hominem attinet, cum creatus ſit in eo ſtatu, in quo rationis uſu polluit, & ad Dei imaginem conditus, mundiq; inferioris Dominus conſtitutus *Socin. prælect. cap.* 3, potuit non accedente divinâ patefactione, Deum conditorem & Dominum ſuum agnoſcere: à ſeipſo ſe eſſe ſibi perſuadere non potuit; cum facillima & prona ſit collectio rationis, nihil quod fit, à ſeipſo fieri, cum idem ſimul eſſe & non eſſe non poſſit; factum autem ſe eſſe probè conſtitit illi, quia paulo ante non fuerat; nec ullam etiam inter res illas creatas eſſe à quibus factus eſſet; cum ſe longe excel-

excellentiorem iis omnibus, apertiſſimè cognoſceret. Quinetiam cum in illo imago Dei eluceret, clarè illa monſtrarunt homini, illum nec à ſe Dominum, nec à quoquam alio conſtitutū; ſed à Dei conditoris, ut ſupremi Domini, munificentiâ ſe totum, quod erat, conſecutum. Neq; etiam patefactiones divinæ, quæ primo homini in Geneſi factæ leguntur, horſum ſunt inſtitutæ, ut divinitatis opinione imbueretur homo. Et ſi nullus divinitatis ſenſus primo homini, cum creatione ſui, fuiſſet inſitus, patefactio externa Dei nihil proficere potuiſſet, ad hominem divinitatis agnitione imbuendū, ſine auxilio diſcurſus per argumenta rationis naturalis: quomodo enim cæteroquin, Deo affirmanti ſe conditorem & Dominum ut omnium, ſic & hominis, fidem habere potuit; de Dei veracitate immutabili conſtare debuit; de ea autem conſtare homini non potuit, ſi nulla fuit ejus animo inſita divinitatis opinio.

Jam verò quod ad poſteros attinet, primus homo ſine dubio poſteris tradidit ea de Deo, quæ per ſacram cabalam hauſerat: & ſubinde Deus ipſe variis rationibus hominibus ſe patefecit: Verùm nequaquam ſequitur ex eo, omnem, quæ erat, divinitatis opinionem, ex iſtâ divinâ patefactione, aut mediatâ aut immediatâ, promanaſſe. Quin imò ex eo fides fit, ſolam divinam patefactionem opinionis ejus fundamentū non eſſe, quod etiam ubi nulla talis patefactio eſt, nihilominus homines aliqualē divinitatis notitiā habent: nam infiniti divinitatis teſtes reperiuntur, qui non ſciunt talē à Deo

factam

factam patefactionẽ;ſed argumenta efficacia ex media naturâ petita adſerunt, quibus iſtã divinitatis notitiam ſtabiliunt, nunquam autem patefactionem à majoribus acceptam, quod tamen fieret, ſi divinitatis opinio Dei patefactione niteretur. Seneca lib. quare viris bonis mala accidant cum ſit providentia cap. 1. *Supervacuum eſt in præſenti oſtendere non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſiderum certum diſcurſum fortuiti impetus eſſe*. Cicero lib. im. de naturâ Deorum. *Plerique quod maximè veriſimile eſt, & quò omnes duce naturâ vehimur Deos eſſe dixerunt*. Idem libro 2. de Deorum naturâ. *Quid poteſt tam eſſe apertum, tamque perſpicuum, cum cœlum ſuſpeximus cœleſtiaq; contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numẽ præſtantiſſimæ mentis quo hæc regantur*. Quot egregia & præclara argumenta à Stoico diſputatore, per totum iſtum librum congeſta ſunt, ex naturæ contemplatione hauſta, eruta, pro numine & providentiâ. Hæc à Stoicis tam validè & conſtanter aſſerta, ut proverbiali convicio à diſſentientibus Epicureis providentia fatidica Stoicorum anus diceretur. Homerus in Divinæ providentiæ adyta altius penetrare non potuit, quàm cum Jovem dicentem facit *μέλουσί μοι ὀλλυμενοί περ*, *habeo curæ & pereuntes*. Infinita alia proferri poſſent, prçclarè de Deo & divinis dicta, à reliqua Philoſophantium turba, quæ cum omnium pene chartas implent, non potuit eorum fons eſſe patefactio Dei obſcuriſſima tenuiſſima, quç ad incultos illos veterum vix ac ne vix quidẽ famá & auditio-

auditione pervenit. Nec cum tam multa de Deo diſputant, Dei patefactione ſua aſſerũt, ſed rationis argumentis. Cauſam ergo perpetuam & continentem iſtius Theologiæ oportuit eſſe humanam mentem, divinitatis ſemine gravidam, creaturarum inſpectione excitatam & erectam : ubi periit patefactio Theologia nihilominus viguit.

Sect. 3. contra ſententiam de cognitione divinitatis inſitâ, hoc pugnat argumento. *Si divinitatis opinio cunctis naturalis eſſet, non eſſet ex fide. At eſt ex fide Heb.* 11. 6. Ergo non naturalis. Majoris conſequentia falſa eſt: nihil repugnat unum & idem objectum per diverſa principia cognoſci. Sunt nonnulla verbo Dei conſignata, quæ etiam ab hiſtoricis aliis fide dignis traduntur; qui etiam ſua ex Dei verbo non decerpſerunt. exempli gratiâ de Chriſti miraculis; de deſtructione Hieroſolymæ; de gente Judaicâ & annexis, mitto alia. Deinde confitetur adverſarius, in omnibus naturaliter ſitum eſſe ut cognoſcant & fateantur juſtum injuſto anteponi debere, honeſtum turpi; hoc ipſum nihilominus fides docet, præſcribit, perſuadet, urget, poteſt ergo aliquid naturale eſſe & ex fide. Quamvis verò per naturam habeatur aliquem eſſe Deum, tamen confuſa & vaga tantùm, quam natura parit, cognitio; nam per naturam gentes non cognoverunt verũ Deum ſalvificè, hoc fidei debetur: per naturam cognoſcitur eſſe aliquem Deum, per fidem verus Deus ſalutariter : Dei cognitio per naturam; veri Dei ſalvifica cognitio

gnitio per fidem eſt, quæ duo multùm differunt: de fide autem ſalvificâ & juſtificante agitur hoc loco, vel ipſo Socino adſtipulante. Sic enim in notis ad dialogum de juſtificatione ſcripſit edit an. 1616. *Nam ſub lege quoq; ut ante dictum eſt, & ſcriptura tam nova, quàm vetus abunde teſtatur, fide homines juſtificabantur, id eſt in Deum fiduciâ.* Si ergò ex fide juſtificante tantùm cognoſcitur eſſe Deum, ut contendit adverſarius contra prædictam cognitionem ex naturâ, ne quidem ex lege cognoſcetur eſſe Deum, cum lex non ſit ex fide Gal. 3.12. Arma etiam amplius porrigit nobis Socinus, ad hoc ejus argumentum confodiendum, cum ſect. 17 hujus cap. ſcribit, Apoſtolum loqui de iis, quibus ſe patefecit aliquâ ratione, eos nempe ſine fide Deo placere non poſſe, & accedere ad Deum, nullo modo tamẽ poſſe aliquam Dei notitiam ſine fide concipere; cum multo plus ſit Deo placere poſſe, quàm ſimpliciter aliquem eſſe Deum cognoſcere. Secundò aliâ etiam ratione hoc argumentum urgeo: quemadmodum hic agitur ſecundum iſtam Socini reſponſionem, de iis, quibus Deus ſe patefecit, eos nempe fide Deo placere, fide ad Deum accedere; ſic etiam merito dicatur eoſdem credere Deum eſſe, ex quo tum non efficitur, nullam cognitionẽ Dei naturalem eſſe. Poſtremò ex eo, quòd quis fide Deo placet, non rectè infert adverſarius, cã fide carere poſſe eum qui fide placet; nã hoc eo falſo nititur principio, quod nullus obedientiæ actus, Deo gratus, dari poſſit, qui ullatenus

tenus ſit neceſſarius; quod principium ab ipſo Socino non agnoſcitur; cum cap.ſequent.ait, *angelos eam habere conditionem,ut non poſſint peccare*, angeli nihilominus obedientiâ ſuâ Deo placent: placuit etiam Jeſus Chriſtus obedientiâ ſuâ Patri, & tamen non poterat non obedire, *Socino confitente in fine cap*. 14. *Prælect. Theol*. Diſplicent etiam impij Deo,quando ex neceſſitate peccant, quam ſibi peccatis antecedentibus contraxerunt: nam ſi revera etiam tum peccant,quomodo Deo non diſplicerent: hoc etiam Socinus agnoſcit,cum ait, *peccatum quidem eſſe, Chriſtum negare,idque maximum, ſed tamen Petrum propter temeritatem ſuam promeritum fuiſſe, ut in ejuſmodi ſcelus laberetur, & divinâ gratiâ,quâ ab ipſo abſtinere potuiſſet,prorſus deſtitueretur* Socin. Prælect. c. 10. Iterum eodem cap.*bona poſſunt ſæpe à Deo præſciri,quia nihil impedit, quo minus Deus certus auctor ſit multorum bonorũ quæ voluntarie,id eſt,non coactè, quamvis neceſſariò ab homine fiunt*. Ex hoc quod fide divinitatis quis carere poſſit, conſectariũ educit hoc, opinionem iſtam non eſſe cunctis naturalem. Verùm jam oſtendi antecedens illud falſum eſſe, & ab ipſo adverſario non admitti,ut nihil dicam de eo quòd res diverſiſſimas, fidem & opinionem confundat; neque etiamſi hoc antecedens admittatur ut verum, exinde ritè concluditur, opinionem divinitatis non eſſe cunctis naturalem, quia homo etiam carere poteſt iis quæ naturalia ſunt. Naturale eſt gentes facere quę legis ſunt Rom.2. com. 4. quando autem non faciunt carent eo

quod naturale eſt: non facere autem etiam oſtendit Paulus ibid. v. 15. Potuiſſe carere, Socinus etiam ex vi principij in hac ratiocinatione à ſe poſiti, agnoſcit cum ait ſect. 12 hujus cap. *nec dubium eſt, qui hac ratione paruerit, illi (nempe Deo) etiam gratum futurum.* In omnibus hominibus naturaliter eſt aliquod juſti atque injuſti diſcrimen, & tamen in impiis ſuffocatur & extinguitur, quales ſunt ij, qui juſti & injuſti diſcrimen pro merâ opinatione habent; & peccati mortificationem & gratiæ regenerationem, opinationis iſtius abolitionem interpretantur; adeo ut neminem pro Dei Filio & regenerato habeant, quia aliquâ honeſti conſcientiâ tangitur. Quod ſi adverſarius ſic concluſerit, non ex eo, quod fide divinitatis carere poteſt homo, ſed ex eo, quod nemo ſine fide placere poteſt, ſic etiam vacillabit conſequentia; quia Deo naturalia etiam grata eſſe poſſunt; etenim facere naturâ quæ legis ſunt, & naturale & Deo gratum. Et ſi naturalia Deo diſplicere poſſunt, certè etiam naturalia placere: naturalia autem Deo diſplicent ut mala cupiditas, quæ per propagationem in poſteros transfunditur. Socin. cap. 4. Prælect. Denique etiamſi hæc fides Dei quâ quis Deo placet, non eſt naturalis, minimè ſequitur, nullam Dei cognitionem naturalem eſſe.

Sect. 4. Iis quæ jam dixi, ſatis etiam diſſolutum arbitror ſecundũ argumentum hîc propoſitum. Hoc breviter ſic habet. Si Enochus Deo placuit credendo quod eſſet, tum divinitatis opinio non eſt naturalis. At verum antecedens,

cedens, ergo & conſequens. de conſequentiæ infirmitate jam dictum. Sed ſume conſequentiam eſſe bonam,non elicietur inde nullam divinitatis opinionem naturalem eſſe, ſed non eam, quâ quis ad Enochi exemplum Deo placet. Quod ſi ſic formetur argumentũ, eo quo quisDeo placet, poteſt carere,fideDeo placet, ergo carere poteſt. De iſtâ majore jam viſum falſam eſſe, deinde detur eſſe veram, non ſequetur hoc naturale non eſſe, cum hoc ipſo quod aliquid naturale, non etiam neceſſariũ.

Sect. 5. Tria affert teſtimonia,quibus probat aliquos eſſe, qui Deum eſſe non credunt. Verùm ex illis teſtimoniis nõ ſatis firmiter id colligitur,cum in ſacris non noſſe Deum,negare Deum dicantur etiam ij, qui vitâ & moribus,eum quem habent divinitatis ſenſum non exprimunt 2. Theſſal. 1. v. 8. Tit. 1. v. 16. Quemadmodum etiam idololatræ hoc ipſo idolum pro Deo habere dicuntur,quod colunt, etiamſi quoad opinionem ſuam negent eſſe Deum: quales ſunt ij qui dicunt ligno. *Tu Pater meus es, & lapidi tu me genuiſti Jerem. 2.27. & illi ſimiliter, qui ventrem pro Deo habent Phil. 3. v 13.* Secundò iſti impij & veſani,de quibus in citatis teſtimoniis agitur,malitiâ & improbitate ſuâ, radiantem naturæ lucem ſuffocarunt, & peccandi licentiâ Dei memoriam excuſſerunt;ac propterea,non tantùm ſapientiâ caruerunt,quæ ſtudio&rationis uſu acquiritur; verùm etiam ipſis principiis & ſeminibus ſapientiæ practicæ, quæ per naturæ tacitum inſtinctum haurit & exprimit homo.

Sect. 6. Johannes Lerius Burgundus, teſtatur quidem, in hiſtoriâ Americanæ navigationis, de *Tovoupinambaultiis*, nullos Deos agnoſcere: verùm etſi ore Deum non confitentur, ſenſus tamen aliquis divinitatis cordibus eorum inſculptus eſt. Apparet ex eo, quod fatentur animas eorum, qui virtutem coluerint, poſt altiſſimos montes evolantes, in amæniſſimis hortis, perpetuis delitiis ac tripudiis, lætum ævum agere, ignavorum contra manes, abripi ab ſtignan (ſic enim illi cacodæmonem vocant) & cum eo ſempiternos inter cruciatus vivere. Deinde ex eo quòd caribes ſeu Prophetas & Sacerdotes ſuos habent, quos ſunt perſuaſi, & fortitudinem bellicam ſibi impartiri, & omnes è terra fructus producere, eò quòd cum ſpiritibus commercium habent. Hæc ſemen aliquod divinitatis agnitæ, & umbram religionis arguunt. Peruviani ſentiunt ſummum Deum creatorem omnium, quem *viracocha* vocant quem propterea appellant *Pachacamak* vel *Pachayachiachacik* hoc eſt creatorem cœli & terræ, & *Uſaque* hoc eſt admirabilem. Joſephus de Acoſta in hiſtoriâ naturali & morali Indiæ occidentalis lib. 5. c. 3. *Poſt hunc ſecundus apud eos Deus Sol, Tertius tonitru, aut eum qui tonitru excitat.* idẽ ib. lib. c. 4 *Paſſim ſuos Deos, imagines, cultus, ſacrificia habent.* ibid. lib. 5. cap. 2. *nihil pene quod non Deus.* idem cap. 5. lib. 5. *multa alia idem de Mexicanis cap. 8. ſimilia Juſtus Lip. de Americanis Mexicanis in exempl. & monitis Polit.* Veruntamen etiamſi verum eſſet in novo occidentali orbe

in

in Braſiliâ provincia reperiri, qui nullum penitus ſenſum, aut ſuſpicionem divinitatis alicujus haberent, minimè ſequeretur, ea in homine non eſſe naturaliter: nam quid prohibet, ut ſcribit Paulus, Deum eos, cum non ſit viſum ipſis Deum in notitiâ retinere, tradidiſſe εἰς ἀδόκιμον νοῦν, ut facerent quæ minimè conveniebant. At ne hoc quidem verum eſt; nam orientem ſolem venerantur ut teſtatur Atlas minor, in deſcriptione Americæ meridionalis; in quo ſanè umbra quædam agnitæ divinitatis, immortalitatẽ animarũ credunt, idem eodem loco: præmia & pænas animas manere dicunt. Lerius in hiſtoriâ navigat. in Braſiliam cap. 6. *Hoizili Pochtli ſummus Mexicanorum Deus eſt, ut teſtatur Antonius de Herrea Hiſtoriographus Regius Indicarum & Caſtellæ. In Virginiâ multos credunt eſſe Deos, quos Mantoac nuncupant. unicum præcipuum & magnum, qui ante omnia ſecula fuit, confitentur, eum alios condidiſſe & iis tanquam adjutoribus uſum in creatione mundi, iiſdemque in gubernando mundo uti.* Atlas Mercator. ubi de Virginiâ.

Mentem omnis judicii expertẽ.

Sect. 7. Accedit ad impugnationem Theologię naturalis, quę ex contemplatione mundi naſcitur; huic tantùm deferri à pluribus dicit, ut ſufficere eam ad iſtam Dei notitiam arbitrentur, ex quâ omnis religio proficiſcitur, ſed iis nos minimè annumerari volumus, qui eam Dei notitiam, quâ ad verum Dei cultum & religionem erudimur, è ſacris peti debere aſſerimus, contra eos, qui conculcatâ S. Scrip. autoritate, tantum privilegium naturę

tranſcribere non verentur: auream mediocritatem hic probamus & quod dicitur, medio tutiſſimus ibis. Illi nimium dicunt, adverſarius non ſatis. Duplici autem modo diſputat, primùm oponendo, deinde reſpondendo ſect. 9. 10. 11.

Sect. 8. Opponit hanc rationem. *Si providentia Dei, quâ curat univerſa & ſingula, eſſet ex contemplatione mundi cognoſcibilis, præſtantiſſimi Philoſophi, inter quos maximè Ariſtoteles, pervenire eo potuiſſent ſtudioſâ ſuâ indagine, ut eam cognoſcerent: at illi eò pervenire non potuerunt, ergo.* Hæc ratiocinatio adverſarij parum ſolida, nã quæcunq; tandem cauſa ſit, quod quidam Philoſophi Dei providentiam non ſunt aſſecuti, defectus non fuit ex parte rei, quod non eſſet cognoſcibilis, ſed ex parte inquirentis. Quot ſunt perſpicacis ingenij homines qui & in aliis rebus naturalibus à vero abeunt: qui aliquando naturæ arcanis ſcrutandis animũ ſuũ intenderunt, aliis tamen hic omnem materię laudem non eripuerunt. *Multũ egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt*, Sen. Epiſt. 65. Pręterea argumento adverſarij argumentum à contrario opponere poſſum, Dei providentiam cognoſci poſſe ex mundi machinâ, quia multi pręſtantiſſimi Philoſophi & agnoſcere potuerunt & præclarè agnoverunt. Hæc duo ſemper à Stoicis aſſerta, olim numero magnis nec minus authoritate: *fortiſſimam & ſanctiſſimã ſectã* pulcherrimo elogio Seneca dixit Epiſt. 83. multum hoc in Philoſopho, imò caput eſt, ad Deum & divina aſſurgere. *Ariſtotelem Peripate-*

ripateticorum principem, magnum fuiſſe quis negct? Cicero inter ejus præcones primus, à Platone tamē eum ſecundum facit; *Ariſtoteles longè omnibus, Platonē ſemper excipio, præſtans ingenio & diligentia*, 1 Tuſc. *Platoni dij curant omnia, magna ea ſint aut parva*, in Epinomide. Diognes Laertius in vitâ Ariſtot. ſcribit, *eum volumen de precatione compoſuiſſe*, precatio autē ſenſum providentiæ & gubernationis ſecū trahit. Idem cū dixiſſet ibi, providentiam Dei ad cœleſtia uſq; pertingere, ſubdit ex mente Ariſtotelis, ut quidē ipſe de ea judicabat, terrena omnia ad cœleſtiū congruentiā ordinemq; diſponit. Lib. 1 de partib. animal. Heracliti dictum probat, *qui à caſa furnaria Deos immortales abeſſe non ſentiebat*.

Adfert & illud, ne creatum quidem à Deo mundum aſſequi potuiſſe, imò id planè negaſſe. Oppono plurimos veterum Philoſophorum cognoviſſe & celebraſſe. Pythagoras, Anaxagoras, Orpheus, Plato; Solem non eſſe lucem primigenam, ſed lucis receptaculum δόχημα καὶ ὄχημα τοῦ πυρὸς, ut veterum Chriſtianorum quidam loquitur, agnovit Empedocles. Thales tenebras luce priores eſſe docuit. Hominē ex luto formatum Heſiodus, Homerus, Callimachus. Quid Stoici à Deo & providentiâ eſſe mundum. Quod ad Ariſtotelem attinet, variant ſententiæ. Sunt qui contendant creationem ab eo negatam ſimpliciter: alij verò creationē in tempore tantùm: alij Ariſtotelem voluiſſe tantùm, mundum per motum non incepiſſe. Certè emanationem rerum ex Deo Ariſtoteles agnoviſſe videtur 2. Rhetor. cap. 23 aſſerit,

 dæmo-

dæmonium nihil eſſe, niſi aut Deum, aut Dei opus. Eodem lib. cap. 2. non dari progreſſum in infinitum in cauſis agentibus, ſed tandem perveniendum ad unam omnium rerum effectricē cauſam, i. e. Deum. Rurſus 12 Metaph. cap. 7 textu 38. ait cœlum & naturam pendere à Deo. Idem lib. 1. de cœlo ponit immortale aliquid & divinum: unde & aliis pendet, his quidē exactius, his autem obſcurius eſſe & vivere. Quod ſi ergo id verū eſſet per naturalem rationis diſcurſum, ad cognitionem creationis & providentię perveniri nō poſſe, nemo unquam naturę ope eò perveniſſet, ab actu autē ad potentiam, argumentum firmiſſimè concludit. Non autem ſequitur, non pervenerunt quidam, ergo eò pervenire non potuerunt; aliā oportuit eſſe cauſam, cum & machina mundi omnibus expoſita, & rationis uſus communis.

Sect. 9. & ſequentibus reſpondet ad argumenta quædam, ex ſcripturis proferri ſolita, pro naturali cognitione Dei, ac primò quidem ad teſtimonium Pſalm. 19. Verum adverſarij reſponſio nullo modo cum veritate conſiſtit; nullo enim indicio ex Pſalmo allato probatur, pro conceſſo ſumi cœlos à Deo creatos eſſe, idque ab iis, qui eos aſpiciebant, creditum fuiſſe; non enim creationis per Dei verbum revelatio, ejuſdemq; revelationis aſſenſus, huic cœlorum enarrationi & firmamenti annuntiàtioni ſupponitur: nec aliter ſapientia & potentia Dei, ex cælorum, ſolis & ſiderum motu percipitur, quam perceptione ſapientiſſimæ & potentiſſimæ creationis & adminiſtrationis ex iſtâ contempla-

templatione: nec poſſibile eſt potentiam & ſapientiam Dei inde percipere, niſi ſimul creatio & gubernatio inde percipiatur. Non enim indicant Dei ſapientiam & potentiam cœli, niſi quatenus eos creavit & gubernat Deus. Si ergo in cœlorum volumine creatio & providentia non eſt expreſſa, intelligi non poteſt, ſapientiam & potentiam Dei tamen ibidem expreſſam eſſe, & ſi hæc cœlis non obſcuro charactere ſunt inſculpta, hoc ipſo creatio & providentia Dei in illis legi poſſunt: quod ſi ergo contingat aliquem notitiâ creationis & providentię imbutum eſſe, hoc tamen ad hanc cœlorum enarrationem non requiritur, cum ſit effectus ejus, ut documento ſunt Philoſophi omnes, qui ex cœli & terræ contemplatione & ex ſapientiâ & potentiâ, in ſummis, in infimis relucente, numen aliquod ſapiens & potens creaſſe & regere omnia collegerunt: Et rectè ſanè: quot enim argumenta ſunt potentiæ & ſapientiæ, totidem etiam creationis & providentiæ. Deinde hæc cœlorum & cœleſtium rerum actiones, quibus quantum in ſe Deum glorificant, non ſupponunt actum hominis, Deum creatorem omnium, ex verbo ejus agnoſcentis, nam omnibus indifferenter enarrant, non tantùm Judæis, nam v. 4 Pſalmiſta ait. *Non ſermo non verba, ubi non audiatur vox eorum*; non ergo enarratio hæc creationis fidem ex Dei verbo ſupponit. Illa univerſalis eſt, hæc non. Hoc rectè animadvertit perſonatus ille Dominicus Loper (quiſquis fuerit ille ſcriptor) in præfatione libelli, de ſacræ ſcripturæ authoritate.

Verba ejus ibi ſunt: *Namque ſuperior & inferior cœlorum regio, ſchola eſt, quâ homines, vel ipſo tantùm ſpectaculo illius diſcordis concordiæ, rerum atque effectuum ab ipſo editorum, ſapientiam eos, virtutemq; ſempiternam docentur. Prælectiones autem hujus ſcholæ nunquam intermittuntur, imò aſſiduæ ſunt. Nam dies ſuam partem docet, nox rurſus etiam ſuam, neque opus eſt longo itinere, ut perveniatur ad ſcholam hanc; namque ipſa omnes homines ubique continet. Neque varias linguas diſcere opus eſt, in quibus hæc ſapientia contineatur, namque cœlorum ſermo cunctis eſt notus, & vox etiam ſine ullo ſono auditur. Ipſi præceptores cœlum, dies, nox, æther, & cæteri ſuas ſententias perferunt in omnes hominum regiones, hoc eſt ſuis motibus & efficientiis omnes (qui inſtrui velint) inſtruunt. Porro inter hos præcones & prælectores, unus maximè conſpicuus eſt ſol, qui lumine efficientiiſque ſuis omnia luſtrat, & pervadit, idque celerrimè. Quòd ſi quiſpiam cæcus ſit, qui ſolem ſibi viſum neget; at non negare poteſt, ejuſdem caloris ſenſum, qui ad infimas uſque terræ partes & maris penetrat.* Nec abſurdum ut exiſtimat Socinus, ex cœlis Dei tanquam creatoris gloriam agnoſcere, & ipſum ex iis ſimul, pro ipſorum creatore agnoſcere: nã 1 Dei creatoris gloria agnoſcitur hoc ipſo etiam, quod creator agnoſcitur. 2. Quanto penitius potentia & ſapientia Dei cognoſcitur, tanto penitius etiam ipſum creationis opus. Et cum firmamentum annuntiat opus manuum Dei, non volumus indicatum eo opus creationis & providentiæ in ſenſu præciſivo; ſed ſimul qualitatem operis:

quæ

quæ duo nec dividenda, nec opponenda, ſed conjungenda: ſenſus enim eſt firmamentũ teſtari de ſapientiſſimâ & potentiſſimâ Dei creatione & adminiſtratione. Nec aliud intendit Georgius Buchananus, in poeticâ ſuâ paraphraſi, in quâ ſic ait. *Inſanientis gens ſapientiæ, addicta mentem erroribus impiis, tot luce flammarum coruſcum, cerne oculis animóque cœlum: hinc diſce prudens, quàm fuit artifex, qui templa olympi fornice flammeo ſuſpendit, & terræ capacem, & pelagi ſinuavit arcum.* Johan. Campenſis in Enchirid. Pſal. eorundemq; paraphraſi, ſic habet. *Ipſi cœli commemorant gloriam Dei, & quàm potente uſus ſit manu in condendis operibus ſuis, palam facit tam vaſtus cœlorum ambitus.* Nihil autem ad rem, etiamſi annuntiandi verbum ad nomen gloriam referretur; idem enim ſenſus eliceretur quod ad rei ſubſtantiã, ut taceam iſtam perturbationem ordinis verborum duram & violentam eſſe, & ſine ratione, cum vox annuntiandi ſit poſita inter opus manuum & firmamentum. Quod deniq; hic adfert, *de appellatione omnis terræ, quod iis vocibus Judæa terra intelligi ſoleat*, ad rem non facit, cum jam oſtenſum ſit, per omnem terram hic non intelligendam Judæam tantùm terrã, ſed & reliquas orbis partes. Præmiſit enim Deus naturam magiſtram, ſubmiſſurus & prophetiam, quo facilius credas prophetiæ, diſcipulus naturæ.

Sect. 10. Quapropter progredior ad refellendam reſponſionem Socini, quam adfert ad locum illum ad Rom. 1. com. 20. Hic ſi verba

ἀπὸ

Iam inde à condito mũdo.

ἀπὸ κτίσεως κόσμου, conjungantur cum verbo inviſibilia, ſenſus eliceretur falſus, & à Paulinâ mente alienus, quapropter cum verbo conſpiciuntur conjungenda ſunt: non enim agitur de Deo, ut per Euangelium in Chriſto Mediatore nobis revelatus eſt, ſed de ejus per opera naturæ patefactione, ac propterea hic locus alterius eſt argumenti, quam ille Matth. 13. v. 35. in quo ut ex ipsâ inſpectione textus manifeſtũ, agitur de myſteriis in Euangelio revelatis: plura qui cupit de hoc loco, conſulat examen noſtrum Socin. contra Wiel. ubi probavimus nõ agi hîc de operibus Chriſti & Apoſtolorum, & reſpondimus ad omne id, quo adverſarius ſuas ad hunc locum exceptiones firmat.

Sect. 11. Hunc locum, qui pro Theologiâ & cognitione naturali, præter alios afferri ſolet, Socinus ad ſanctam vitam, & benevolum Dei affectum in obedientes mandatis ſuis refert, ſed iſta tum quæſitionis, tum inventionis Dei expoſitio ad locum præſentem non quadrat; quæſitio & inventio Dei non ſunt actus realiter diſtincti apud Paulum, ut unus antecedat, alter conſequatur: ut prior ſit actus in Deum tendens ut præſcribentẽ, alter in Deum ut remunerantem; ſed diſtinguuntur hic tantum ut actio, & terminus actionis, ut actio & apoteleſma actionis reſultans ex actione ipsâ, ſine alicujus novæ actionis interventu. Sic cum mulier Luc. 13. 8. Drachmam quæſitam inveniret, erat inventio iſta terminus intrinſecus inquiſitionis inſtitutæ, talem etiam habitudinem inter ſe habent illa quæſitio & inventio,

de

de quâ Paulus agit; nam præterquam quod ſtylus loquendi id ſatis præ ſe fert, verba illa, *ſi forte*, manifeſte indicant, non indicari iis verbis Dei erga cultores ſui beneficentiam: ſic enim illa nota addubitandi non fuiſſet adjecta, eſt enim certiſſima Dei in cultores ſui beneficentia: nam ut Socini hoc loco verbis id dicam, *non eſt dubitandum, quin ſanctè viventibus praſto ſit*; nota ergo dubitationis adjecta ab Apoſtolo indicat ſermonem eſſe de inquiſitione, quâ Deus incognitus quæritur, quidum cognoſcitur, invenitur: quia autem hæc via inquiſitionis minus expedita eſt propter denſiſſimas tenebras, quibus humana mens eſt involuta, & ingenij humani per hanc viam progreſſus admodum lubricus & incertus, Apoſtolus hoc eleganter notâ iſtâ dubitandi declaravit, ac propterea quamvis vox græca ψηλαφάω, utramq; ſignificationem, contrectandi & palpandi admittat, eligenda hîc palpandi ſignificatio, quę appoſitiſſimè nobis eam rem ob oculos ponit; palpare enim cœcorum eſt manu veſtigantium, ut ait Eraſmus in annotationibus ad hunc locum. Sequitur in textu Apoſtoli, quem ſub manibus habemus, *quamquam non longe eſt ab unoquoque noſtrum*, quæ verba Socin. de divinâ in omnes homines beneficentiâ exponit, ſine causâ: verba ſumenda prout jacent & ſonant: quomodo enim verbis magis claris & planis eſſentiæ divinæ propinquitas exprimeretur. Deinde ſi Deum inveniri, & non longè eſſe ob unoquoque noſtrum æquipollentia eſſent: cur ergo Paulus non

non potius in eodem loquendi genere perſtitiſſet. Accedit quod ſi Deus quadantenus ab omnibus & ſingulis inventus eſt, nulla eſt contrarietatis ſpecies, inter Dei inquiſitionem, per obſervationem præceptorum Dei, & hanc bonitatis præſentiam; cum nihil magis ſit conſentaneum, quam eos Dominum colere, qui eundem erga ſe propitium experiuntur: At quæri Dominum, & eundem non longè abeſſe ab unoquoque noſtrum, ſecundum apparentem quandam rationem diſſentanea ſunt Apoſtolo: tam enim hæc verba commodam relationem habent ad quæſitionem Domini, quam inventionem. Denique Deus in ſingulos promiſcue beneficus. Quis neget? Ecce, inquit Seneca, ſceleratis ſol oritur, & piratis patent Maria 4. de benefic. cap. 26. rurſum 7 de benefic. cap. 3, beneficia ſua ignorantibus dare incipiunt, ingratis perſeverant ibid. Et nihilominus more optimorum parentum, qui maledictis ſuorum infantium arrident, non ceſſant beneficia congerere, de beneficiorum auctore dubitantibus; propter hanc tamen beneficentiam, quâ bonis & malis benefacit Deus, impijs non propinquus, aut favore ſuo adeſſe dicitur: iſta enim favoris divini propinquitas ad pios reſtringitur.

Sect. 12. Quia facilè videbat adverſarius, contra iſtam ſuam Paulini Teſtimonij explanationem, etiam eâ datâ, objici poſſe, ſequi eſſe aliquam naturalem Dei cognitionem, cum Dei obedientia ſine ejus cognitione eſſe nequeat. Ad iſtam objectionem diluendam, duo

hic

hîc à ſe reſponderi poſſe putavit, negans hanc obedientiam ſupponere aut inferre aliquam naturalem Dei cognitionem. Primò reſpondet, *potuiſſe homines Deum quærere beneficio ſupernaturalis patefactionis* : at Paulus nequaquam agit de inquiſitione,quę innititur ſupernaturali patefactioni : nam ſecula iſta quibus divina patefactio duravit,tempora ignorantiæ non ſunt: iſta Paulo ſunt , quibus ſe & voluntatem ſuam gentibus verbo non annuntiavit, ut planum eſt ex v. 30; tempora tamen iſta Paulo erant ea , in quibus quæri debebat Dominus: longè anguſtioribus cancellis Dei patefactio concluditur,quam quidem hanc quæſitionem Domini concludi oportuit; hæc enim non alios fines habebat ,quam orbis habitabilis,& ad omnia tempora uſque ad Domini adventum expenditur : neque enim, ut putat adverſarius,de tempore ante diluvium ſolummodo loquitur Apoſtolus ; aut de iis temporibus, quæ propius tantum à diluvio abfuerunt , ſed de temporibus, quæ in eum uſque diem porriguntur,quibus Paulus Deum ignotum Athenienſibus , antea annuntiabat : non gentes ante diluvium tantum,aut poſt diluvium Dominum quærere debuerunt,ſed omnes eæ,ad quas beneficentia divina , quæ gentem hominum per univerſam terram diſperſerat , extendebatur , inter quos erant Athenienſes ipſi,quibus etiam crimini datur , quod Dominum non quæſiverunt , ad quos tamen Dei patefactio non pervenerat. Et ſi in primis gentibus,à fœdere Dei deficientibus , culpâ hominum lumen divinæ cogni-

cognitionis ſit extinctum, ſequitur, tum Deum quærere non potuiſſe, ſecundum hujus ratiocinationis ſuppoſitum, quo datur ad obſervationem mandatorum Dei aliquam ejuſdem cognitionem neceſſariam eſſe. Quod ſi velit tantùm gentes nihilominus ad quęrendum Deum fuiſſe obligatas, etſi jam culpâ ſuâ ineptæ ad quærendum Dominum: dico de eo, non eſſe quæſtionem quid debuerint, ſed quid potuerint; interim ſi velit impotentiam voluntariâ culpâ contractam, debitum non tollere, accipimus quod dat. Deinde ſi Dei patefactio cauſa propter quam homines potuerunt Dominum quærere, ſequetur, gentes iſtas nullatenus potuiſſe, quæ lumen illud divinum in ſeipſis extingui non ſiverunt, cum id nunquam habuerint. Tales profectò illæ, quas Deus præteritis ætatibus ſivit in ſuis ipſarum viis incedere Actor. 14. 16, quanquam enim Deus οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, non tamen verbo ſe & voluntatem ſuam exponens hoc fecit, ſed ἀγαθοποιῶν, dans cœlitus pluvias, ac tempora fructibus edendis apta: ſunt loca plurima, quæ apertè hoc docent ut Pſal. 147. 19 Eph. 2. 11. 1. Pet. 2. v. 10. quod ſi verò gentes iſtæ nõ potuerunt, vix credo Socinum velle nihilominus illis præceptum hoc fuiſſe, cum nullâ ſuâ culpâ hanc impotentiam ſibi contraxiſſent; ſed ſi quæ hîc culpa, illa tota in majoribus earum gentium non in ipſis reſidebat. Socin. enim jud. lib. 3 de Servat. c. 3. *Deus non punit peccata patrum & filiis, ſi filij ſimiles patrum ſceleſtorum non fuerint.* Dices, etſi gentes iſtæ lumen divinum

Non paſſus eſt ſe expertem teſtimonii.

vinum non habuerunt, habere tamen potuerunt, facientes quod in ſe ut ſcholaſtici dicunt. Verùm nec hoc hic dici poteſt, cum hæc prima adverſarij reſponſio largiatur, Deum nullo modo quæri poſſe, ſine prævià cognitione, quare non poteſt dici, obedientiâ acquiri potuiſſe eam cognitionem Dei, quæ eſſe debebat in homine antequam obediret.

Altera ejus reſponſio eſt, *ſine ullâ Dei cognitione, omnes ſemper homines Deum quærere potuiſſe, juſti & injuſti diſcrimen obſervantes, quod in omnibus*, inquit, *naturale eſt*, vel ut ſeipſum corrigens ait, *in omnibus hoc ſitum eſt, ut cognoſcant & fateantur, juſtum injuſto anteponi debere, honeſtum turpi:* ne quidem ergo Socino certum eſt illud prius, quamquam nullam hic dubitationi aut alternationi iſti locum relinquat. Præclarum Apoſt. Pauli hac de re teſtimonium ad Rom. 2. cap. v. 14. 15. ab inſcriptâ autem lege & conſcientiâ indita, valet illatio ad inſitam Dei cognitionem. Probatur primò, quod ad prius, de inſcriptâ lege: non eſt poſſibile, ut quis ſentiat & legat in ſe legem, niſi cognoſcat tacito cordis motu legislatorem; quid enim eſt lex, quàm præſcriptio & mandatum ſuperioris de faciendis & non faciendis? legem ergo nemo in ſe ſentire poteſt niſi cogitet de aliquo ferente legem: quid lex eſt in corde, quàm vox legislatoris, ſonans in corde? nec poteſt lex, niſi cogitetur de legislatore, vim ullam aut authoritatem obligationis adferre. 2. gentes ita ſibi ipſis lex fuerunt, ut & de obſervatione legis ſibi bene pollicerentur, propter tranſgreſ-

ſionem malè metuerent, quæ duo, manifeſta ſunt agniti numinis argumenta, de quâ re ſic pronuntiavit Apoſtol. ad Rom. 2. v. 32. *Qui Dei jure agnito, eos, qui talia agunt, dignos eſſe morte &c.* Ex hac impreſſâ legis ſanctione, & juris divini ſenſu in peccatores, pullularunt judicia, quibus ſe mutuò condemnarunt Rom. 2. com. 1. quæ judicia conſcientiæ, præludium & præſagium, judicij divini, fuere. Conſcientia numen quoddam repræſentativum, & Dei quaſi in terris vicarius, non tantùm teſtis oculatus eſt, inſpector & obſervator omnium, quę agit homo, de omnibus teſtimonium perhibens, ſecundum veritatem ſecundũ cauſę meritum accuſatoris aut defenſoris partis agens; ſed etiam judicis officio fungens, pro ratione cauſę, contra vel pro homine pronuntians, pręmio aut pœnæ addicens; cujus etiam ſententię eſt executrix, gaudio & ſpe bonâ paſcens animam benefacientem, excrucians & horrore percellens impium: qui motus ſane dictitant numen eſſe, quod bonis benè, malis malè velit, cum iſta etiam in occultiſſimis peccatis, quibus nullus ab humano judicio metus, locum habeant: ſperare autem aliquid, aut metuere à numine, quod nec eſſe ſcias nec cogites, eſt impoſſibile.

Sed præterea omnium ſeculorum experientiâ eſt comprobatum, omnes gentes quæ juſti & inhoneſti rationem habuerunt, ſimul etiam numinis alicujus reverentiâ imbutas fuiſſe: divortium facit Socin. inter ea, quæ indivulsâ ſocietate ſemper cohæſerunt. Vita religione

conſtat

conſtat Plinius lib. 14. natur. hiſtoriæ. Omnia proſpera eveniunt Deos colentibus, adverſa ſpernentibus Livius lib. 5. commendat in utraque fortunâ ſacrorum ritus Tacitus 11. annal. Et quis ille qui probitatem inſuſurravit, cui nulla de numine aut religione cogitatio? Salluſtius ad Cæſarem, namq; mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vitam, divino numine inviſi; neque bonum neque malum facinus cujuſquam pro nihilo haberi, ſed ex naturâ diverſa præmia bonos maloſq; ſequi. Conſcientia numinibus matrix omnis probitatis & honeſti. Etiamſi verò rei natura pateretur hæc diſtingui, non tamen iſtiuſmodi obedientia Deo grata eſſe poſſit; damnat Paulus in Athenienſibus ignoti Dei cultum, de quo tamen vaga illis & non omnino nulla cogitatio; & repudiat Chriſtus Samaritanorum caſtus, quia adorabant, quod neſciebant, nec poteſt Socinus, cum ſint ſexcenta teſtimonia in contrarium, vel unum proferre locum ex ſcripturis, quo doceatur, Deo obedivisſe, qui Deum eſſe neſcirent, aut quæſiviſſe & inveniſſe Dominum, qui ne cogitaverunt quidem an eſſet. Hæc certè portenta ſunt opinionum: hæc caput aureum non habent, non fulgent ſed ſordent, quò hæc abeunt? quò ducunt? Petrus Apoſt. in quavis gente acceptum eſſe ei, ait quemvis, qui eum timeat, tu prædicas ex cerebro tuo, gratos etiam eſſe potuiſſe Deo, qui Deum non timerent: nullus enim timor numinis eſſe poteſt, ubi nulla de numine cogitatio. Accedit non ſine ratione, ex adverſarij dictis, cum diſcipuli ejus Smalcij

 collatis,

collatis, colligi hos neſcios Dei cultores ſalvandos fore, cum hoc ſolo credentes ab his diſtinguat, primâ reſponſione ad objectum ex Heb. 11. v. 6. quod Deus ſe illis patefecerit. Si ergo ex Smalcij ſententiâ omnes fideles ſalvandi lib. de divinitate Chriſti cap. 7; & non obedientiâ, ſed ſolâ patefactione hi & illi diſtinguantur, quæ patefactio Dei donum, non res humani arbitrij, ratione horum, ut ex adverſarij dictis colligitur; non male quis, ex horum hominum hypotheſibus concluſerit, hos etiam ſervandos, idque eo magis, cum in die judicij non ſint reputandi inter injuſtos qui ſunt condemnandi, neceſſariò reputandi erunt inter juſtos, qui ſunt ſalvandi; cùm tertius & medius inter hos duos ordo non detur. Contra hoc non facit, quod & alteram reſponſionem ad hunc locum adfert, nimirum fidem non ad quemlibet, ſed ad ſingularem Dei favorem neceſſariã eſſe, nihil inquam hoc officit, cùm reſponſionem prius datam etiam probet; nunc hoc nunc illud de ſuo dicens, & in cogitationibus ſuis ſpeculans, nullis legibus è ſacris ſua figens. Fidem ait non eſſe ſimpliciter neceſſariam, ſed poſitâ tantùm patefactione: atheos Deo poſſe eſſe gratos: fidem tantum eſſe medium ſingularis favoris. De his ita ex autoritate rationis ſuæ ſtatuit, quia ſic placet: hæc ſane temerè & non validis rationibus ſuffulta proponuntur, quod tamen Smalcius gloriatus eſt in præfatione Socinum perpetuò facere.

Cap. III.

Vtrum primus homo ante peccatum juſtitiam aliquam originalem habuerit?

PLeriq; omnes eum illam habuiſſe affirmant. Sed ego ſcire velim, ecquid juſtitiæ originalis nomine intelligant. Nam ſi eam conditionem intelligunt, ut non poſſet peccare, qualem bonos Dei angelos nunc habere credimus, eam certè non habuit Adamus, cùm eum peccâſſe conſtet. Neque enim peccâſſet, niſi priùs peccare potuiſſet. Quòd ſi ipſum non peccare antequàm peccâſſet intelligunt, ridiculum iſtud eſt, & quæſtio prorſus inepta. Quis enim neſcit, neminem peccare antequàm peccet? At enim dicent, peccati nomen in propoſita quæſtione, non omne peccatum, ſed tantummodò delictum illud ex vetita arbore comedendi ſignificare, & Adamum idcirco ante illud delictum juſtum fuiſſe, quia nullum aliud peccatum antea commiſiſſet. Verùm iſta juſtitia non originalis, ſed actualis fuiſſe dicitur. Aut ideò ante delictum illud non peccavit Adamus, quia nullum Dei mandatum ſibi traditum tranſgreſſus eſt, aut quia nihil adverſus propriam conſcientiam commiſit. Si priore modo, rurſus diſtinguo. Nam, aut nullum aliud habuit Dei mandatum, aut aliquod habuit. Si nullum habuit, neque etiam ullum tranſgredi poterat. Quomodo igitur juſtus cenſendus eſt, quia id non fecerit, quod etiamſi maximè 1.

voluiſſet, vel alioqui facturus fuiſſet,tamen facere non poterat? Si aliquod habuit, dicant quodnam fuerit, idque ab ipſo conſervatum fuiſſe doceant. At verò ſi altero modo, probent Adamum ante illud delictum nihil contra propriam conſcientiam feciſſe, id quod certè nunquam probabunt. Concludamus igitur, Adamum etiam antequàm mandatum illud Dei tranſgrederetur,reverâ juſtum non fuiſſe,cùm nec impeccabilis eſſet,nec ullam peccandi occaſionem habuiſſet: vel certè juſtum eum fuiſſe affirmari non poſſe, cùm nullo modo conſtet, eum ullâ ratione à peccando abſtinuiſſe.

2. Sed ſunt qui dicant, originalem primi hominis juſtitiam in eo fuiſſe,quòd rationem appetitui ac ſenſibus dominantem haberet, eoſque regentem, nec ullum inter ipſam & illos diſſidium eſſet. Verùm nullâ ratione adducti hoc dicunt, cùm potiùs ex eo quòd Adamus deliquit, appareat appetitum ac ſenſus rationi dominatos fuiſſe, nec benè inter hanc & illos anteà conveniſſe. Verùm tamen ut probent Adamum originalem aliquam juſtitiam ante delictum habuiſſe, & juſtum à Deo creatum fuiſſe, hiſce rationibus & teſtimoniis potiſſimùm utuntur.

3. *Primò*, quia hominem ad Dei imaginem
Gen. 1. 26. & ſimilitudinem conditum fuiſſe legimus. Igitur,cùm Deus ipſe bonus & juſtus ſit,neceſſe eſt, ut homo ſimiliter bonus & juſtus ab ipſo initio fuerit. Reſpondeo primùm,iſtam divinam imaginem & ſimilitudinem in homine, non ad omnia referri, quæ in Deo ſunt; alioquin

quin, ut cætera omittam; quæ quilibet per ſe animadvertere poteſt, immortalis ab initio homo fuiſſet, quod contra ſe habere jam oſtenſum eſt. Deinde, ſi homo Deo ſimilis in juſtitia & bonitate conditus fuiſſet, impeccabilis creatus fuiſſet. Eatenus enim Deus bonus & juſtus eſt, quatenus malus & injuſtus eſſe non poteſt. Sed impeccabilem hominem creatum non fuiſſe, ſupra demonſtratum fuit. Præterea, ſi in eo divina imago & ſimilitudo in homine fuiſſet, quòd juſtus creatus eſſet, certè poſt peccatum imago illa & ſimilitudo deleta in homine fuiſſet: (iſtâ enim originali juſtitiâ voluit univerſum humanum genus poſt peccatum caruiſſe) & tamen etiam poſt peccatum homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei factus dicitur, Gen. 9. 6. Jac. 3. 9. Dei imago & ſimilitudo, ad quam conditus homo, ne in ipſa quidem mente ac ratione, unde omnis juſtitia in illum derivari poterat, præcipuè conſiſtit, ſed in dominatu rerum omnium, præſertim inferiorum, ſex illis diebus à Deo creatarum, ut ſatis patet ex loco ipſo, ubi primus homo ad Dei imaginem & ſimilitudinem factus fuiſſe narratur, Gen. 1. 26. Nam & imago divina quam in altero ſeculo habituri ſumus, in eo conſtituta eſt, quòd omnibus inimicis noſtris & morti ipſi atque inferno pleniſſimè dominabimur; nec aliquid præſtantius in Deo eſt, quàm cunctarum rerum dominatus atque imperium. Non poteſt quidem homo hîc in terris imaginem iſtam divinam habere, niſi alia imago præcedat, id eſt,

mens & ratio ejuſque uſus, quo ſi hominem ſpolies, tantum aberit, ut cæteris rebus imperet, ut ipſe omnium ſit ſervus. Non poteſt etiam in cœlis imaginem illam divinam, quã diximus, adipiſci, niſi alia imago antecedat, ſanctitas ſcilicet & innocentia, ad quam imaginem novus homo hîc primùm conditus eſt.

4. *Secundò*, ex eo argumentantur, quòd Deus viderit cuncta quæ feciſſet eſſe valdè bona. Gen. 1. 31. Nam inquiunt, igitur homo, quem Deus fecerat, erat valdè bonus, ob idque juſtus. Reſpondeo, ibi non de animi bonitate, nec de juſtitia ſermonem eſſe, ſed de aptitudine & convenientia ad id, quod Deus anteà ſibi propoſuerat. Tranſlatio eſt enim ab opificibus, qui opus ſuum jam perfectum contemplantur, ut ſi propoſito ſuo reſpondeat, approbent: ſin minùs, aut corrigant, aut abjiciant. Vocabulum verò bonum in Hebræo *Tobb* eſt, quod pulchritudinem atque convenientiam quandam ſæpiùs ſignificat, ut hi loci inter cæteros oſtendunt. Gen. 2. 18. & cap. 6. 2. Exod. 2. 2. 1. Sam. 9. 2. Nec verò idcircò ſcriptum eſt, Deum vidiſſe cuncta quæ fecerat eſſe valdè bona, ut nos Dei operibus ea omnia tribuamus, quæ nobis bona eſſe videntur, ſed ut, etiamſi aliquid in ipſis nobis animadvertere videremur, quod minùs conveniret, nos graviter labi ſciremus, utque à curioſè iis examinandis, tanquam iis, in quibus aliquid deſiderari poſſit, temperaremus. Huc adde, quod non ad ſingulas res ipſas à Deo creatas, ſed ad univerſa opera ſex illis diebus

diebus facta, verba illa referri debent. Quocirca, quod ad hominem attinet, non eſt intelligendum, Deum vidiſſe, ipſum hominem eſſe bonum, ſed bonum eſſe, quod homo a ſe creatus fuiſſet talis, qualem eum anteà Moſes deſcripſerat.

Tertiò, ſic argumentantur: Deus fecit cuncta in ſuo genere perfecta: Sed perfectio hominis eſt, ut ſit juſtus: Ergò hominem juſtum creavit. Reſponſio facilis eſt. Juſtitia enim non eſt perfectio hominis naturalis, ſed voluntaria. Quare non potüit eam homo in creatione nanciſci: ſed ſi libero arbitrio liberaque voluntate, quâ præditus erat, rectè uſus fuiſſet, eam adeptus eſſet. In eo naturalis perfectio hominis eſt, ut omni labe ac vitio careat, hæcque fuit ab initio in primo homine, qui integer & incorruptus creatus eſt: ſed liberâ tamen, ad malum non minùs quàm ad bonum, voluntate. Non poteſt autem iſta perfectio juſtitia, niſi impropriè, appellari, quatenus ſcilicet omnis injuſtitia adhuc abeſt, quod tamen rurſus & ipſum minùs propriè dictum eſt, cùm propriè ab homine injuſtitia abeſſe dicatur, ſi injuſtè agendi occaſione ſæpiùs ſibi oblatâ, nihil injuſtè egerit. Quod certè de Adamo, cum primùm creatus fuit, dici non potuit, ſed nec etiam toto illo tempore, quod tranſgreſſionem divini mandati præceſſit, cùm injuſtè agendi nulla (quod ſciamus) illi occaſio præbita fuiſſet, præter illam quam non omiſit, & ſic divinum mandatum eſt tranſgreſſus. 5.

Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, patet reſponſio ad id, quod quarto & ultimo loco aſferri pro adverſariis poteſt ex Salomone; qui inquit, Deum feciſſe hominem rectum, Eccl. 7. ver: ultimo. Rectus enim fuit homo à Deo creatus, quia nihil pravi ab initio in homine fuit, ſed is una cum poſteritate ſua, pravitatem propriâ voluntate accerſivit, ac ſibi comparavit, quemadmodum ex eodem ipſo Salomonis loco ſatis intelligi poteſt.

Refut. Cap. III.

Vtrum primus homo ante peccatum juſtitiam aliquam originalem habuerit?

DUæ ſunt hujus cap. partes, utraque autem inſtituta elenc̃ticè: negativam tenet Soc. parte priore variis argumentis & rationum dilemmatibus, dogma de juſtitiâ originali primi hominis adoritur Sect. 1, 2. In ſecundâ cap. parte reſponſiones adfert, ad quatuor ſcrip. teſtimonia; quæ ſingulis ſectionibus, à me notatis diſcutiuntur.

Sect. 1. Ante omnia tenendum hîc, quid ſit juſtitia originalis, ut ſtatum controverſiæ rite formatum habeamus. Communis itaque & recepta ſententia eſt juſtitiam originalem eſſe juſtitiam homini concreatam, cum ipsâ ſui creatione datam, ita ut prius tempore homo non fuerit, quàm juſtus homo: eam, inquam, juſtitiam originalem dicimus, quæ non eſt humanæ actionis, ſed divinæ creationis, quod

adeo

adeo tritum & pervulgatum eſt in Theologorum ſcriptis, ut mirum ſit à Prælectore quæri, quid juſtitiæ originalis nomine intelligant, quaſi quis ita inſaniat aut inſanire poſſit, ut neget fieri potuiſſe quod factum confiteatur. nec minus ineptè movet num intelligant Theologi non peccaſſe primum hominē, antequam peccaverit: quæſtio quam vel puer riſu excipiat: quis ergo tam fatuus, aut aliquâ ratione utens, ut credat quempiam ſanæ mentis ita κορυβαντιᾶν. Adam autem cum juſtus fuiſſe dicitur, antequam ex vetitâ arbore comederet, juſtitiâ quidem originali juſtus fuit, ſed non ſolâ, nam etiam aliquam actualem habuit, idcirco Adamus quidem juſtus fuit juſtitiâ actuali, quia peccatum non admiſit, ante eſum ex vetitâ arbore, ſed ab eo non denominatur juſtus juſtitiâ originali, quæ originalis dicitur, quia non eſt actualis. Etiamſi ergo Adamus ante eſum de arbore vetitâ, actualiter juſtus non fuiſſet & mandatum etiam aliud, aut externum aut internum fuiſſet tranſgreſſus, hoc tamen nullo modo concuteret ſententiam de juſtitiâ originali; cum nihil impediat eum qui originaliter eſt juſtus, nullâ juſtitiâ tamen actuali juſtum eſſe. Quare etiam admiſsâ totâ illâ operoſâ adverſarij diſputatione, quâ arguit, temerariã affirmationem omnem, quâ aſſeritur aliqua actualis primi hominis juſtitia, ante eſum de arbore vetitâ, nihil tamen contra juſtitiam originalem concluditur. Eam itaque ad præſentem quæſtionem, non facientem prẹterire poſſem; nam noſtra hoc loco controverſia, non eſt de

Inſanire.

de actuali, ſed de originali juſtitia? examinabimus nihilominus quæ adfert, & quid cornutis ſuis argumentis efficiat, videbimus. Theſin itaque illam etiam noſtram facimus: *Primum hominem juſtitiâ actuali, ante eſum de arbore vetitâ juſtum fuiſſe.* Contra hanc theſin Socinus hoc pugnat dilemmate. *Aut ideo ante illud delictum, primum vulgò dictum, non peccavit Adamus, quia nullum aliud Dei mandatum ſibi traditum tranſgreſſus eſt; aut quia nihil adverſus propriam conſcientiam commiſit.* Ad utramque minoris partem ſtabiliendam ſuos proſyllogiſmos adfert. Priorem minoris partem novo dilemmate confirmat; Dicens: *aut habuit aliquod Dei mandatum, aut non habuit &c.* fatemur non entis nullas eſſe paſſiones : obedientiam mandati non eſſe niſi ſit ; nec juſtum quempiam dici poſſe, ab eo quod ſervaverit mandatum, quod non eſſet, hoc enim apertè ſatis contradictionē implicat. Etſi ex Dei verbo ſapere velimus, nullum mandatum externum , præter illud de arbore , accepiſſe primum hominem, tenendum erit: quia Moſes accuratiſſimè deſcribens colloquia à Deo cū primo homine inſtituta, & legislationem illi factā, procul dubio non reticuiſſet eam rem, ſi plures leges illi tuliſſet. Quod ſi quis ponat iſtum caſum, habuiſſe mandatum aliquod etſi ſcriptū non ſit, conſervatum id fuiſſe à primo homine, ex eo docetur, quod Apoſtolus Paulus ſine ulla diſtinctione dicit; Per unum hominem peccatum venit in mundū Rō. 5. v. 12: peccatum hominis quo omnes mortui, lapſum, unū lapſum unius hominis inobedientiam

tiam appellat,nullâ adhibitâ diſtinctione,quæ hic neceſſaria fuiſſet: nam alioqui incertum, quodnam peccatum illud ſit, quod per unum hominem venit in mundum; aut lapſus & inobedientia quæ mortis & condemnationis cauſa,cum non tantùm eſus de arbore vetitâ mors ſit ſtipendium, ſed peccati ut pronuntiavit Apoſtolus Roman.6. com. 23. cum ergo Paulo generales illæ locutiones idē valeant,ac ſi hoc in ſpecie peccatū ejus de arbore vetitâ appellaſſet,apparet primum hominem nullam aliam Dei legem primò tranſgreſſum fuiſſe. Ex hac ratione ſimul efficitur contra conſcientiam nō peccaſſe ante delictum illud.Amplius utrumq; probatur ex hiſtoriâ Geneſ. ubi narratur poſt eſum demum de arbore vetitâ, agnoviſſe primos parentes,quod eſſent nudi Gen.3.com.7. Quod ſi prius peccaſſent, prius etiam nuditatis puduiſſet eos, ac Deum offenſum timuiſſent Gen. 3.10. Ex iſtâ agnitione nuditatis, colligit Deus hoc delictum eſus de arbore vetitâ, quod inde non rectè colligeretur, ſi alia etiam in homine cauſa eſſet agnitæ nuditatis. Denique adverſarij dilemma, *Aut ideo ante delictum illud non peccavit Adamus,quia nullum Dei mandatum ſibi traditum tranſgreſſus eſt, aut quia nihil adverſus propriam conſcientiam commiſit*, vitioſum eſt, cum conſtet inſufficienti enumeratione partium: nam quid obſtat, quominus juſtus fuerit, quia non edit de arbore vetitâ?potuit ſanè prius edere, quàm ederet toto illo tempore, quod tranſgreſſionem divini mandati præceſſit ut loquitur ſect. 5. nā ſimul

ac

ac Satanas cogitaret de ſeducendâ Evâ vel antequam omnia iſta argumenta proponeret, edere potuit. Smalc. contra Frantz. diſput. 2. pag. 44, 45. nobiſcum facit cum ait, *ſimplicitas & innocentia ſi tribuatur Adamo ante lapſum, ſatis ſuperque eſt.*

Sect. 2. Videtur in hac juſtitiæ originalis deſcriptione Prælector noſter ad Pontificios Scholaſticos reſpexiſſe, qui ſentiunt cum homo conſtet ex naturâ ſpirituali & ſenſibili, ſecundum illam habere propenſionem rotionalem ad bonum ſpirituale, ſecundum hanc, appetitum ad bonum ſenſibile. Ex hac hominis compoſitione & contrariis rationis & appetitus propenſionibus naturale quoddam in homine diſſidium exurgere ſentiunt, ac propterea divinam providentiam, ut docet Bellarm. lib. de gratiâ primi hominis cap. 5. initio creationis ut remedium adhiberet huic malo, ſeu languori naturæ humanæ qui ex conditione materiæ oriebatur, addidiſſe homini donum quoddam inſigne juſtitiam videlicet originalem, quâ velut aureo quodam fræno pars inferior parti ſuperiori, ut pars ſuperior Deo facile ſubjecta contineretur. Eodem cap. paulo poſt. *Quare non magis differt ſtatus hominis poſt lapſum Adæ, à ſtatu ejuſdem in puris naturalibus, quàm differat ſpoliatus à nudo, neque deterior eſt humana natura, ſi culpam originalem detrahas; neque magis ignorantiâ & infirmitate laborat, quam eſſet & laboraret, in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ, non ex alicujus doni naturalis carentiâ, neque ex alicujus malæ*

malæ qualitatis acceßu,ſed ex ſolâ doni ſupernaturalis ob Adæ peccatum amiſſione profluxit, & *hanc dicit communem Scholaſticorum ſententiam*. quæ ſententia Pontificiorum, non uno modo peccat: quid enim, cum rectum Deus fecerit hominem, morbidum & languidum in recto creatum exiſtimabimus? An tanta in naturâ à Deo opt. creatâ, diſcordia, ut tertius quidam advocandus fuerit, qui litem componeret, & partes diſſidentes ad ordinatam concordiam redigeret? Et cum corruptionem naturæ, naturam ut ſic nuncupat Bellarminus, non veretur naturam ut à Deo creatam, cauſam facere omnis inordinatæ & peccato inquinatæ actionis, accuſans authorem naturæ, cum vitium tantùm hominis accuſandum ſit. Quamquam autem Bellarm. ſtatuat(ſi tamen ſtatuerit) hoc frænum aureum, cum hac ipſâ naturæ creatione injectum, iſta nihilominus, quæ nos recenſuimus ipſius ſunt. Dixi ſi tamen ſtatuerit, nam inter Scholaſticos ſuper hac re diſſenſio, quam Patres Tridentini non definiunt; nam non dicunt Adamum in juſtitiâ conditum, aut creatum aut factum, ſed conſtitutum eſſe: an ſit in gratià creatus, nec ne, hoc diſputandum Theologis reliquerunt, ut obſervat Banneſius in Thom. 1. p. quæſt. 95. artic 1. Verba concilij ſunt: *Adam prævaricatione ſuâ ſanctitatem & juſtitiam, in quâ conſtitutus fuerat, amiſiſſe*. De peccato originali, prim, decreto ſeſſ. v.

Nihilo melius, ſed ſecius Prælector ſentit, qui rebellioni appetitus adverſus rationẽ, nullum fuiſſe injectum frænum juſtitiæ concedit: nec

nec ullo prę ſidiario milite, vires ejus ebullientes coercitas fuiſſe, adeo ut nunquam inter rationem & appetitus ac ſenſus bene convenerit. Imò verò contra contendit, non rationem appetitui, ſed appetitum rationi dominatum. Sed ajo ex Adami delicto non probari, non dominatam in homine rationem appetitui, aut appetitum dominatum rationi. ſic dominabatur ratio; ut per arbitrium liberum poſſet velle non dominari: peccatum ergo nihil arguit niſi voluntariam conceſſi dominij derelictionem. Jam verò de totâ hac re rectius ſtatui poteſt, juſtitiam nimirum originalem, non eſſe ejuſmodi frænum partibus diſſidentibus naturaliter injectum, ſed dominium conſiſtere, in placidâ rationis & appetitus harmoniâ, ad Deo & voluntati ejus obediendum ſine iſtiuſmodi partiũ diſſidentium conflictu.

Sect. 3. Incipit jam adverſarius reſponſiones ſuas adferre, ad quædam teſtimonia ſcrip. quæ pro juſtitiâ originali afferri ſolent. Ac primò quidem non uno modo reſpondet, ad argumentum à creatione hominis ad Dei imaginem & ſimilitudinem. Hujus argumenti vis ſic demonſtratur: cum fas ſit creaturam rationalem ad Dei ſui arbitrium & normam vitam componere, neceſſe etiam ad hoc fuit ei, creatio in juſtitiâ. 1. quia rationalis natura ut ſit, ſufficere primo homini non potuit, ſine concreato juſtitiæ dono, ad vivendum in juſtitiâ, ut fieri oportebat: nam intellectus & voluntas nuſquam in ſacris agnoſcuntur principia juſtitiæ & ſanctę vitæ, niſi cœleſtibus donis

juſtitiæ

juſtitiæ informata. 2. Cum primi hominis ſine peccato viventis fuerit, perfectè, facilè & promptè operari bonum, non potuit habitus juſtitiæ virtuoſis actionibus ab eodem paulatim acquiri, ſed opus fuit eidem cum ipsâ creatione infundi. 3. Angeli ſunt creati in juſtitiâ, ergo etiam homo. Probatur antecedens, quia angelus defector non ſtetit in veritate Joh. 8. 44. in quâ tamen cum ipsâ ſui origine fuit Jud. v. 6. 4. cum homo in ſtatu fælicitatis ſit creatus, qui actibus juſtitiæ illi non acquirendus, ſed retinendus & continuandus, etiam in ſtatu juſtitiæ creatus, cum juſtitia radix & fundamentum fælicitatis omnis: nunquam enim hæc duo in ſcript. diſiunguntur. Probatur etiam antecedens, quia in Paradyſo amœniſſimo, ubi fælicitas ex voto, tanquam typo cœleſtis Paradyſi, & æternę fælicitatis eſt collocatus. 5. Cum novi hominis imago & creatio ſit in juſtitiâ & ſanctitate Col. 3. 10. Eph. 4. v. 24. ſequitur etiam à primi hominis imagine & creatione, juſtitiam non ſeparandam. Quēadmodum ergo non ſufficit, hominem à vetuſtate peccati liberatum eſſe, ad Deo vivendũ, ſed novis qualitatibus imbutum eſſe, opus eſt. Simile judicium, de primo homine ferendum. Et ſi homo ad hanc Dei imaginem renovatur, creatus aliquando ad eam fuit, cum renovari ſit ad novum priſtinumq; ſtatum reduci. Quin etiam ſi largiamur iſtam hypotheſin, juſtitiam novi hominis, multùm diverſam ab antiquâ juſtitiæ ratione, quia Chriſtus legem multis perfecit, multaq; legis præceptis de novo addidit

(ut quidem adverſariorũm eſt opinio) eo tamen hæc ratio non infringeretur, cum etiã hoc dato fatendum ſit, multa utriq; rationi juſtitiæ communia eſſe, & novam creationem ſive renovationem ad utramque eſſe: cum homini cum ipsâ creatione ſit collatus dominatus rerum omnium, in quo adverſario potiſſimum ratio imaginis divinæ ſita eſt, profectò juſtitię donum etiam adfuiſſe oportuit, *à juſtitia reges* *δικασπόλους* appellavit Homerus; hoc eſt *circa jus occupatos*. Boetius non malè, *annum bonum, non tam de magnis fructibus, quàm de juſte regnantibus exiſtimandum*: in aureo ergo illo & beato ſeculo, Rex regum ſceptrum principi ſuo non dedit abſque juſtitiâ, nec hominem principem tantùm ſed legitimum principem formavit: ut ergo in omni bono principe, juſtitiæ habitus prærequiritur (non enim fieri juſtus, ſed jam eſſe debet) ſic etiam in primo homine: imò tantò magis, quantò hic primi hominis dominatus perfectior & ſanctior omni humano principatu. Has rationes pro ſententiâ veritatis ſufficere arbitramur.

Qui circa jus reddendum verſantur.

Quanquam ergo iſta divina in homine imago, non ad omnia referenda, quæ in Deo ſunt, ad Dei juſtitiam tamen referenda eſt; ad immortalitatem autem quatenus referenda, vel non referenda ſit, patere poteſt ex dictis, & ex iis quæ ſupra de eâ re diſputata ſunt. Cum verò hominem Deo ſimilem, in juſtitiâ conditum affirmamus, rem ipſam, non modum rei, hoc eſt, impeccabilitatem intelligimus; neque enim Deus, quâ bonus & juſtus eſt impeccabilis;

bilis; ſed quia in bonitate & juſtitiâ immutabilis, ſecundum gradum eminentiæ ſibi ſoli competentem; quare etiam homo juſtus creari potuit ad imaginem Dei, etſi non crearetur impeccabilis; quod nec ipſe adverſarius, ita ſe habere potuiſſe diffiteri poteſt, cum novum hominem ad hanc Dei imaginem, conditum fateatur, quem tamen impeccabilem non putat. Porro juſtitia quidem, præcipuum quoddam erat imaginis divinæ, ſed non totum ejus, quare etiam poſt lapſum, quo excuſſa juſtitia, ad Dei imaginem factus dicitur. Non magis itaque ex creatione hominis ad Dei imaginem poſt lapſum concludi poteſt, primi hominis creationem ad Dei imaginem non fuiſſe in juſtitiâ; quàm ex eadem inferri, novum hominẽ, non renovari ad imaginem Dei: quia per generationem naturalem ad Dei ſimilitudinem factus eſt. Juſtitia quidem per lapſum amiſſa, non autem ipſa humanitas, cui eſſentialis eſt mens & ratio; in quâ etiam Dei imago juxta Prælectoris confeſſionem conſiſtit; quod cum & illi, contra quos agit confiteantur, quomodo hoc argumento, ſibi rectè concludere viſus eſt?

Iam verò in dominatu rerum omnium imaginem Dei conſiſtere, non negatur; & datâ etiam iſtâ hypotheſi, in eo præcipuè conſiſtere, quæ tamen probari non poteſt, non evincitur, ad eam imaginẽ, juſtitiam non pertinere, quę in ea pręcipuè ſtatuenda videtur, quia virtute nihil pretioſius: & præſtat revera virũ bonum eſſe quam principem. Dominium juſtitię

 tanquam

tanquam fundamento innititur, virtus abſque dominio ſubſiſtit, non contra, juxta divinam ſcil. & humanam εὐταξίαν. Toto hoc etiam, quod adfert adverſarius, de divinâ futuri ſeculi imagine, conceſſo nihil officietur contra id, quod eſt in quæſtione. Deinde etſi divina futuri ſeculi imago conſtitura ſit in dominio mortis & inferni, non tamen in ſolo Apoc. 22. 3. Apoc. 7. 15. Poſtremò, *nihil* inquit Prælector noſter *in Deo præſtantius, quàm cunctarum rerum dominatus atq; imperium*. At ſubtrahe imperio juſtitiam, tyrannidem inducis. Deo ſubditus aliquando malus angelus, certè tum præſtantior, quam cum per illegitimum principatum hujus mundi Deus quidam factus eſt. Nomen virtutis maximè venerabile nec præſtantius imperium, quàm virtutis. Reges Chriſtiani, à juſtitiæ cultu 1. P. 2. com. 9. Hæc ubi exulat, etiam purpurati ſerviunt 2. P. 2. 19. Chriſtianum verum, rectiùs regem mihi appellaveris, quàm impotentem Tarquinium. Quid regnum eſt? poteſtas inquit in zen. Laertius, nulli obnoxia, hæc juſti eſt, nam liber eſt, non vitiis obnoxius, non alienæ libidini, non ipſi morti, omnia enim ejus ſunt 1. Corint. 3. 22. Auguſtius hoc regnum, quàm ſi *Lybiam remotis, Gadibus jungas, & uterque Panus ſerviat uni*.

Sect. 4. Homo ſecundũ conditionem ſibi debitam, & cunctorum legem, in ſuo ordine bonus creatus; animi bonitate præditus fuit: quia per eam aptitudo & convenientia dabatur illi ad id, quod Deus ſibi antea propoſuerat, ut multis jam oſtenſum eſt: proinde cum fabri-

fabrica hominis, à ſuo opifice ſit approbata, juſtitiâ ornatam eſſe oportuit, cum iſta pulchritudo & convenientia ejus, ad debitam ſtatui ejus bonitatē, omnino requireretur, quod hîc denuó oſtendere ſupervacaneum eſſet. Quamvis autem, quia Deus omnia valde bona fecit, nos non debeamus Dei operibus omnia tribuere, quæ nobis bona videntur, ea tamen iis tribuenda putamus, quæ ſacræ ſcripturæ & efficaces inde ſumtæ rationes, iiſdem tribuenda eſſe commonſtrant. nec quicquam adverſarij cauſam juvare poteſt, quod non ad ſingulas res à Deo creatas, ſed ad univerſa opera, ſex illis diebus facta, verba illa referri debeant: nam ad ſingula referenda ſunt, ſecundum uniuſcujuſque operis ſtatum & conditionem. Quocirca quod ad hominem attinet, intelligendum eſt, Deum vidiſſe, eo quo dictum eſt *ſenſu*, hominem eſſe bonum; & non tantùm, quòd bonum eſſet, quòd homo à ſe creatus fuiſſet; quod etſi verum, non tamen in hoc teſtimonio Moſis diſertè ſcriptum, cum non legatur Deum vidiſſe, bonum eſſe, quod cuncta feciſſet; ſed cuncta quæ feciſſet, eſſe valde bona.

Sect. 5. Ait quidem Prælector, juſtitiam non eſſe perfectionem hominis naturalem, ſed voluntariam. Verùm iſtâ reſponſione ſuâ fallaciam ſectatur, quæ principij petitio dicitur: nam jam oſtendi, ad ipſam primam conſtitutionem hominis eam requiſitam fuiſſe, & ſi juſtitia in Deo eſt perfectio naturalis, cur non & in homine eſſe poteſt? Juſtitiam naturalem

dici poſſe qui negat,tantundem facit ac ſi negaret temperiem humani corporis, atq; adeo ſanitatem eſſe naturalem. Argumentor etiam à contrario. Si pravitas & imperfectio homini eſſe naturalis poteſt, quidni etiam juſtitiæ perfectio? naſcitur cum homine mala cupiditas, ut ſequent. cap. prælegetur.

Pergit *in eo naturalis perfectio eſt, ut omni labe ac vitio careat, & hanc in primo homine fuiße* ait. Tabulam hîc raſam, Chriſtiane lector, nobis depingit, in quâ nihil boni aut mali deſcriptum, addit iſtam injuſtitiæ abſentiam impropriè juſtitiam appellari, quinetiam hoc ipſum minus propriè dici, injuſtitiam in ipsâ creatione ab homine abfuiſſe, cum ipſa propriè loquendo locum non habeat, niſi poſt ſæpius oblatam injuſtè agendi occaſionem. Hæc poſteriora ſi vera ſunt, dicendũ illi fuerat, non tantùm hominem non creatum juſtum, ſed nec, non injuſtũ: ut enim juſtitia voluntaria eſt illi, ità & immunitas ab injuſtitia. non magis ergo integritas & incorruptio, perfectio naturalis, quàm juſtitia. Hoc pacto ergo, quod uná manu dedit, alterâ aufert. Rurſum ſi immunitas à vitio, & voluntarię actionis, & naturalis doni eſſe potuit, (utrumq; enim nobis largitur hic adverſarius) profectò etiam contraria vitio, poſitiva qualitas juſtitiæ. Antecedens argumenti, quatenus in eo aſſeritur, immunitas à vitio naturalis eſſe, apertè adverſarius ut ſtatim audiemus, ex Salomone confitetur. Dices minus propriè dici integritatem & juſtitiam illam concreatam homini: Sed unde

quæſo,

quæſo, hoc probat Prælector, niſi ex præconceptis opinionibus, quod juſtitia & integritas actionis humanæ, & quidem aliquandiu exercitæ, tantum ſit. caveat ergo, dicat, Deum naturâ juſtum eſſe. Juſtè agenti Deo, titulum juſtitiæ adimat, niſi aliquandiu juſtè egerit. ne latro quidem, in cruce converſus, juſtus & pænitens fuit. Quid verò de juſtitiâ Adami, ante tranſgreſſionem divini mandati, ſit tenendum ſect. 1. hujus cap. eſt explicatum.

Sect. 6. Dico adverſarium imitatus, ex iis quæ hactenus dicta ſunt, patere poſſe, ſolutionem reſponſionis ab ipſo allatę, ad locum illum Eccleſ. 7. v. 29. Ille hominum ſapientiſſimus, ſe hoc inveniſſe ait, Deum hominem feciſſe rectum. Socinus, rigidus veritatis magiſter invenit, rectitudinem illam, non creationis donum eſſe; ſed humanę tantùm voluntatis opus. omne bonum ac malum, quo vel laudabiles vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur, ſed agitur à nobis, capaces utriuſque, non pleni naſcimur. Apud Auguſtin. lib. 2. contra Pelag. qui eſt de peccato originali cap. 13. Hîc ſe quaſi rurſum corrigens agnoſcit aliquatenus cum Salom. rectum creatum hominem; rectitudinem interpretans per negationem injuſtitiæ. Sed jam commonſtravi; nullam Socino poſſe eſſe cauſam, cur magis creationi abnuat juſtitiam poſitivam, quàm injuſtitię negationem: & eſt irrepertus ille homo, qui rectus per negationem injuſtitiæ, non tamen per juſtitiæ poſitionem; inter juſtos enim & injuſtos, ſtatus neutralitatis nō.

 inveni-

invenitur: de tali ergo ente imaginario, non cogitavit Salomon: nec ſcriptura ullibi meminit rectitudinis, in ſenſu hoc Sociniano concepte. Quis rectus in ſacris dicitur? qui juſtus, qui bonus; quare Græci interpretes vocem

Rectus, juſtus. Bonus.

jaſchar, non tantùm per vocem εὐθὺς reddiderunt; ſed etiam per δίκαιος, ut Num. 23. v. 10. Prov. 17. 27, per καλὸς & ἀγαθὸς Deut. 12. v. 28 per καθαρὸς Job. 33. v. 3: at quando per εὐθὺς reddiderunt, non vitij carentiam tantùm, ſed & virtutis præſentiam intellexerunt. Rectitudo in linea non negat tantùm, ſed & ponit aliquid Cicer. 1. offic. Perfectum autem officium, rectum opinor vocemus, quod græci κατόρθωμα. Idem 2. de finibus. quæ autem nos aut recta, aut rectè facta dicimus, ſi placet, illi autem vocant κατορθώματα, omnes numeros virtutis continent; valet ergo idem quod juſtum, ut cum Virgil. 1. Æneid. dicit, *& mens ſibi conſcia recti*,

CAP. IV.

An ſit & quale ſit peccatum originis?

1. OMiſsâ duplicis hujus quæſtionis diligenti examinatione, rem ipſam, ut nos eam ſe habere credimus, breviter explicabimus: paucis tamẽ verbis intereà præcipuis aliorum ſententiis refutatis. Peccati igitur duplex ratio eſt, ſive hujus vocis peccati, duplex ſignificatio eſt in ſacris literis. Aut enim culpã ſignificat, aut poenam. Loquimur autẽ hîc de præcipuis ſigni-

ſignificationibus, & quæ ad propoſitam quæſtionem pertinere poſſunt. Itaque cum quæritur, An ſit peccatum originis; idem eſt ac ſi quæreretur, Vtrum homines cum naſcuntur, eò quòd ab Adamo originem ducunt, propter ipſius Adami lapſum, culpam aliquam aut pœnam contrahant, vel alicui culpæ aut pœnæ ſint obnoxii; Quocirca, cùm ad culpam conſtituendam propria voluntas ejus, qui in culpa futurus ſit, omninò requiratur; pœna verò ſine antecedente culpa eſſe non poſſit, nullo modo videtur dici poſſe, in homine dum naſcitur, ullam ſive culpam ſive pœnam locum habere poſſe, cùm is propriæ voluntatis tunc nullum uſum habeat, nec anteà habere potuerit.

Hinc factum eſt, ut quidã duas alias ſignificationes hujus nominis peccati, extra ſacras literas excogitaverint. Una eſt ut errorem ſine culpa ſignificet: Altera, ut malum, ex alterius etiam culpa proficiſcens, declaret. Itaque originis peccatum, vel juſtitiæ originalis carentiam (ut ita dicam) interpretantur, quâ fiat, ut homo naturaliter, niſi Dei gratiâ ſupervenien- 2.
te juvetur, nihil niſi errare poſſit, id eſt, contra Dei legem committere; vel ea mala eſſe dicunt, quæ omnes homines, propter primi parentis culpam, ſubire coguntur.

Verùm cùm à nobis, juſtitiam iſtam originalem in primo homine non fuiſſe, ſupra demonſtratũ fuerit, nullus locus eſt priori ex his duabus interpretationibus. Poſteriori verò, etſi id, quod in ea dicitur, verum eſt, ut poſteà videbimus, tamen locus propterea eſſe non 3.

 poteſt,

poteſt, quòd iſta vocis peccati ſignificatio inſolens nimis videtur, & fortaſſe in nullo prorſus eſt uſu.

4. Sunt igitur, qui velint (hæcq; opinio vulgò recepta eſt) originale peccatum, innatam quandam cupiditatem, ſeu concupiſcentiam malam in homine eſſe, & ad peccandum pronitatem. Opinio hæc triplici ratione potiſſimùm vera eſſe non poteſt. Primùm, quia concupiſcentiam iſtam, ſive ad peccandum proclivitatem, in omnibus prorſus hominibus naturaliter eſſe non conſtat. Deinde, quia etiamſi de eo conſtaret, non propterea illud eſſet, quia Adamus, à quo omnes prognati ſumus, divinum illud præceptum tranſgreſſus fuerit. Poſtremò, quia cupiditas iſta, & ad peccandum pronitas, cùm conjunctam ſecum hominis ipſius, in quo eſt, culpam non habeat, ejus peccatum propriè dici non poteſt.

5. Sed dicet aliquis, imò conſtare, in omnibus prorſus hominibus naturaliter concupiſcentiam iſtam malam inveniri, idque his ſacrarum literarum teſtimoniis adductus.

Gen. 6. 5. & 8. 21. *Primò* enim, Geneſ. 6. & 8. cap. ſcriptum eſt, cogitationem cordis humani eſſe duntaxat malam omni tempore; &, hominis cogitationem malam eſſe ab adoleſcentia ipſius. Sed loci iſti non de naturali concupiſcentia loquuntur, ſed de voluntaria. Nam ſi de naturali loquerentur, certè neque ea de cauſa immiſſo diluvio, tàm graviter Deus homines puniviſſe priore loco diceretur; neque tanquam rem aliquam novam & inexpectatam, eam Deo quodammodo

dammodo accidiſſe Scriptura teſtaretur, adeò ut ob eam cauſam Deum indoluiſſe, eumq; pœnituiſſe dicat, quòd hominẽ feciſſet. Quanquã Gen. 8. non eſt legendum: Figmentum enim humani cordis malum eſt ab adoleſcentia ſua, ſed: Quia figmentum humani cordis malum ſit ab adoleſcentia ſua. In Hebræo enim nullum eſt verbũ. Quare ſatius eſt ſubaudire *ſit*, quàm *eſt*. Ita, ut non afferat Deus rationem, cur non ampliùs ſit execraturus terram propter hominem, nec ampliùs percuſſurus omnem viventem; ſed dicat, hominis malitiam non ampliùs tantam vim habituram, ut ipſe propter hominem terram execretur, & omnem viventem percutiat, quam malitiam non affirmet jam eſſe, aut omninò futuram; ſed ſi fuerit, non eam vim apud ſe habituram, quam anteà habuit. Alioquin ſi, ut vulgò ſolent, locum legamus & interpretemur, ſequitur Deum dixiſſe, illud idem apud ſe cauſam jam eſſe, ne ampliùs immiſſurus ſit diluvium orbi terrarum, quod ut immitteret, paulò ante cauſa fuerat: quo nihil abſurdius, Deóve indignius excogitari poteſt.

Secundò, multa teſtimonia ex Jobi hiſtoria deſumta afferri poſſunt, ut cap. 4. 17. 18. 19. & 14. 1. 2. 3. 4. & 15. 14. 15. & 25. 4. 5. 6. ubi dicitur, hominem eſſe impurum in Dei conſpectu, & ratio redditur, quia ejus fundamentum ſit è pulvere, & res ſit frivola ac fragilis, & tanquam putredo quædam: quæ ratio naturam hominis ob oculos ponit, & ab ipſo ortu hominem impurum eſſe demonſtrat, nempe ob malam cupiditatem ei naturaliter inditã, 6.
propte-

proptereà cap. 15. 16. dicitur, hominem abominabilem & inutilem ſeu fœtidum, imbibere iniquitatem, ut aquas.

7. Animadvertendum eſt, in locis iſtis de impuritate quadam hominis ſermonem eſſe, quæ in ipſis quoq; angelis ex parte invenitur. Comparatur enim homo cum Deo, cujus reſpectu impurus dicitur, quod quidem de omnibus prorſus hominibus intelligendum eſt. At verò cum affirmatur, hominem bibere iniquitatem, ut aquam, id vel hyperbolicè dictum cenſeri debet; vel certè non prorſus universè, ſed generatim accipiendum eſt, idque non ad hominis naturam, ſed ad voluntarias actiones referendum. Eſt enim argumentum ab eo quod fit, non autem ab eo, quod fieri ſit neceſſe. Quanquam, cùm in libro Jobi, in utramque partem de quibuſdam rebus diſputetur, non poſſunt temerè rationes in eo allatæ probari, præſertim cum à Jobi amicis afferuntur, qui plerunque non bonam cauſam defendunt. Non eſt autem Jobus, qui loquitur prędicto cap. 15, ſed Eliphaz amicus ipſius.

8. *Tertiò*, locus ille vulgò afferri ſolet: *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccato calefecit me mater mea*. Pſal. 51. 7. Sed ſatis conſtare poteſt, figuratum eſſe iſtum loquendi modum atq; hyperbolicum, ut illum etiam, Pſal. 58. 4. *Abalienati ſunt impij à vulva, erraverunt ab utero loquentes mendacium*. Similis locus eſt Eſaiæ 48. 8. quibus loquendi modis peccata exaggerantur, & efficaciùs vituperantur. Quãquam veriſimile eſt, Davidem potiùs ad excuſan-

cuſandum peccatum ſuum ita locutum fuiſſe, & in humana fragilitate commemorandâ, hyperbole iſtâ fuiſſe uſum, quaſi peccatum homini res quædam planè naturalis ſit, non autem, quod ita ſit reverâ: tametſi David non de homine, ſed de ſeipſo tantùm loquitur.

Eſt quidem in hominibus, nullo prorſus excepto, ad peccandum (ut ſic loquar) poſſibilitas, quia nimirum Deus voluntatem liberam & ad bonum & ad malum dedit. Sed de mala illa cupiditate, & ad peccandum pronitate, licèt in pleriſque ſit, non tamen affirmare poſſumus, eam in omnibus prorſus eſſe. 9.

Verùm quarto loco afferri poteſt ſeptimum cap. epiſtolæ ad Rom. in quo fateor ego maniſeſtè conſtare, de ſumma hominis ad peccandum proclivitate agi. Sed conſiderandum eſt, Paulum non tam de natura hominis cujuſcunque loqui, quàm de eo, quod in pleriſque fieri contingit; nec hominem ſimpliciter conſiderare, ſed quatenus à lege afficitur. Namq; oſtendit, ſi hominem, (ut pleriq; ſunt) lex invenerit malę cupiditati obnoxium, tantum abeſſe, ut eum vi ſuâ & propriâ ab iſto malo liberet, ut potiùs illud in ipſo augeat. 10.

Cæterùm cupiditas iſta mala, quæ cum pleriſq; hominibus naſci dici poteſt, non ex peccato illo primi parentis manat, ſed ex eo, quòd humanum genus, frequentibus peccatorum actibus, habitum peccandi contraxit, & ſeipſum corrupit, quæ corruptio per propagationem in poſteros transfunditur. Etenim unum illud peccatũ per ſe, non modò univerſos poſteros, 11.

ſed

ſed ne ipſum quidem Adamum corrumpendi vim habere potuit. Dei verò conſilio, in peccati illius pœnam id factum eſſe, nec uſquam legitur; & planè incredibile eſt, imò impium id cogitare, Deum videlicet, omnis rectitudinis auctorem, ullâ ratione pravitatis cauſam eſſe, quæ tamen pravitas, quatenus, ut dictum eſt, per propagationem in hominē derivatur, peccatum propriè appellari nequit. Nec Paulus prędicto capite 7. epiſtolæ ad Romanos, peccati nomine verè pravitatem iſtam intelligit: ſed figuratâ quadam loquendi ratione, perſonam quodammodo peccato tribuens, illud in homine nondum regenerato, & ab ipſa lege planè pendente, habitare dicit, id eſt, ejuſmodi hominem, quemadmodum à peccando abſtineat, invenire non poſſe.

12. Concludimus igitur, nullum, impropriè etiam loquendo, peccatū originale eſſe, id eſt, ex peccato illo primi parentis, nullam labem aut pravitatem, univerſo humano generi neceſſariò ingenitam eſſe, ſive inflictam quodāmodo fuiſſe; nec aliud malum ex primo illo delicto ad poſteros omnes neceſſariò manâſſe, quàm moriendi omnimodam neceſſitatem, non quidem ex ipſius delicti vi; ſed quia cum jam homo naturâ mortalis eſſet, ob delictum illud ſuę naturali mortalitati à Deo relictus eſt; quodque naturale erat, id in delinquentis pœnam prorſus neceſſarium eſt factum. Quare qui ex ipſo naſcuntur, eâdē conditione omnes naſci oportet: nihil enim illi ademptum fuit, quod naturaliter haberet, vel habiturus eſſet.

Sed

Sed ſunt poſtremò, qui dicant, omnes homines, tanquam in uno illo primo homine incluſos, peccâſſe, cum ille peccavit, ad idque probandum, afferunt verba illa Pauli ad Rom. cap. 5. 12. *In quo omnes peccaverunt*, tanquam *in quo* referendum ſit ad Adamum, de quo proximè verba facta fuerant. Verùm ſciendum eſt, in Græco eſſe ἐφ᾽ ᾧ quod nihil aliud ſignificat, quàm ut plerumq; ſolet, eò quòd, vel quatenus. Et ſenſus eſt, omnes homines morti penitùs fuiſſe obnoxios, eò quòd vel quatenus omnes peccaverunt: ſtipendia enim peccati mors, Rom. 6.23. Quid autem hoc ſibi velit, quamvis à nobis explicatum, iterum tamen explicabitur, cum de imputativa juſtitia pleniùs agemus. 13.

Refut. Cap. IV.

An ſit & quale ſit peccatum originis?

SEct. 1. Peccatum originis tale dicitur, quia cum ipſo humanæ naturæ exortu in nobis eſt. Peccatum illud tria comprehendit. Primò ipſam actualem tranſgreſſionem Adæ, quâ nos omnes in Adamo peccavimus, ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον. Secundò nativam naturæ humanæ pravitatem. Tertiò reatum, ſeu obligationem ad pœnam. Primum eſt cauſa ſecundi; primum & ſecundũ cauſa tertij: quia enim actus ille quo Adamus Dei legem violavit, noſter eſt, enata ex eo naturæ noſtræ vitioſitas, ex actu autem illo, & inhærente vitioſitate, obligatio ad pœnam

Vel quatenus. in quo omnes peccaverunt.

pænam eſt. Prælector noſter, Pelagianiſmi in dogmate hoc apertus patronus, impugnandum ſibi præcipuè ſumſit dogma de peccato origi-ginali, ſecundũ quod illud inhærentem naturæ deformitatem dicit: totam tamen doctrinam peccati originalis, nonnunquam perſtringit: & contra omnia & ſingula ejus membra, magis minuſve arguit. Quærit itaque, contra rem totam & univerſam, quæ hic inter orthodoxos & Pelagianos controvertitur, arma ſua parans, an ob Adami lapſum, poſteri eò quòd ab Adamo originem ducunt, alicui culpæ, aut pænæ, ſint obnoxij. Hoc totum ille audenter negat, quoad culpam, *quia ad eam propria voluntas ejus, qui in culpâ futurus ſit, requiritur*. Hoc argumentum ex Pelagianorum fontibus hauſtũ. Suum non eſt, ſi neceſſarium eſt. Aut ſuum ſi eſt, voluntarium eſt: & ſi voluntarium eſt vitari poteſt. Auguſt. lib. de nat. & gratia cap. 30. Quicunque reus eſt, moribus, non exordiis accuſatur. Auguſtin. opere imperfect. contra Julianum lib. 1, pag. 176. ibidem pag. 249. Filios in quantum filij ſunt, id eſt, antiquum aliquid, per voluntatem propriam operantur, reos eſſe non poſſe; huic vero Achilleo Pelagianorum telo, munimentum Apoſtolicæ authoritatis oppono, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον; non enim in divinis illis, ex rationibus Dei verbo directè contradicentibus, ſed ex Dei verbo nobis ſapiendum eſt: munimentum hoc ſtramineum non eſſe, nec vanè opponi, poſtea demonſtrabitur. Dico itaque maximam illam, eo ſenſu, quo à Prælectore profertur, falſam eſſe, &

ruino-

ruinoſum omne id, quod eidem ſuperſtruitur. Si enim culpæ omnes obnoxii,etiam pœnæ,ex æquitatis & juſtitiæ præſcripto.

Sect. 2. Hic ſcholaſticorum nonnullorum opiniones,qui reliquis pejus de peccato originali ſenſerunt, tangere videtur. Error ſine culpâ, ut hic appellat prælector innatam naturæ vitioſitatem, dupliciter ſic dici poteſt: vel quia in ſe formaliter non eſt culpabilis, & veram propriamque rationem peccati in ſe non habet: vel quia ex culpâ antecedente ortum non trahit.Poſterius hoc duplici modo rurſum dicitur, vel quia non trahit ortum ex antecedente culpâ, per modum & ſub ratione pœnæ propriè dictæ, vel quia nullo modo ex eâ proficiſcitur. Altera ſignificatio peccati,quam hîc adfert, eſt, ut malum ex alterius etiam culpâ proficiſcens declaret. Dupliciter etiam id dicitur, vel quia per modum pænæ proficiſcitur ex culpâ,vel quia quocunque tandem alio modo inde provenit.

Sect. 3. Priorem iſtam de errore ſine culpâ opinionem ſimpliciter rejicit, eo argumento, quod ſupra à ſe demonſtratum fuerit,juſtitiam iſtam originalem in primo homine non fuiſſe. Verùm enimverò, opinio quidem iſta gravis error eſt, non tamen falſitatis convincitur eo argumento cujus contrarium eſt veriſſimum, ut ex ſuperiore demonſtratione liquere poteſt; ſed aliis argumentis veris & validis refellenda eſt, deſumtis ex verâ peccati originalis ratione & eſſentiâ,prout quidem illa nobis in ſacris ſcript. cognoſcenda proponitur. Poſteriorem

illam non damnat prorſus, ſed nonnihil interpolatam ſuam facit, rejecto peccati originalis nomine.

Sect. 4. Miſſis iſtis de peccato originali opinionibus, ſententiam communionem & magis receptam oppugnandam ſibi proponit. *Originale ergo peccatum, qua illud innata cupiditas eſt, vel peccatum inhabitans, aut concupiſcentia, ut res uno verbo dicatur, negat eſſe, idque tribus hoc paragrapho rationibus fulcit.* Ad primam rationem pro reſponſione adfero; conſtare poſſe certis documentis, concupiſcentiam iſtam in omnibus & ſingulis, unico Salvatore noſtro Chriſto Jeſu excepto, reperiri. Iſtam noſtram affirmationem ſic demonſtro. 1. Quia omnes & ſinguli naturalirer ſunt ſub æternâ morte & condemnatione, ergo etiam naturaliter eſt in iiſdem peccatum inhabitans;nam inScripturis condemnatio ob peccatum & ejuſdem dominium,nuſquam & nunquam ſeparantur,quemadmodum etiam ex oppoſito gratia remiſſionis,ſanctificationis gratiam,comitem ſibi ſemper habet. 2. Nemo ſine beneficio regenerationis per gratiam & ſpiritum Chriſti, vitam æternam adipiſci poteſt, ergo peccatum homini naturaliter inhæret, regeneratio enim ad æternam vitam adipiſcendam eſt neceſſaria, quia per naturam peccatores naſcimur Joh. 3. 6. *quod genitum eſt ex carne caro eſt.* 3. Cum pænitentia & fides ſint neceſſaria ad ſalutem, neceſſariò etiam ſtatuendum peccatum, ex quo omnis pænitentiæ & fidei ad ſalutem neceſſitas oritur: hoc cum actuale ſine originali eſſe

eſſe non poſſit, neceſſariò peccatum hoc originale, de quo controvertitur, ſtatuendum eſt. Dico hoc peccatum actuale ſine originali eſſe non poſſe; cum non ſit neceſſaria exiſtentia peccati actualis, ſi non datur originale, cum neceſſitas peccandi à naturâ, ut à Deo creata eſt, eſſe non poſſit. 4. Probatur idem ex authoritate loci ad Rom. 3. v. 10-19, ubi Apoſtolus teſtimoniorum quaſi nubem congeſſit, ad omnem humanam ſublimitatem retundendam. Accuſat omnes & ſingulos injuſtitię, cæcitatis, apoſtaſiæ, pravitatis, virulentiæ, violentię, prophanitatis: hiſce ſanè elogiis, natura omnium & ſingulorum depingitur; nec vult tamen Paulus omnes actu tales eſſe, ſed quod naturâ tales ſunt: nam Paulus hæc dicit, ut evincat totum mundum condemnationi Dei obnoxium, & ut omne os obturetur ibid. v. 19. & ut hoc tandem omnibus extorqueat, nullum reſtare aditum ad vitam & juſtitiam, niſi per fidem. Hæc ſanè in toto contextu Paulino ejuſdem cap. ſunt manifeſtiſſima, adeo ut nemo mortalium hinc excipi poſſit, niſi Paulo apertè reclamante. Quare fruſtra eſt Socinus cũ ſcrib. lib. 4. de Servat. cap. 6, *in iſtiuſmodi teſtimoniis, quamvis universè prolatis, manifeſtè aut de quibuſdam certis hominibus fieri ſermonem; aut de populis ſive nationibus, vel etiã de ipſis hominibus generatim; non autem prorſus universè.* Hęc ſanè ſic universè accipiẽda ſunt, ut concludatur omnes ad unum uſq; ſub peccato eſſe: nam alioqui, nõ universè etiam verum eſſet, fidem eſſe unicam & ſolã ad juſtitiã viam, quo nihil magis falſum.

Quemadmodum verò certum eſt, innatam ejuſmodi cupiditatem, in omnibus eſſe; ita etiam fontem & ſcaturiginem ejus eſſe primi hominis peccatum, quæ ſecunda propoſitio, quam adverſarius ſimiliter negat. Probatur authoritate Apoſtoli Pauli ad Roman. 5. &6. cap. nam primò omnes per peccatum Adami, condemnationi & iræ divinæ ſumus obnoxij, quod ex totà Apoſtoli deductione & inſtitutâ comparatione inter Adamum & Chriſtum eſt manifeſtum, conſequenter ergo dominio peccati, nam inter iſta duo, non datur divulſio. Docet Apoſtolus per unum hominem ita ingreſſum peccatum, ut originaliter ad hoc referat exuberantiam peccati cap. 5. v. 20. Similiter ad hoc peccatum, regnum refert, cui gratiæ regnum, per juſtitiam ad vitam prævaluit. Ex hoc eodem peccato deducit Apoſtolus dogma neceſſariæ mortificationis peccati Roman. 6.1, quod nunc corpus peccati, nunc veterem hominem appellat; ex quo apertum eſt, hoc primum peccatum, regnum peccati invexiſſe.

Tertiò ait Prælector, hoc peccatum, non eſſe propriè peccatum ejus in quo eſt, cum culpam ejus in quo eſt,conjunctam nõ habeat. Verùm cum ratio hæc falſa ſit, nulla etiam ejus conſequentia. falſam autem eſſe Paulus ait ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον.peccare autem nemo poteſt, quin peccato culpam contrahat. Culpam non contrahi putat omnino Prælector,niſi per propriam voluntatem ejus,qui in culpâ futurus ſit: ſed unde hoc, niſi quia ſuarum ſpeculationum ductum

ductum ſequi maluit, quàm Apoſtolicę authoritati religiosè faſces ſuos ſubmittere. Quamquam etiam non eſt quod Pręlector hic hominis juſtitiam, adverſus Dei erigat; cum meritò reputetur propriam voluntatem eorum qui in culpâ ſunt, interveniſſe, ut docuit Auguſtinus Retractat. lib. 1. cap. 15. ubi ſcribit: *Quaſi verò peccatum quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, id eſt, reatu ejus implicatos, & ob hoc pœnæ obnoxios detineri, uſquam eſſe potuerit, niſi in voluntate, quâ voluntate commiſſum eſt, quando divini præcepti facta tranſgreſſio eſt. Iterum ſic oſtenditur, ſine voluntate nullum eſſe peccatum, ſive in opere ſive in origine.* Sic Thomas originale peccatum ait eſſe *peccatum naturæ, quod per voluntatem principij humanæ naturæ commiſſum eſt*. Sic quando membrum aliquod peccat, peccatum totius eſt, & ſingula membra peccant voluntate totius; communione naturæ juncti ſumus omnes, & ita fuimus in illo primo homine.

Sect. 5. Poſtquam ſuas in medium adduxit rationes Prælector, contra peccati originalis dogma, vires ſuas confert in ſacra quædam ſacræ ſcripturæ teſtimonia, quæ ſuo artificio variè eludit. Primò agit contra duo loca ex Gen. prolata, dicens in iis agi non de naturali concupiſcentiâ, ſed de voluntaria: ſic etiam catechiſm. Racovienſ. capite de libero arbitrio reſpondet, & oſterod. c. 33. inſtitut. Germanic. Verùm unius, ut loquuntur, incluſio non eſt alterius excluſio. Hæc loca de concupiſcentiis voluntariis, & actualibus impietatibus agunt,

 ſed

ſed ita ut impurum fontem, hoc eſt naturalem concupiſcentiam inſinuent. Quamquam enim impiæ cogitationes, & inde promanans omnis impietas, cauſa ſint meritoria immiſſi diluvij, minimè tamen ſequitur, infœlix illud lolium, virtualiter, in noxiâ naturalis concupiſcentiæ radice, non fuiſſe reconditum. nec dolor & pœnitentia Dei quidquid illa tandem arguant aut ponant in Deo, ſententiam de peccato originali ex loco Geneſ. extructam, convellunt. Deum inopinatâ aut inexpectatâ rei novitate velut obſtupuiſſe, non teſtatur ſcriptura, nec ſi teſtaretur, teſtimonium hoc de manu nobis excuteretur: etenim etſi propter originariam vitioſitatem, aliter ſe hæc res habere non potuiſſet, potuiſſet tamen Deus ad tantam humani generis corruptionem, tot infælicibus documentis comprobatam, humano quaſi more attonitus, obſtupeſcere. Jam verò etſi à noxiâ illâ radice, univerſalis illa omnium vitiorum colluvies, non tamẽ ab eâ neceſſariò omninò; multa enim vitia, per rectum uſum donorum divinorum, quæ communis providentiæ benignitas diſpenſat, evitari potuiſſent. Varia loci Gen. 8. (ubi de figmento malo, quod rex magnus Judęorum ſapientibus dicitur) tranſlatio, non facit ad id quod in controverſiam venit; nam ſive reddatur per enim, ſive per quia, vel eò quod, efficitur ex loco quod intendimus. Sequemur nihilominus veſtigia Prælectoris. Dicit reddendum locum per *quia*. Audio, non repugno, doctiſſimi interpretes Vatablus, interlineata, Junius ſic vertunt. In Hebræo nullum

nullum verbum, proinde tamen, ſive eſt, ſive ſit ſubaudias, ſenſus ille elicitur, improbitatem orbis Deo non amplius cauſam excidij fore. Interea tamen ſi altera illa lectio admittatur, *nihil* abſurdi, aut Deo indignum Deo impingitur; cum una & eadem res, quamquam diverſimodè, Deo & ratio miſericordiæ, & juſtæ ſeveritatis eſſe poſſit; quod cum fit, utrumque fit ex ſapientiſſimo & æquiſſimo Dei conſilio; miſertus eſt Deus Pauli ὅτι ἀγνοῶν, ut ipſe prædicat 1. Tim. 1. v, 13; condonat miſericordia, quod plectere potuit juſtitia, nam miſeretur cujus vult, & indurat quem vult Rō. 9. 18. Hunc locum ipſe Socin. cap. im. l. de Servatore exponit *de non perpetuâ juſtitiâ eiq; oppoſitâ miſericordiâ, quâ utraque Deus, circa peccatores non omnino deſperatos verſatur; de hac miſericordiâ verba fieri ibidem ait* & Eph. 2. v. 1. Tit. 3. v. 3. non eſt ergo niſi ἑαυτομαχεῖν velit, quòd iſtam lectionem tam acerbè traducat. Quia ignorans.

Sect. 6. Ad teſtimonia varia, ex Jobi hiſtoriâ deſumta, varias reſponſiones adfert cum quibus ad admiſſim conveniunt oſterod. inſt. Germ. cap. 23. Reſponſiones autem iſtæ tales non ſunt ut ſatisfaciant. Etenim etſi Iob. cap 4. & cap. 15. de impuritate quadam, generatim ſic loquendo agatur, quæ in angelis reperitur, & cap. 25. de quadam immunditie ſtellarum, nequaquam tamen impuritas humana angelis tribuitur, cum tantùm comparatio inſtituatur inter angelos alias creaturas, & hominem, ad majorem humanæ impuritatis auxeſin. Nam humana impuritas, de quâ per totum librum

Jobi agitur, non eſt, qualis in angelis reperitur, ſed labem vitioſam, cum pravitate peccati conjunctam ſibi immixtam habet. In locutione ilâ, quâ ait Eliphas, *hominem bibere iniquitatem, ut aquam*, ſi quædam rario hyperboles; eatenus tamen hyperbolicè hæc non dicuntur, quatenus eâ locutione affirmatur aſſertio v.14 propoſita, *Quid eſt homo, ut mundus ſit, & ut juſtificetur natus è muliere?* hæc propoſitio, non hyperbolem ſed propriiſſimam veritatem continet, hominem juſtitiâ ſpoliatum eſſe, & in Dei judicio non conſiſtere. Hoc etiam universè intelligit Eliphas, quia ſcopus ejus eſt, Jobum convincere. neque etiam teſtimoniis citatis ſatis fit, ſi dicatur ad voluntarias actiones hæc referenda eſſe, & non ad hominis naturam, ſed potius illimitatè impuritas illa ad quamlibet hominis ætatem, pro modo & conditione unicujuſque referenda eſt: ac proinde non ipſi naturæ tanquam ſanctæ & puræ patrocinandum: nam de ipſius naturæ impuritate Job pronuntiavit cap.14.v.4: ubi legit ex Hebræo doctiſ. Mercerus. *Quis dabit mundum ex immundo?* vetus habet, quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine? quomodo etiam ad hunc locum annotavit Mercerus, de maculatâ hominis generatione Jobum interpretans: & ſane nihil magis veritati conſonum, quàm de impurâ hominis generatione Jobum intelligere; ſatis enim apparet, iſtâ phraſi Jobum voluiſſe ſignificare, qualis ſit homo, natus è muliere, ut loquitur Eliphas cap. 15 & Bildad cap. 25. *quomodo purus erit natus ex muliere?*

Quam-

Quanquam ergo, non omnia, quæ in libro Jobi diſputata ſunt temere probari poſſint, & multa ſint diſputata in utramq; partem, in eo tâmen, de quo noſtra hoc loco controverſia eſt, non diſcordant Jobi & amicorum judicia, nec de eo in utramque partem diſputant; neque Jobus, neque amici ejus ullibi impuritatem peccati ad adultam ætatem reſtringunt: Et cum amici Jobi, plus ſatis ſint contentioſi, & Jobum acerbius exagitent, ubi aliquam ſibi anſam habere videntur, nullam tamen dicam illi ſcribunt, quod impuros naturâ pronuntiarit omnes, ad unum uſque.

Sect. 8. Quid tandem tam clarè dici poteſt, ad quod effugium inveniri non poſſit? quod ſi David peccatum originale ſignificare voluiſſet, potuiſſetne evidentiori Sermone illud ipſum enuntiare? Quod ſi peccatum ſuum David exaggerare voluit, cum veracitate confeſſionis ſic exaggerare voluit. Pſalm 58. v. 4. Apertè ſatis, eo loquendi modo indicatur, ab ipſis incunabulis, improbitati & nequitiæ ſtuduiſſe: hic David ipſam ſuam conceptionem & nativitatem in peccato & iniquitate fuiſſe, ſimiliter ait, ut verba planè præ ſe ferunt: & ſi quis à præjudicatâ opinione liber, ex ipsâ aperehenſione verborum, non alium ſenſum haurit. Eſa. 48. *Domus Iſrael perfidè egiſſe, & ab utero defeciſſe dicitur*; quibus verbis non indicatur naturalis nativitas, ſed analogicè ejus in populum Dei generatio, quamdiu autem Judæi, Dei populus fuerunt, defecerunt non ſecundum figuram rhethoricam, ſed

 nimis

nimis ſecundum propriam veritatem. Etiam ex utroque hoc loco ſatis apparet, non agi ibi de peccatoribus ſimpliciter, ſed de inſigniter pravis, in verbis autem Davidis generatim de peccato, non de inſigniori nequitiæ gradu. Alteram reſponſionem priori oppoſitâ affert, ad extenuandum & excuſandum peccatum, eâ figurâ ſermonis fuiſſe uſum. Sed præterquam, quòd iſtiuſmodi excuſationis nullũ in ſermone Davidis veſtigiũ, verba accipienda ut ſonant; neq; enim David hîc propoſuit humilem tantum, ſed & veram confeſſionem edere; ſuperbia fucum facit, humilitas veritatem amat. Illud denique valde frivolum eſt, Davidem non de homine, ſed de ſeipſo tantùm loqui, quaſi aliquod proprium & perſonale ſit de quo David agat: eodem modo & cætera illa de remiſſione peccatorum, de creatione cordis mundi, perſonalia eſſe dicantur: nativitas homines in naturalibus aut iis quę ex peccato ſunt non diſtinguit. Quemadmodum ergo Paulus de juſtificatione Abrahami ait, non ſcriptum eſſe propter eum ſolum, quod imputatum fuerit ei, ſed etiam propter nos, quibus futurum eſt ut imputetur, iis qui credunt in eum, qui ſuſcitavit Jeſum Dominum noſtrum à mortuis Rom. 4. 24. 25. ſic hæc confeſſio Davidis non perſonalis, ſed ſenſu generalis, nam quæ ante ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ante ſcripta ſunt, ut ait idem Apoſtol. Rom. 15. 4.

Sect. 9. Nihil de novo adfert adverſatius, non eſt ergo quod quicquam hîc regeram.

Sect. 10. Profert illuſtriſſimum illum locum

cum 7. cap. ad Rom. qui locus ſi quiſquam alius, graphicè nobis depingit naturæ humanæ curruptionem; quin imò integrum hoc caput à capite ad calcem, tanquam clypeus ἐπ7αβό-εισς naturæ patronis, adverſus gratiam Dei, opponi poteſt. Socinus contra obnititur, ſed cogitur authoritati & doctrinæ tam inſignis loci ſuccumbere. Paulum ait non tam de naturâ hominis cujuſcunque loqui, quàm de eo, quod in pleriſque fieri contingit. Hæc verba Prælectoris, ſi ſtrictè ſumantur, pro noſtrâ ſententiâ faciunt, magis enim & minùs rem non variat, ſed gradum rei. Sed aliud intendit doctor noſter, agi nempe de eo, quod in pleriſq; fieri contingit, at non videt, ex iſtâ conceſſione, pro nobis propoſitam quæſtionem concludi poſſe; ſequetur enim concupiſcentiam originariam in pleriſque eſſe, ſed nec hoc etiam veritati ſatis conſonum: vetus homo, corpus peccati, concupiſcentia, peccatum peccans, inhabitans, quæ æquipollent Paulo, non ſunt hominum plerorumque, ſed omnium, ne uno quidem excepto: hæc tam perſpicua ſunt apud Paulum, ut mirum ſit quemquam reperiri, qui ſentiat contrarium. Igitur doctrinam iſtam Pauli de peccato & ejuſdem efficacitate, univerſalem doctrinam continere, quę ſpectet ad omnes & ſingulos, demonſtro. 1. Quia de eâ re agit Paulus Apoſtol. cujus mortificatio & abolitio omnibus eſt neceſſaria, vide cap 6. ad Rom. com. 2. 6. & ibi paſſim: nullus Chriſtianus qui non aliquando in carne Rom. 7. 5. nemo juſtitię mancipatus, niſi liberatus a peccato

Ex ſeptem bubulis pellibus factus.

cato Rom. 6. v. 18; Deo mancipatus nemo, niſi liberatus à peccato oſtendatur ſanctorum aliquis, qui ex morte peccati non reſurrexerit; qui ambulet in novitate vitæ, in quo tamen peccatum non mortificatum; qui Deo & Chriſto vivat, Dei tamen gratiâ nec ſanctificatus, nec regeneratus; qui Dei Filius ſine regeneratione ſit; qui non habeat, quod Deo gratias agat per D. noſtrum Jeſum Chriſtum. Annon hæc funditus totam doctrinam Chriſtianæ religionis evertunt? quæ hæc eſt inſana totius cap 6. 7. 8. imò totius illius Epiſtolæ, in quâ egregium Theologiæ Chriſtianæ corpus nobis reliquit Paulus, Metamorphoſis? Humana miſeria, quæ in peccato, in Dominio, in regno peccati, non eſt omnium: Ex alterâ parte, liberatio, ſanctificatio, regeneratio, reſurrectio, Dei gratia, Spiritus Chriſti, non neceſſaria ratione omnium. ſunt ergo ſancti, qui ſine Chriſto, ſine gratia, ſine regeneratione tales: perfectiſſimi ſc. chriſtiani, qui chriſtiani tamen non ſunt, ſecundum juſtitiam ἰσάγγελοι. Hæc ſanè Stoicorum paradoxa ſuperant.

Angelis pares.

Pergit. Paulum hominem non ſimpliciter conſiderare, ſed quatenus à lege afficitur; quod cum dicit adverſarius, ait quidem id quod verum eſt, ſed ex quo nihil effici poteſt, contra ſententiam de innatâ concupiſcentiâ; imò nihil, quod non eam firmet. monſtro, lex eſt index & irritamentum peccati, eſt itaque peccatum. Si lex inefficax eſt ad excutiendum peccati jugum; ſi lex, ut Prælectoris utar ſermone, ſuâ vi propriâ, malæ cupiditati obnoxium

xium non liberat ab iſto malo, ex eo apparet, quantum hoc ma lum ſit, & quàm altè radices ſuas egerit. De hac re Apoſtolum dicentem audimus Rom. 7. 13. Peccatum ut appareret peccatum, mihi, per id quod bonum eſt, efficere mortem, ut peccatum fieret ſummè peccans per illud mandatum.

Sed quomodo quæſo ex mente Prælectoris, lex vi ſuâ ab illo malo non liberat? non liberat, aut potens aut non potens; ſi ſenſit non liberare, & tamen liberare potuiſſe, gratiæ neceſſitatem, quam tanto molimine aſtruit Paulus in hac Epiſt. ad Rõ. tollit, & τῦ νόμυ δύνατον vocat, quod Paulus τῦ νόμυ ἀδύνατον dixit Rom. 8. v. 3. Sin ſentit legem ſuâ vi, eum qui ſub lege, à malo concupiſcentiæ liberare non potuiſſe, cui tamen malo, ex ipsâ Prælectoris confeſſione lex pleroſque obnoxios invenit, in inextricabilem ἑαυτομαχίαν ſe conjicit: nam ex ejus, hoc loco, de lege ſententiâ efficitur, legem ab homine, malæ cupiditati obnoxio, ſervari non potuiſſe vi legis; ſi enim lex ab iſto malo non poteſt liberare, hominem etiam, ad ſui obſervationem, non poteſt adducere. contra cap. ſequente, ubi de libero arbitrio prælegit, Deum non tuliſſe legem, quam nemo ſervare poſſit. Idem in fragmentis de juſtificatione. cum lex, quæ fuerat populo propoſita, ejuſmodi eſſet, ut dici poſſit, impoſſibile fuiſſe, ut eam homo ſervaret, hoc corrigens ſubdit. Tametſi hoc non ita intelligendum eſt, ut prorſus ac penitus impoſſibile fuerit. Alioquin enim Deus per ſummum ſcelus, injuſtitiæ & inſipientiæ accuſa-

Legi poſſibile.
Legi impoſſibile.
Secum pugnam.

cuſaretur, qui juſſiſſet ab homine id fieri, quod nullâ prorſus ratione ab eo fieri poſſet. Smalc. lib de divinitate Chriſti cap. 5. ait, *quod ea, quæ lex præcipiebat, abſque ſingulari ope divinâ præſtari poterant, eo ſaltem modo, in quo Deus acquieſcebat.* Nec enim ea alioquin præcipere, ſalvâ juſtitiâ Deus potuiſſet. Egregij ſanè juris divini profeſſores, qui Dei juſtitiam defendere non poſſunt, niſi gratiam abnegent. Dices, agnoſcit Socinus auxilium Dei, ad præſtandum legem, ut cap. ſequente audiemus; legem autem vult, vi propriâ legis ſervari non poſſe, eam tamen, per Dei auxilium ſervari poſſe, iſta duo repugnant. Fruſtra hoc adfertur; promiſſiones & minę legis, non ſunt vis à lege aliena, liceat ſic dicere, ſed ipſa vis legis. Alterum illud auxilium, quod collocat in revelatione ſingulorum faciendorum & omittendorum, cum ſit neceſſariũ annexum legis, ex ratione ſapientiæ & juſtitiæ divinæ, ad ipſam etiam legem pertinet, pro vi etiam legis reputandum eſt: quinimo pro ipsâ legis promulgatione, cum ſine iſtâ, lex, quod ad iſta ſingula, lex non ſit.

Sect. 11. Prælector noſter in defenſione animadverſionum pag. 44. ſcribit. *De Deo præter id, quod in ſacris literis expreſſum eſt, quidquam aſſerere, periculi plenum cenſeri debet.* Si tanta Prælectori religio, à ſcripturis diſcedere, cur religioſâ illâ ſobrietate, in hoc argumento originalis peccati non utitur? cur maluit intelligentiæ ſuæ phantaſmata prælegere, quàm ex mente Pauli expreſſa in quinto cap. ad Rom. Temeritas & audacia aſſeverandi, ra-

tionis

tionis morbus eſt: nõ ſupra ſcriptum, non contra Apoſtolos pronuntiandũ; cum Apoſtolis ſapere & tutũ & ſanum eſt. Paulus concupiſcentiam derivat ex fonte tranſgreſſionis primæ: longè aliter Socinus, humanum genus frequentibus peccatorum actibus habitum peccandi contraxiſſe, & in poſteros transfuſũ propagatione: totũ hoc è lacunis cerebri ſui, in apricũ producit. Ego malim, cymbulam meam litus ſcripturæ legere, quàm ita in alto navigare. Quamquam etiam, dum Prælector ſic ex luxuriante ingenii ſui vena reſpondet, nõ eſt quod tam acriter contradicat ſententię de corruptione naturali. Si corruptio in poſteros per propagationem transfunditur, cur ergo confiteri noluit in ſcripturis doceri? Profectò ſi vera ſe dicere exiſtimat, nõ ſententię de corruptione, ſed ſententiæ de origine contradicere debuiſſet: vel dicere corruptionem iſtam, non habere verè peccati rationem, ut paulo inferius, de hac ſuâ corruptione eum affirmantẽ audiemus.

Ait deinde, unum illud peccatum per ſe, non modò univerſos poſteros, ſed ne ipſum quidẽ Adamum corrumpendi vim habere potuiſſe, cum conſtet ex Paulo primi parentis tranſgreſſione naturam corruptam eſſe, hoc ſufficit ad veram & ſinceram confeſſionem; nec ad iſtius confeſſionis defenſionem requiritur aſſignatio aut definitio modi, quo peccatum illud primum, corruptionem illam produxerit. Dico ſecundò, unum peccatum tam poſſe eſſe enorme, & flagitioſum, & tam multa in eo vitia concurrere poſſe, ut perpetrantem corrumpat.

Annon

Annon illa catilinaria conjuratio in Rempub. Catilinam, & quos facinoris ſocios habebat, peſſimos feciſſet, ſi peſſimos non inveniſſet? Illa longè immaniſſima conjuratio, *in ſereniſſimum Magnæ Britanniæ monarcham* & univerſos regni Angliæ ordines, in comitiis Parlamentariis, nihil, ſi quid fuit incorruptæ mentis, in conjuratoribus reliquit. Paricidium uno ſcelere perpetratum, quàm impium facit? Patricidas & matricidas nominavit Apoſtolus inter ἀνόμους & ἀνυποτάκτους 1. Tim. 1. 9. Primum peccatum delictum maximum, in uno peccato plura concurrerunt crimina: fuit univerſalis quædam à Deo apoſtaſia; in Deum aperta rebellio; ſubjectionis negatio & obedientiæ renuntiatio: Quilibet ergo facile animadvertere poteſt, iſtiuſmodi delictum ſatis efficaciæ habuiſſe, ad excutiendam juſtitiam, & ingenerandũ injuſtitię & pravitatis infœliciſſimum habitum. Adamo autem corrupto, non eſt difficile Prælectori capere, quomodo poſteri ſint corrupti, cùm in Adamo, tanquam ſtirpe & radice humani generis fuerint, & ille fateatur corruptionem per propagationem in poſteros transfundi.

Legis contemptores & qui ſubjici nolunt

Dei judicis conſilium, ſuas etiam hîc partes interpoſuit; nec hæc res ſine conſilio Dei geritur; cum nihil generatim loquendo, ſine conſilio Dei fiat. magnas contra hoc tragœdias excitat Prælector, clamans non legi; incredibile eſſe & impium cogitare: præceps ruit, non ſuſtinet, non abſtinet, linguam maledicam non continet. Hoc peccatũ pœnam eſſe probo.

1. Quia

1. Quia omnis iſtius peccati effectus pæna eſt. 2. Apoſtolus Paulus omnes lethales iſtius peccati effectus, ad Deum, ut juſtum peccati illius vindicē refert, ut ex universâ hujus argumenti tractatione in quinto ad Rom. in quo propria & præcipua ejus ſedes eſt, apertum eſt: cum autem ſupra oſtenſum ſit, originalem corruptionem ex peccato illo promanaſſe, ſequitur hoc peccatum primi pœnam eſſe, ſecundum conſilium juſti judicii divini, ac propterea non incredibile hoc, nedum impium: juſtitiam enim Dei prædicare, non impietatis, ſed pietatis actus eſt: nec ſine impietate, impium eſſe proclamatur, de Deo ſentire, quod judicium exerceat. Sed præterea Prælector tantopere excandeſcit, quod per iſtam ſententiam, Deus omnis rectitudinis auctor, pravitatis cauſa ſtatuatur, hoc illud eſt, quod omnes Reformatæ religionis hoſtes identidem ingeminant. Ego, cum Prælector ſuam mentem non explicet, quid ſit illi authorem peccati eſſe, aut pravitatis cauſam, contentus ero monſtrare, nihil illum iis verbis attuliſſe, quod catholicæ fidei de peccato originali, ullo modo obſit. Nam tametſi Deus pravitatis cauſa non eſt, poteſt tamen à Deo ut juſto judice eſſe, & ordinari in pœnam antecedentium peccatorum, nam tritum eſt axioma, *Deum peccata peccatis punire*, alibi à Prælectore approbatum: Et multa ſanè in Sacris literis loca ſunt, ex quibus, invictis argumentis aſtruatur, cæcitatem mentis, obdurationem cordis, & alia ſpiritualia animi mala, pœnas eſſe Dei & effecta juſtiſſimæ de-

G ſertionis.

ſertionis. Profectò ſi Deus innoxius Socino, cum pravitas illa, quam ipſe confitetur in omnibus eſſe, à majoribus per generationem in poſteros transfunditur, cujus tamen generationis author Deus, cur hîc tam plumbeus, ut Dei juſtitiam defendi non poſſe putet, niſi hominis injuſtitiam neget?

Suam illam pravitatem, *propriè peccatum non appellari dicit:* id quidem ex veritate; cum non entis, nullæ ſint affectiones; non rectè autem ex ſenſu ſuo, corruptionem hanc mox *habitum peccandi dixit:* quid autem magis vitioſum quàm habitus vitij? corruptionem verò hanc, miſſà diſputatione de ejus origine, in præſenti quæſtione, peccatum eſſe propriè dictum, adeo verum eſt, ut aut confitendum hoc ſit, aut ſciri non poſſit, quid tandem ſit peccatum propriè dictum. Nullus hic tergiverſationi locus: agmen rationum ex Pauli ad Rom. Epiſtolâ, pro hac mente cogere, facile eſt. Paulus hoc peccatum appellat veterem hominem; corpus peccati; regnans & dominans peccatum, Rom. 6: carnem, concupiſcentiam de quâ lex dicit, non concupiſces; peccatum peccans: ab iſto peccato eſt, quod homo carnalis; quòd ſub eo venditus; peccatum inhabitans vocatur: eſt aliquid, in quo nihil eſt boni; nativus ejus fœtus eſt omiſſio boni & perpetratio mali; eſt malũ adiacens; lex in membris belligerans; lex peccati in membris. Rom. 7. Quis melius aut accuratius peccatum propriè dictum delineare poteſt? verba ſunt adinventa ſignificandis rebus. Quod ſi hæc res, de quâ diſpu-

diſputamus, peccatum non eſſet; non toties, non perpetuò, non iteratâ ſemper voce, Apoſtolus ei alienum peccati nomen impoſuiſſet, ſed proprio ſuo nomine appellaſſet.

Audet Prælector contra evidentem veritatem oggerere, Paulum 7 cap. Epiſtolæ peccati nomine, verè pravitatem iſtam non intelligere, ſed peccatum actuale: quæ ejus ſententia ſi vera, expungatur; quod ſect. 10. hujus cap. protulit, ubi verba ejus ſonant. *Verum quarto loco afferri poteſt ſeptim. cap. Epiſtol. ad Rom. in quo fateor ego manifeſtè conſtare, de ſummâ hominis ad peccandum proclivitate agi.* Si vocibus carnis & peccati, illa inhærens corruptio ibi non eſt expreſſa, quibus quæſo ibi indicata fuit?

Sect. 12. Concluſionem infert, ſed quæ ex præmiſſis ejus minimè ſequitur: lector candidus judicium ferat ex iis quæ utrimque allata ſunt. Non opus hîc etiam repetere ea; quæ cap. prim. diſputata ſunt de moriendi neceſſitate & naturali mortalitate. Sequitur, omnes eadem conditione naſci oportet. Recta ejus interpretatio foret; oportet naſci peccatores, ut Adamus fuit, quia in Adamo peccavimus. Fundamentum & vera cauſa, propter quam omnes ex Adamo, per naturæ activam & effectivam vim oriundi, eidem conditioni ſunt obnoxii cui Adam, non eſt ipſa naturalis ex Adamo propagatio, quamvis eò requiſita, ſed quia peccatum Adami à poſteris fuit perpetratum: neque enim conditio, quæ genitori affixa eſt perpetuò, una cum ipſo genere neceſſariò

 propa-

propagatur ut ſcribit Socin. cap. 6. lib. 4. de Servatore: nã etſi Romano jure, ſervi gignuntur a ſervis, & ex ſervis propagati ſervilem conditionem ex parentibus ſubeunt; Deus tamen ſalutis æternæ & condemnationis negotium, ex formulâ illâ humani juris non adminiſtrat: neque enim ex digeſtis aut codice divini juris vel unus apex proferri poteſt, quo commonſtretur, jure divino æternæ morti & condemnationi obnoxios eſſe, qui extra omnem culpæ noxam ſunt: Ajo deinde Apoſtolum Paulum optimum divini juris interpretem non allegaſſe in hoc argumento jus aliquod divinum, ſecundum quod, qui ſine culpâ ſunt, pœnæ tamen ſunt obnoxii, ſed jus illud Dei ſecundum quod, anima quæ peccavit, ipſa moritur, quod jus Dei Paulus nos docuit, cum diceret ἐφ᾽ ᾧ πάντες ἥμαρτον.

Sect. 13. Hic locus cum magni ſit momenti in doctrinâ de peccato originali, paulo diligentius excutiendus, & à Socini corruptelis vindicandus. Excipit in græco eſſe ἐφ᾽ ᾧ: ea autem verba, quemadmodum plerumq; ſignificare, *eò quòd* vel *quatenus*. Sed parum hoc ad rem, nihil refert ad ſententiam; ſive enim reddas *in quo*; ſive *quatenus*, idem ſenſus effici debet; nam hæc verba, quocunque modo reddantur, de peccato primo ab omnibus in Adamo commiſſo, exponi debent, & de actuali ſingulorum peccato exponi non poſſunt: nec hæc verba in concordiam reduci poſſunt, cum iis quæ leguntur v. 14. regnavit antem mors ab Adamo uſque ad Moſen in eos etiam qui non pecca-

peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam, niſi per diſtinctionem peccati actualis & originalis. Pugnant iſta duo, mors regnavit in omnes quatenus vel eò quod peccaverunt, & regnavit mors in eos, qui non peccaverunt, ſi utrumque de peccato actuali interpreteris. Socinus lib. 4. de Servatore, prolixam tractationem cap. 5. ad Rom. v. 12. &c. inſtituit: in iſta autem tractatione triplicem ſignificationem vocis peccati adduxit. Primò peccare ibi vocat, expreſſum quaſi Dei mandatum aliquod, pœnâ mortis adjectâ, ſibi datum tranſgredi. Secundò peccare illi eſt deliberatâ voluntate, cum monitionis divinæ apertâ contemptione conjunctâ, peccare. Tertiò ex incogitantiâ ſimplici vel tolerabili quadam fragilitate labi. Si ergo mors pertranſiit in omnes, quatenus vel eò quod peccaverunt, neceſſe eſt tranſiiſſe in omnes, vel quia contra Dei expreſſum mandatum, pœnâ mortis ſancitum peccarunt ſicut Adam, vel deliberatâ voluntate, vel ſaltem per ſimplicem incogitantiam, quem tertium modum probat ibi adverſarius; ſentit enim in eos, qui nec primo nec ſecundo modo peccatores ſunt, regnâſſe mortem, quatenus hoc tertio modo peccaverunt. Hic expoſitionis modus rejiciendus, cum nulla detur recta expoſitio per diſtinctionem peccatorum actualium: hoc autem ſic confirmatur. Primò, ratione infantium hoc non poteſt eſſe verum; illi non peccaverunt actualiter, & tamen in illos mors etiam regnavit. De infantibus hîc agi etiam patet, nam infan-
 tes

tes tam ſunt ſub reatu & mortis & condemnationis, quàm adulti, vel ut loquitur Prælector, *ſub omnimodâ moriendi neceſſitate*. 2. ratio ob quam ſentit Prælector, adultos ſub reatu eſſe, tam cadit in infantes, quàm in adultos, quin imò non in adultos niſi quia fuerunt infantes, ratio ea eſt naturalis ex Adamo propagatio. 3. aut nulla infantium vita æterna, aut ſunt etiam in Adamo mortui; nam memo vivificatur in Chriſto, niſi per Adamum mortuus. Deinde ratione adultorum hęc verba de actuali peccato exponi non poſſunt, quia Apoſtolus non actualia poſterorum peccata, ſed ipſum tantummodo lapſum & inobedientiam Adami conſiderat: *unius lapſu multi mortui* v. 15. *reatus ex uno lapſu*. com. 16. *per unum lapſum mors regnavit* 12: rurſum v. 18. *per unum lapſum: per inobedientiam unius* 19. hæc ſane efficaciſſimè omnis actualis peccati conſiderationem excludunt. Denique ſi per generis propagationem omnes morti obnoxii, acceſſus peccati actualis non requiritur, erunt enim omnes morti obnoxii, ex vi iſtius naturalis ex Adamo originis.

CAP. V.

De libero hominis arbitrio.

1. EX iis quæ ſupra diſputata ſunt, ſatis conſtare poteſt, in homine liberum arbitrium eſſe, ſi modo id verum eſt, quod omnes concedunt, & ratio ipſa manifeſtè docet, in primo homi-

homine ante lapſum liberum arbitrium fuiſſe. Nulla enim cauſa eſt, cur propter lapſũ eo privari debuerit. Quandoquidẽ nec rei ipſius natura id poſtulat, nec Dei juſtitia patitur. Sed neque de pœna iſta, inter ea, quę pœnæ loco Deus lapſui illi conſtituit, ulla prorſus fit mentio, ut Gen. c. 3. legenti perſpicuum eſſe poteſt.
2. Sed quæritur, quatenus liberũ hominis arbitrium extendatur, & quas vires habeat? Quoniam igitur concedimus, in plerisque hominibus, non quidem propter peccatum primi parentis, ſed propterea, quia homines paulatim degenerârunt, & ſeipſos corruperunt, innatam quodammodo eſſe magnam ad peccandum proclivitatem, & pravitatem quandam, idcircò dicimus, in plerisque hominibus naturaliter exiguas eſſe vires, ad ea præſtanda, quæ Dei lex jubet: ea autem præſtandi voluntatem in omnibus naturâ eſſe poſſe, atque adeò in plerisque eſſe, niſi peccandi aſſuetudine factum ſit, ut quis ipſo peccato atque iniquitate delectetur. Quod ita ſe habere, planum faciemus cum caput 7. epiſtolæ ad Rom. de juſtificatione noſtra agentes, explanabimus. Porrò vires non ita exiguæ ſunt, ut homo Dei ope accedente, ſi ſibi ipſi vim facere velit, legi divinæ parére non poſſit. Opem autem ſuam nemini eorum denegat Deus, quibus legem tulit, alioquin legem ſuam non ſervantes, nullâ ratione vel reprehendere, vel punire poſſet, & tamen utrunque facit. Itaque non eam legem tulit Deus, quam nemo ſervare poſſit, ſiquidẽ lex, ut inquit paulus, ad vitam data eſt. Atqui, Rom. 7. 10.

Rom.10.5. ut idem ex Moſe ait, is demum per legem victurus eſt, qui ea fecerit, quæ lex jubet. Sed tamen eam dedit legem, ad quam ſervandam ipſius auxilio opus foret, ut perpetua cauſa eſſet, cur ab ipſo penderemus, eumque vitæ ac felicitatis noſtræ auctorem clarius agnoſceremus. 3. Iam veró auxilium iſtud divinum duplex eſt, exterius & interius. Exterius auxiliũ ſunt promiſſiones legi adjunctæ alicujus boni, cujus deſiderio ac ſpe homines permoti, legẽ ſervandi difficultates ſuperant; vel minæ alicujus mali, cujus odio et metu perterriti, ab ea infirmanda ſedulo ſibi cavent, earumque & promiſſionum & minarum externæ confirmationes. Multo autem magis promiſſionibus ad aliquid faciendum adducimur, quàm minis. Quocirca, cùm ſub novo Teſtamento promiſſa longè præſtantiora ſint, quàm ſub vetere; hinc fit, ut ſub novo divinæ legi parere, multò facilius ſit, quàm ſub vetere. Interius autem auxiliũ duplex eſt: Unum cum Deus id, quod ſibi obedientibus promiſit, eorum etiam cordibus quodammodo inſcribit. Alterum, cum ad ipſius voluntatem rectè percipiendam, quę in externo verbo, propter res infinitas, de quibus in humana vita agere & deliberare contingit, expreſsè omninò contineri nequit, mentem erudit, eamque illuſtrat. De hoc poſteriore ii omnes loci intelligendi ſunt, in quibus rogatur Deus, ut voluntatẽ ſuam doceat, ut Pſal. 143. 8. 10. & Pſal. 119. multis in locis, præſertim verò in littera Aiin. De priore verò ii, in quibus Spiritus Sancti fit mentio,

quem

quem Deus, tanquam arrhabonem quendam futuri alicujus magni boni, hominibus largiatur, de quo 2. Cor. 1. 22. & cap. 5. 5. Epheſ. 1. 13. 14. Nam externa dona Spiritus Sancti, in locis iſtis intelligi non debere, ſed interiorē quandam vim, primus ex ipſis oſtendere videtur, ubi ſcriptum eſt: *Et dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*. Ex his duobus interioribus auxiliis, prius magis proprium eſt novi Teſtamenti: poſterius verò veteris. Quod quemadmodum in novo Teſtamento, vera bona promiſſa ſunt: ſic in vetere Dei voluntas in moralibus actionibus non ita explicata eſt, ut in novo. Ex iis autem quæ dicta ſunt colligi poteſt, verum auxilium id eſſe, quod exterius appellavimus, cum interius utriusque generis, nihil aliud ſit, quàm exterioris ſuggeſtio quædam & obſignatio; præſertim verò cùm nemini interius contingat, niſi priùs exteriore rectè uſus ſit. Niſi enim quis externas Dei voces audiendo, ejus promiſſis fidem adhibeat, obſignationem illam eorundem promiſſorum in corde ſuo per Spiritum Sanctum non accipiet: credentibus enim et obedientibus Spiritus Sanctus datur, Actor. 5. 32. Eph. 1. 13. Similiter, niſi quis Dei apertiſſimam voluntatem, pro viribus exequi ſtudeat, nunquam aliquantò occultioris cognitionem veram habiturus eſt, & divina oracula perfectè intellecturus. Namque, ut Salomon ait, *Initium ſapientiæ timor Domini*. Cæterum animadvertendum eſt, nos de ordinaria ac perpetua Dei voluntate atque operatione, in prædictis auxiliis ejus interi-

Proverb. 1. 7. & 9, 10.

interiore et exteriore explicandis, locutos fuiſſe; nec propterea excludere caſus illos, in quibus Deus alia etiam ratione hominibus interdum auxiliatur, eorumque mentem & animum immutat ac renovat, utque ſibi obdeiant, efficit. Quis enim Dei judicia ſatis noſſe aut explicare poteſt? Sed ut ad propoſitum revertamur, conſtitutum eſto, in homine etiam poſt Adami lapſum liberum arbitriũ eſſe, nec vim hanc naturalem ex eo tempore imminutã eſſe, niſi quatenus homines ſæpiùs peccando peccandi habitum contraxêre, & ſeipſos corrupêre, eamq; corruptionem ad poſteros, per ſeminis propagationem tranſmiſêre, atque etiamnum tranſmittunt.

REFUT. CAP. V.

De libero hominis arbitrio.

POſtquam contra peccatum originis dixit adverſarius, jam quinto cap. pro libero arbitrio incipit dicere; hoc enim eſt περιμάχητος illa Helena, pro qua tam acriter contendit adverſarius, cum omnibus iniquis gratiæ æſtimatoribus, qui non aliter quàm perſonati Iri Cræſum mentiuntur cum angelo Laodicenſi.

De qua pugnatur

Sect. 1. Hoc liberum arbitrium eſt titulus ſine re, peccando enim homo ſe & liberum ſuum perdidit arbitrium, rei naturâ ſic poſtulante, & Dei juſtitiâ patiente. Dico naturâ rei ſic poſtulante, ſive intrinſecam & nativam peccati naturam ſpectes, cujus erat peccatorem cor-

corrumpere;ſive ſpectes vim meritoriam peccati. Dico juſtitiâ Dei patiente, imò juſtiſſimi in pœnam peccati ſic ſtatuente, hominem libero arbitrio privatum, in miſeram peccati ſervitutem incidiſſe: nec juſtitiam Dei id pati poſſe dubitare poteſt Socin. qui alibi non diffitetur, *Deum peccata peccatis punire; à Deo deſeri Deum deſerentes; indurari, excæcari peccatores*. Neque etiam obſtat ſententiæ orthodoxæ & Antipelagianæ, quod de pœnâ iſtâ, inter ea, quæ pœnæ loco Deus lapſui illi conſtituit, nulla prorſus ſit mentio, intellige κατὰ τὸ ῥητὸν, Quoad literam.
ſicuti nec vox liberi arbitrij literaliter in ſcripturis reperitur, ut nec æternæ mortis ſit expreſſa mentio, quã tamen pœnã iſtius peccati facit Socinus, & ab iſtâ generali mortis comminatione, mors animæ ſpiritualis, quâ liberi arbitrij amiſſio continetur, tam comprehenditur, quàm omnes corporis afflictiones, morti temporali præcedaneæ, quæ inter pœnas peccati recenſentur. Deinde Apoſtolus Paulus, quem egregium Moſis hac in re interpretem habemus, inter primi peccati pœnas amiſſionem liberi arbitrij ad verum & ſpirituale bonum recenſet; nam liberum arbitrium, liberum juſtitiæ & ſervum peccati factum eſſe docet, ut ſupra demonſtravimus; nec libertatem hominis aliam agnoſcit niſi manumiſſionem à juſtitiâ, quæ miſerrima eſt peccati ſervitus.

Sect. 2. Sententiam ſuam Pelagianam de liberi arbitrii viribus ad bonum magis & apertius proponere incipit. Ait ergo *exiguas in pleriſque*

pleriſq; hominibus naturaliter eſſe vires ad ea præſtanda, quæ lex Dei jubet, cauſam autem ejus rei non primi hominis peccatum eſſe, ſed quia homines peccando paulatim degenerant. Hic primò obſerva, lector, quod cauſam imaginariam pro verâ ſubſtituunt, quod ſectione 11. cap. ſuperioris eſt oſtenſum. Item pro eo, quod dicere debuiſſet, in omnibus ad unum uſque cum ſcripturis, *de ſuo ſupponit in pleriſque*, de quâ re dixi ſect. 10. præcedentis capit. quæ hîc repetere ſupervacaneum foret. Vires ait exiguas, ſed dum ſe jactat de libero arbitrio, recuſat ejus eſſe ſervus, qui dixit, ſine me nihil poteſtis facere Joh. 15.5.

Pergit ulterius, *voluntatem præſtandi quæ lex jubet in omnibus naturâ eſſe poſſe, atque adeo in pleriſque eſſe, niſi peccandi aſſuetudine factum ſit, ut quis ipſo peccato delectetur; hoc ipſum cap. 7. Epiſtol. ad Rom. doceri.* Contra probatur primò voluntatem faciendæ legis divinæ, quòd ad ſpiritualem legis obedientiam & juſtitiam attinet, in omnibus naturâ eſſe non poſſe. 1. Quia omnes & ſinguli ſunt mortui in peccatis, mors autem illa omnem vitam ſpiritualem excludit, ac proinde etiam bonam voluntatem. 2. gratia regenerationis & ſpiritualis reſurrectionis, principium & cauſa omnis boni, bona ergo voluntas homini tribui non poteſt, ſine præcedaneâ hac gratiâ. tantùm gratiæ in Chriſto adimitur, quantum naturæ tribuitur: Scriptura autem N. Teſtam. imprimis, perſpicuè omne ſpirituale bonum, gratiæ in Chriſto vendicat. 3. Si voluntas in omnibus naturâ eſſe

râ eſſe poſſet, non dixiſſet Paulus θεὸς γάρ ἐστιν ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν τὸ θέλειν Philip. 2. com. 13. 4. Non poteſt hæc voluntas homini eſſe naturalis, cum potentia cognoſcendi non ſit naturalis, velle autem non poteſt homo, quod cognoſcere non poteſt; cum voluntas non tendat in objectum incognitum. Potentiam autem cognoſcendi non eſſe naturalem, probatur, quia homines in naturalibus ſuis, & extra regenerationis gratiam conſiderati, *tenebræ ſunt* Joh. 1. com. 5. Eph. 1. 8. *non intelligunt non exquirunt Deum*: hac potentiâ cognoſcendi ſpoliat hominem Apoſtolus Paulus 1. Cor. 2. 14. Dicet quis hîc non de lege Dei agi, de quâ inter me & adverſarium hoc loco controverſia. Verùm ſciat lector, nomine legis adverſarium intelligere, univerſè voluntatem Dei lege & Euangelio revelatam. Verba enim ejus ſunt 3. ſect. hujus cap. *Quocirca cum ſub N. Teſtam. promiſſa longè præſtantiora ſint, quàm ſub v. hinc fit ut ſub novo divinæ legi parere, multo facilius ſit, quàm ſub v.* Deus eſt qui operatur in vobis velle.

Excipiunt ad hunc locum Photiniani. Smalcius Diſput. 8. contra Frantz, *eo locutionis genere à Paulo indicatum tantùm, divinâ revelatione opus eſſe, ad cognoſcendum ea quæ Euangelium continet: neminem quantumvis ingenioſum & virtutis amantiſſimum, unquam ea per ſe excogitare potuiſſe.* catecheſ. Racov. cap. de cauſis pateſaciendæ ſalutis viæ eodem ſenſu, *eam cognitionem, rationem humanam longè excedere,* nec aliter ij qui clanculum hæc fovent in noſtris regionibus: ſic enim quidam præcipuus

ad

ad locum Mat.16.com 17. *Tu hæc, per propriam induſtriam excogitare non potuiſſes*; paternam revelationem, claram propoſitionem, externâ Euangelij prædicatione factam interpretatatur. Sed de hac Smalcianâ expoſitione videamus. Si animalis homo, eſt homo carens Euangelij doctrinâ, ut hæc Smalciana expoſitio importat, ſpiritualis erit ille, qui externâ doctrinâ Euangelij non eſt deſtitutus; & ſic omnes ſpirituales erunt, quotquot Euangelium revelatum: hoc autem apertiſſimè falſum eſt; nam Judæi quibus Chriſtus prædicatus offendiculum, & Græci quibus ſtultitia fuit, 1.Cor. 1. 23. non fuerunt ſpirituales, nec ij qui Dominum gloriæ non cognoverunt, ſed crucifixerunt, ſprirituales fuerunt; nam ſpirituales, per ſpiritum qui ex Deo, *ſciunt, quæ Deus gratificatur ipſis* 1. Cor. 2. 12. *& omnia dijudicant*, v. 15. ejuſdem cap. & *percipiunt quæ ſunt ſpiritus Dei*, ſpirituales ergo non ſunt illi, qui externam verbi revelationem & doctrinam habent, ſed ij qui internam & arcanam Spiritus Sancti illuminationem habent, conſequenter animalis homo non eſt homo, carens externâ Euangelij revelatione, ſed internâ Spiritus Sancti illuminatione. 2. Non de excogitatione eorum quæ ſunt Spiritus; ſed eorundem perceptione, judicio & aſſenſu Paulus agit: ratio eſt, quia non actu inventionis aut excogitationis homo animalis & ſpiritualis diſtinguuntur, neuter enim excogitat aut invenit, ſed perceptione, judicio & aſſenſu diſtinguuntur; Paulus autem non de eo, in quo

conve-

conveniunt animalis & ſpiritualis homo agit, ſed de eo, in quo diſtinguuntur. 3. Non oſtendit Apoſtolus his verbis hominem animalem non excogitare ea quæ per ſermonem Euangelij loquebantur & prædicabant Apoſtoli: quis enim neſciat ſe per ſuam induſtriam, non excogitare ea, quæ quotidie ab Apoſtolis proponuntur, imò cui unquam hoc in mentem venire potuit, ut de eo ab Apoſtolo monendus fuerit? non oſtendit etiam hominem, hæc quæ prædicabant Apoſtoli, excogitare non poſſe, ſed prædicata dijudicare, cognoſcere, recipere non poſſe, eſt enim δέχεσθαι græcis, propoſita & oblata ab aliis, excipere, ſuſcipere, recipere, admittere.

Secundò probatur, voluntatem præſtandi, quæ Dei lex jubet, non eſſe naturà in pleriſque. 1. Quia, ut jam oſtendi, potentia non ineſt à naturâ: à negatione autem potentiæ, ad negationem actus, firmiſſima conſequentia eſt. 2. Nuſquam in Scripturis homines animales & irregeniti dicuntur velle â bonũ, nolle malum, juſtitia delectari, odiſſe iniquitatem; Sed contra dicitur: *Cogitationem cordis humani duntaxat malam eſſe omni tempore* Gen. 6. 5. Ubi intellectus nihil niſi malum cogitat, voluntas etiam non movetur, niſi in malum. *Non eſt juſtus ne unus quidem, non eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat quod bonum eſt, non eſt uſq; ad unum. Sepulchrum apertum guttur eorum: linguis ſuis ad dolum uſi ſunt: venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum*

rum os divis & amarulentià plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & calamitas in viis eorum. Et viam pacis non cognoverunt. Non èſt timor Dei coram oculis eorum Rom. 3. v. 10-18. Quid in talibus bonæ voluntatis ſupereſſe putabimus? In corde lapideo non eſt naturalis animæ facultas, quæ lege Dei delectetur, Ezech. 36. v. 26. Irregeniti faciunt, *quæ carni & cogitationibus libent,* Eph. 2. v. 3. Ubi voluntas bona in iis, *qui hoſtes mente & operibus malis*? Col. 1. v. 21: Si bona voluntas regenerationis gratiam præcederet, non gratia conferret omne bonum, ſed inveniret aliquid, nec Apoſtolus in univerſum Dei miſericordiam, juſtis noſtris operibus oppoſuiſſet, Tit. 3. v. 5. ſi naturæ eſt velle, non Dei id in nobis operari, contra ſcriptum eſt, Phil. 2. 13.

Obtendit adverſarius opinioni ſuæ cap. 7. Epiſtolæ ad Rom, in cujus explicatione ſe id planum facturum pollicetur, quæ explicatio poſtmodum conſcripta fuit & edita ſub nomine Proſperi Deſidæi. Sed nihil eſt in iſtâ Pauli diſputatione quod iſtam ſententiam firmet; non enim iſta voluntas bona, de quâ ibi Paulus, à naturâ eſt, ſed à gratiâ Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Totum autem illud Socini ſcriptum excutere, non eſt præſentis loci.

Pergat Socinus. *Vires non ita exiguæ ſunt, ut homo Dei ope accedente, ſi ſibi ipſe vim facere velit, legi divinæ parere non poſſit.* Sed quæ cauſa Socino opinandi, plus voluntatis, quàm virium

rium à naturâ ineſſe? Et unde didicit, non nullas prorſus, non ſufficientes, ſed aliquas & eas quidem exiguas à naturâ ineſſe? Has ſuas aſſertiones, nec ratione ullâ, nec ſcripturâ firmat.

Subdit: *Opem ſuam nemini eorum denegare, quibus legem tulit, alioquin legem ſuam non ſervantes, nullâ ratione vel reprehendere vel punire poſſe.* Hæc ſunt Pelagiana illa arma, in quibus tantum ſpei & roboris poni, ab hominibus alioqui ingenioſis & acutis, ſæpius apud me ſum miratus. Volunt Pelagiani præcepta commenſurata eſſe viribus. Cæleſtius Pelagianus apud Auguſt. l. de perfectione juſtitiæ ita diſputat rat. 2. *Iterum quærendum eſt. Peccatum voluntatis, an neceſſitatis eſt? Si neceſſitatis, peccatum non eſt, ſi voluntatis eſt, vitari poteſt.* ration. 6. *Iterum quærendum eſt, utrum præceptum homini ſit, ſine peccato eſſe. Aut enim non poteſt & præceptum non eſt, aut quia præceptum eſt, poteſt. Nam cur præciperetur, quod fieri omnino non poſſet?* Putant itaque Pelagiani conſequentiam reciprocam eſſe, affirmativè procedere, à præceptis ad potentiam, ut ſi præceptum eſt, poteſt homo; rurſum negativè, ſi non poteſt, præceptum non eſt. Contendit ergo Socin. legem latam præſtabilem fuiſſe, quia alioquin nec reprehenſioni nec pœnæ locus eſſet ob non ſervatam legem. Verùm falſa eſt illa ratiocinatio adverſarij, cùm peccatum neceſſarium eſſe poſſit; peccatum autem aut non eſt peccatum, quod eſſet oppoſitū: aut ſi peccatum eſt, hoc ipſo reprehenſione & pœnâ dignum eſt: neceſſarium autem eſſe poſſe peccatum probatur

authoritate Apoſt. Petri, qui ait *legem jugum eſſe importabile*. Act. 15.10. Quod fieri non poteſt, id neceſſariò non fit, æquipollent enim hę modales enuntiationes. Non poſſibile eſt eſſe; impoſſibile eſt eſſe; neceſſe eſt non eſſe. Idem confirmatur authoritate Pauli, peccatum poſſe eſſe neceſſarium, affirmat enim legis præſtationem impoſſibilem eſſe Rom. 8. v. 3. Rurſum *ſi data lex, quæ poſſet vivificare* Gal. 3. v. 2. Si legis ſervatio impoſſibilis, utique non ſervatio neceſſaria. Si data lex quæ poterat ſervari, data etiam lex, quæ poſſet vivificare: At falſum conſequens ex mente Paulinâ, ergo & antecedens. Ajo amplius, ſi data lex, quæ poterat ſervari, corruit Chriſtianiſmus, quia vana redditur promiſſio; irrita fit gratia, Chriſtus fruſtra mortuus. Hæc conſectaria ex iſto antecedente Paulus infert, ſi per legem juſtitia, irritam fieri gratiam; Chriſtum fruſtra mortuum eſſe, expreſſè teſtatum fecit Paulus, Gal. 2.21. Si ex lege hæreditas, non jam ex promiſſione; quâ poſitâ vana illa redditur. In idem etiam recidit, ſive juſtitiam, ſive hæreditatem ex lege eſſe dicas. Jam verò hæreditatem & juſtitiam ex lege eſſe, Paulo dicunt, qui affirmant datam legem, quæ vivificare poſſit; hoc autem, expreſſis verbis Socinum hîc affirmantem audimus: qui præterea ex eo etiam, quod lex data ad vitam dicitur, ratiocinatur, legem potuiſſe ſervari. Ego verò cum Paulo malo agnoſcere legis impoſſibilitatem, quàm gratiam & promiſſiones divinas irritas facere, & pretioſiſſimam Chriſti mortem exinanire.

nanire. Cùm ergo manifeſtum ſit, eos qui non poſſunt ſervare legem, non ſervantes peccati reos eſſe; apertum eſt reprehenſione & pœnâ eſſe dignos; nam *lex iram efficit*, Rom. 4-15. *Maledictus qui non permanet in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea*. Gal. 3.10.

Probatur amplius aſſertio noſtra, ex ipſis adverſarii principiis & confeſſionibus, puniri & reprehendi poſſe hominem, ob ea, quæ neceſſariò committit, vel omittit; nam poteſt homo peccando ſe in neceſſitatem peccandi conjicere, quod ubi contingit, non lex benefaciendi propterea ceſſat, quia ſi hoc fieret, non daretur neceſſitas peccandi, cum peccatũ eſſe non poſſit, ubi non eſt lex. Hoc totum pro ſuo agnoſcit Socin. cum fatetur Deum peccata peccatis púnire cap. 10. Prælect. Pœna non eſt in arbitrio delinquentis, ſed neceſſariò ſubeunda ex arbitrio judicis punientis. Eodem cap. de abnegatione Petri agens, ait Petrum propter temeritatem ſuam, promeritum fuiſſe, ut in ejuſmodi ſcelus laberetur, & divinâ gratiâ, quâ ab ipſo abſtinere potuiſſet, prorſus deſtitueretur: ex cujus gratiæ ſubſtractione, jam à Deo, in Petri temeritatis & arrogantiæ pœnam decretâ, neceſſariò negatio iſta, occaſione oblatâ conſecutura erat. Similia complura, per opus hoc Prælectionum ſparſa ſunt. Non poteſt ergo adverſarius hoc thema Pelagianũ retinere, niſi ex ſuis etiam principiis convinci velit. Et quâ tandem ratione perſuaderi poteſt, peccatum non poſſe eſſe neceſſarium, aut pœnâ & reprehenſione non eſſe dignum, quod

cum libertate indifferentiæ ad utrumque non committitur, aut omittitur? cùm laude & prœmio Chriſtus fuerit dignus, qui tamen non potuit non obedire, ut confitetur adverſarius in fine cap. 14. Prælect. Angeli peccare non poſſunt; cum laude tamen Deo obediunt. Nec Deus ſuà privandus laude; cum ſtat promiſſis; quamvis eſt Deus mentiri neſcius, & qui ſeipſum non poteſt abnegare.

Pro poſſibili legis obſervatione, authoritate loci Paulini, Prælector noſter pugnat. *mandatum*, inquit Paulus Rom. 7. v. 10, *quod erat ad*
Ad mortem *vitam* ζωὴν εἰς θάνατον. At verò, id quod eſt in quæſtione, ex hoc Pauli teſtimonio concludi non poteſt; nam etſi lex ſervata vitam contuliſſet, nequaquam tamen ſequitur ſervari potuiſſe. Si angelus è cœlo euangelizaret, præter id quod Paulus euangelizavit, anathematizandus eſſet; non tamen ſequitur angelum, aut aliud Euangelium euangelizare potuiſſe, aut abſolutè anathematizari potuiſſe. non valet interpretatio directè Pauli ſcopo contraveniens. Pauli ſcopus eſt oſtendere, imbecillitatem legis ad peccatum debellandum. Plana res eſt, ſi lex inefficax ad excutiendum peccati dominium, ſervari non poteſt lex. Quod ſi legis obſervatio poſſibilis, & conjuncta legis obligatiò, & potentia ſervandæ legis, dicat obſecro, quomodo ergo homo ſub lege conſtitutus, à dominio peccati liber eſſe non poſſit. Ego, qui meus eſt ſtupor, non aſſequor, quomodo ille qui legem ſervare poteſt, à dominio peccati non poſſit eſſe liber, quod Prælector noſter

in explicatione ſuâ 7. cap. ad Rom. affirmat de homine ſub lege conſtituto: ibi enim ſcriptum reliquit, illos qui jam eò pervenerunt, ut conſtitutum ſit ipſis ex toto corde legi obedire, tamen quamdiu ſunt ſub lege, à peccato nõ eſſe liberatos, quia etſi hoc unicè exoptant, viribus tamen ad obediendum deſtituuntur. ob hanc legis inefficacitatem & languorem, legem negat eſſe Spiritum, literam dici putat; ſpiritualem dici, non quia vim ad ſe præſtandam ſuggerat, ſed quia hominem ſpiritualem ſpiritu roboratum requirit.

Sect. 2. Quod ſi vires naturaliter exiguæ dicendæ ſunt, quia robur, augmentum & earundem ſufficientia à promiſſionibus & minis, legi adjunctis oritur; ob eandem etiam aut ſimilem rationem dicendum eſſet, nullam aut exiguam naturaliter ineſſe homini voluntatem præſtandi quæ lex jubet: nam niſi lex vel præſcriberet quod rectum & honeſtum eſt, & vetaret quod malum; aut promitteret & minaretur, non daretur in homine voluntas præſtandi, quæ Dei lex jubet. 2. falſiſſimum eſt per hoc Pelagianum adjutorium conferri vires, per quas ad normam divinę voluntatis, vita ſanctè & piè inſtituatur. Nam 1. hæc adverſarij opinio de auxilio quod in lege & doctrinâ, redarguitur per ipſam adverſarij ſententiam de homine ſub lege conſtituto; quod ſi enim per legales promiſſiones & minas, vires ſuppeditantur, ut iſtis roborati legis ſervandæ difficultates ſuperent, quomodo dicatur lex invalida, ad peccati vim ſuperandam? 2. Refellitur hæc

opinio per argumenta illa, quæ pro impoſſibilitate ſervandæ legis ſuperiore ſectione adduxi. 3. Si collatio tum virium ad præſtandam legem, tum actualis obedientiæ, ſita ſit in promiſſis & minis legis; tum circumciſio cordis, crucifixio peccati, regeneratio, nova creatio, vivificatio ex morte peccati, per externam legis prædicationem contingit: Tum non tantùm Novi fœderis eſt iſta vox, indã leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribam; ſed etiam veteris: Tum ubicunque lex ſonat forinſecus, & quandiu ſonat, leges cordibus inſcribuntur; cor lapideum aufertur; novum cor, novus ſpiritus datur: Tum indicia indurationis & excæcationis multa ſunt; ubi promiſſiones & minæ legis audiuntur. Profectò, per tales prælectiones, univerſa ſacræ ſcripturæ doctrina calcatur; & iſtiuſmodi ſermo, inſtar peſſimæ gangrænæ decerpit, quapropter & Hieronymi ad Cteſiphontem de hujuſmodi doctoribus judicium eſt, Diabolum per os eorum intolerabilem blaſphemiam ſibilare. Hannibal in ſomniis olim ſerpentem vidit, qui vaſtitatem Italiæ denuntiabat: hoc Pelagianum dogma, totius ſanæ doctrinæ, vaſtitatem denuntiat.

Nihilo meliora ſunt, quæ ſubdit. *Sub Novo fœdere, divinæ legi parere, multò faciliûs eſſe, quàm ſub. v. quia ſub Novo Teſtamento promiſſa longè præſtantiora.* Rurſum inculcat contra Apoſtolum Paulum, per legem ſalvari potuiſſe hominem, quamquam facilius per Euangelium: ſalvari enim potuit homo per legem, ſi ſervare

eam

eam potuit. Magna hæc cæcitas, Judæum Deo parere poſſe; Chriſtianum tantummodo facilius poſſe. Faceſſat à nobis tanta vecordia. Julian. libro de amore. *Per arbitrium liberæ voluntatis poſſumus bona facere, quæ volumus, quamvis per auxilium gratiæ Dei, facilius ea perficere queamus: quomodo viantes iter pedibus quidem peragere valemus; ſed minore abſque dubio labore, quum nobis equi, quibus vehamur, adfuerint.*

Exiſtimat Prælector promiſſum æternæ & immortalis vitæ, quod per promiſſa longè præſtantiora intelligit, & Novi Fœderis ex ſenſu ipſius proprium eſt, tantas conferre homini vires, ut longè facilius ſit, divinæ legi parere, quàm quidem ſub lege. In quo ejus dicto eadem hæreſis, quam jam redargui, de auxilio, quod in lege & doctrinâ. Equidem ſi per promiſſionem æternę vitæ, idoneus redderetur ad præſtandam obedientiam, lege Dei præſcriptam; & per iſtam promiſſionem, promptè obedientiam Deo debitam præſtaret actu; jam nullæ hic Spiritus Sancti partes; ſupervacua ejus opera; promiſſio æternæ vitæ ſatis efficax ad regenerandum, ac vivificandũ mortuos in peccatis, ad creaturas novas faciendas: & nihil eſt in novo homine, nihil in novi hominis obedientiâ, moribus, vitâ, ad quod efficiendũ, promovendũ, ipſum æternæ vitæ promiſſũ non ſufficiat. Conſequenter, etiamſi Spiritus Sanctus, neq; Deus, nec Chriſtus quicquã agerent aut operarentur in fidelibus, & ceſſarent ab omni actione, ut nunc quidem ceſſant

Prophetæ & Apoſtoli, nihilominus Deo obediretur, incrementum daret promiſſio, leges cordi inſcriberet, cor aperiret,& Corinthii eſſent Epiſtola Chriſti, ſcripta per promiſſionem, novæ creaturæ quotidie fierent, & præcepta Jeſu Chriſti ſervarentur; cum iſtis abſurdis poſitis, nihilominus promiſſio æternæ vitæ extaret & extare poſſet. Ad ejuſdem vim & efficaciam, nihil aliud requiritur, quàm ut promiſſio facta, certiſſimè impleatur.

Præter hoc quidem auxilium exterius, ſtatuit Prælector auxilium interius, hoc eſt, donum Spiritus Sancti, quo Deus quodammodo cordibus inſcribit, quod ſibi obedientibus promiſit: Unde Smalc. cap. 8. lib. de divinitate Jeſu Chriſti ſcribit: *Spiritum illum ſanctum, qui eſt promiſſum Novi Fœderis proprium, nihil aliud eſſe, quàm ſpem vitæ æternæ, nobis à Deo promiſſæ, quam in animis noſtris ſentiamus certam & firmam.* At verò hoc auxilium, ex ſententiâ Smalcii, poteſt habere homo Chriſtianus, etiamſi peculiari Dei dono non conferretur; ipſum enim auxilium externum ſufficere arbitratur ad iſtam certam & firmam æternæ vitæ ſpem ingenerandam. Sic enim ibidem idem Smalc. *Homines per ipſam auditionem Euangelii, ſpem vitæ æternæ concipere poſſe. Cur enim,* inquit, *in Euangelio vita æterna promitteretur, ſi homines ex ejus prædicatione ſpem ejuſdem concipere non poſſent?* Rurſus eodem cap. *Durat quidem hic Spiritus Sanctus perpetuò, quatenus nemini credenti negatur: at non durat perpetuò iſto modo, ut perpetuò in hominibus habitet.*

Rurſus

Rurſus paulo poſt, *poteſt igitur homo planè multum præſtare, abſque iſtâ Spiritus Sancti ſingulari operâ: imò ut, quod ſentio, palam proferam, tanta eſt vitæ æternæ vis, ut ſi quis ex animo eam eſſe credat, omnia facere & perpeti poſſit, quæcunque Chriſtus nobis præcepit.* Et hæc quidem Smalcius ex hodiernæ Photinianæ Theologiæ hypotheſibus. concludo itaque, hoc auxilium non omnino fidelibus eſſe neceſſarium: proinde etiamſi hoc auxilium nō eſſet, nihilominus, ad totum illud, quod mox recenſui, ipſa promiſſio immortalis vitæ ſufficeret. Deinde cum juxta adverſariorum confeſſionem, hoc auxilium non niſi obedientibus & regeneratis detur, valida nihilominus erit facta à nobis argumentatio, quoad ipſa initia: nemini enim interius contingit, niſi prius exteriore rectè ſit uſus, ut Socinus ait hac eadem ſectione. Non exigua in hoc adverſariorum cæcitas, quod fidem, obedientiam & regenerationis opus, à ſolo libero arbitrio proficiſci dicant; cùm Spiritus Sanctus non tantùm detur credentibus, ut pignus hæreditatis; ſed & fidei & obedientiæ author ſit; quod probatur ex Joh. 6. v. 45. Eſ. 44. 3. 4. 5. Heb. 10. 16. Et per Spiritum non tantùm obſignantur regenerati in diem redemptionis, Eph. 4. 30; Sed per eundem etiam regeneratio obtingit, Joh. 3. 5. Tit. 3. 5. Carnis mortificatio per Spiritum eſt Rom. 8. 13. Et qui non ſunt carnales ſunt ſpirituales: fideles autem & regeniti, eo quod ſunt fideles & regeniti, ſunt non carnales, ac propterea etiam hoc ipſo ſpiritu-

ales: ſpirituales autem ii ſunt, qui Spiritum Chriſti habent, Rom. 8. com 9.

Quod verò alterum auxilium interius priori adjungit Prælector, parvi momenti eſt, cum de hoc auxilio non magnopere laborent adverſarii, nam Oſterodius cap. 1. inſtitut. Germanic. totus in eo, ut probet hominem, ſine peculiari illuminatione Spiritus Sancti, ſcripturas intelligere poſſe. Concludit ſub finem cap. ſcripturam intellectu difficilem & obſcuram non eſſe in iis, quæ ad æternam ſalutem ſunt neceſſaria. Socin. lib. 4. de Servatore ſimilia, pag. 559. Nihil aliud Oſterod. prædictis ſignificat, quàm hominem ſine illuminatione Spiritus Sancti ſufficere, ad percipiendum ſalutariter ſenſum omnem ſcripturæ, qui ad obtinendam æternam vitam neceſſarius. Audiat Prælector ſuum alibi, de hoc auxilio, judicium. Cum Spiritus Sancti conſilium fuerit, ut ſacræ literæ vulgò legerentur, atque intelligi poſſent; neceſſe eſt ut in locis ſaltem intellectu neceſſariis, earum ſenſus unicuique pateat, qui ſuâ aliquâ culpâ mentis aciem hebetatam non habent. Socin. contra eos, qui rerum ad ſalutem pertinentium cognitionem per ſe ipſi non diligenter inquirunt pag. 109. 100. Idem; Sacræ ſcript. ita apertæ atque expeditæ ſunt, ut nemo, qui eas non intelligat, planè ſtupidus non videatur, ſolut. ſcrupalorum. reſp. 6. Dico præterea, voluntatem, quæ verbo expreſſè non continetur, ex adverſariorum ſententiâ, non eſſe neceſſariam factu ad ſalutem, proinde nec ſcitu: conſequenter, auxilium,

xilium, quo mens illuſtratur, ad voluntatem iſtam percipiendam, non eſt neceſſarium, ad debitam divinæ legis obediéntiam. Quorum expreſſa & diſerta mentio non extat in ſacris literis, ad ſalutem non ſunt neceſſaria, Smalc. refut. lib. de ſatiſ. pag. 178. Idem, ea enim ῥητῶς extare neceſſe eſt, ſine quibus ſalus non datur, Refut lib. de Err. Arian. 1. cap. 3. Fides ergo, obedientia, regeneratio, ſinè hoc auxilio, optimè conſiſtere poteſt. Sed accipiamus, quod hîc dat Prælector, auxilium hoc neceſſarium eſſe, ad obedientiam voluntatis, quantulum eſt illud quod confitetur: Nam 1. illa mentis illuſtratio, quam ponit hic Prælector, non conſiſtit in infuſione potentiæ ſpiritualis intellectivæ, ſed tantummodo in propoſitione objectivâ intellectui factâ (eſt enim hoc interius exterioris & veri, ut loquitur Prælector, auxilii ſuggeſtio quædam) cum tamen gratia Spiritus in intellectu requiſita, non tantùm intellectui proponat & ſuggerat objectũ, ſed potentiâ apprehenſionis, judicii, aſſenſus, docet intellectum, ut docetur, 1. Cor. 2. v. 12. 14. 15. 2. Cor. 3. v. 5. 2. Cor. 4. v. 6. 1. Joh. 2. v. 20. 2. Hæc illuſtratio mentis non eſt neceſſaria tantùm, ad aliquam voluntatis divinæ partem ſalutariter percipiendam, ſed ad totam, quod præter allegata loca alia probant innumera. Totum Spiritui Sancto debetur, & ubi lex non diſtinguit, nos non debemus diſtinguere. David non diſtinguit inter præcepta Dei, cum precatur ſibi dari intellectum, ad mandata Domini rectè diſcenda;

da ; ſed universè omnia & ſingula mandata legis, ſine diſcrimine, crebrò repetitis precationibus comprehendit. 3. Hoc auxilium Prælectoris non ſatis facit, ad quæſtionem propoſitam ; nam non diſputat hoc loco Prælector, de cognitione legis & voluntatis divinæ ; ſed de ipsâ præſtatione legis, & obedientiæ viribus. 4. Tam voluntati, affectibus cæteriſque humanarum actionum principiis, gratia Spiritus Sancti eſt neceſſaria, quàm intellectui illuſtratio Joh, 6. 44. Joh. 15. v. 5. Rõ. 6. 17. Rõ. 8. v. 2. 8. 1. Cor. 6. 11. Gal. 5. 22. Ph. 2. 13. Col. 1. 11. Quinimo ſi vera ſententia adverſarii ſuper 7. cap. ad Rom. de homine ſub lege conſtituto, non ipſi menti & rationi ſubſidia illuſtrationis videntur neceſſaria, ſed aliis potius humanarum actionum principiis ; non enim queritur ille homo, de legis aut boni & mali ignorantiâ ; ſed quod non inveniret, quomodo à malo abſtineret, & bonum præſcriptum faceret.

Subjicit *dictis ex his duobus auxiliis interioribus, prius magis proprium eſſe N. Teſtam: poſterius verò.* V. Ex quibus verò ſcript. id hauſerit, neſcio. Scripturæ defectum ſuo placito ſupplet dicens, quemadmodum in N. Teſtam. vera bona promiſſa ſunt ; ſic in V. Dei voluntas, in moralibus actionibus, non ita explicata eſt ut in Novo. Spiritum ergo Sanctum exiſtimat, magis Novi Teſtamenti proprium, quia vera bona in Novo Teſtamento promiſſa ſunt ; in quo tacitè à Prælectore Novum Teſtamentum V. opponitur, ac proinde Spiritum

tum Sanctum in Novo tantùm,non in V. Teſtam. promiſſum fuiſſe. Sed dato vera bona in Novo Teſtam. tantùm promiſſa fuiſſe, non ſequitur Spiritum Sanctũ qui rei promiſſæ pignus eſt, in V. Teſtam. non promiſſum fuiſſe, niſi prius conſtet & pro certo habeatur Spiritum Sanctũ quà rei promiſſę pignus,inter vera tantùm bona recenſendum eſſe: hoc autem in ſententiâ Prælectoris non eſt certum; ſed potius contrarium; cum enim bonum, in fidelibus V. Teſtam. obſignatum, non verum bonum ſed temporale tantùm fuit ex mente Prælectoris; iſtius etiam boni, impreſſio animis facta, per certam & firmam ſpem, hoc eſt,arrhabonem Spiritum Sanctum,inter vera bona non eſt reputanda, cum ſpes boni excellentioris naturæ non ſit, quàm ipſum bonum promiſſum. Tam verò non tantùm Spiritus Sanctus eſt arrhabo promiſſorum in Novo,verùm etiam eorum, quæ in V.Fœdere ſunt promiſſa; nam ut mox prælegentem audivimus, id quod ſibi obedientibus promiſit Deus, eorum cordibus inſcribit perSpriritumSanctum.Hac ergo ratione adverſarii admiſſâ,de veris bonis in N. Teſtam. tantùm promiſſis, nihil tamen obtinet ad quęſtionem propoſitam pro ſe concludendam.

Secundò ait,in V. Dei voluntatem, in moralibus actionibus, non ita explicatam eſſe ut in Novo: hoc quidem dicitur, ſed validiſſimis rationibus ſuffultum non proponitur,quod tamen Socinũ perpetuò facere, jactabat in pręfatione Smalcius.DoctrinamChriſti moralem Matthæi

Mathæi quinto capite comprehenſam, non pro explicatione & interpretamento legis habet, ſed pro novo legis Moſaicæ additamento; ubi verò aut quibus locis, hæc illuſtrior voluntatis divinæ explicatio facta ſit, divinare non eſt meum, Davus ſum, non Oedipus: μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει σοφῶς; bene qui conjicit, vatem hunc perhibeto optimum. Interea non nego Vet. Teſtam. Novo claritate cedere; ſed iſta claritas doctrinæ cauſa non eſt, propter quam illuſtratio mentium per Spiritum Sanctũ minus jam neceſſaria, quàm in Vet. Si quis loquitur ὡς λόγια θεοῦ 1. Pet. 4. com. 11. nullus apex Scrip. à Prælectore profertur; ſed ubi deficit Scrip. locum ſupplet aſſeverandi audaciâ; quidlibet enim homo fingere poteſt, & cum Ariſtophanico illo Socrate ἀεροβατεῖν καὶ περιφρονεῖν τὸν ἥλιον.

Scandere per aerem & pluris ſe eſſe putare quam ſolem in ſumma inanitate verſari.

Sect. 4. Inoffenſo pede tranſiri poteſt: ejus, hîc quas reponit aſſertiones, de non amiſſo libero arbitrio, de corruptionis cauſis, parum moror; non enim quid identidem aſſeratur, ſed quid probetur attendendum arbitror, & tales contra Prælectorem à me allatas rationes ſpero, ut perſuadeam mihi, quod in contrariis concluſionibus, piæ conſcientiæ facile ſint acquieturæ: interea contorqueat & concludat Socinus, quod à ſe jam perfectum opinatur.

Cap. VI.

De Dei prædeſtinatione.

VErùm huic non minùs veræ, quàm teſtatiſſimę in ſacris literis ſententiæ, Dei prędeſtinatio opponitur, quâ ab omni æternitate, de ſingulis hominibus nominatim decreverit, quis omninò ſervandus, quíſve damnandus ſit. Nam ſi hoc verum eſt, cùm ſatis conſtet homines probos ſervandos eſſe, improbos verò damnandos, neceſſe eſt, ut Deus decreverit ſimiliter, quínam probi, quíſve improbi ſint futuri; aut certè, ut jam id certum ab omni æternitate ſit. Ex quo efficitur, ut nulla libertas hominibus relinquatur, in iis, quæ ad ſuam ipſorum probitatem vel improbitatem ſpectant: quicquid multi in Romana Eccleſia dicant, qui omninò volunt, prædeſtinationem iſtam unà cum libero arbitrio hominis conſiſtere poſſe, quod ſecùs ſe habere, ea, quæ deinceps dicemus, planum facient. 1.

Negamus igitur nos iſtam prædeſtinationem, idque (præter innumerabilia ſacra teſtimonia eam apertè negantia, quibus, quod adverſariorum ſententiam refellere potiùs, quàm noſtram confirmare, nobis propoſitum ſit, afferendis ſuperſedebimus) ob duas potiſſimùm cauſas. Una eſt, quòd, ſi ea vera eſſet, omnis religio funditus tolleretur. Altera, quòd eâ admiſsâ, neceſſe eſt Deo multa ipſo indigniſſima attribuere. 2.

Tolle-

3. Tolleretur omninò, ſi prędeſtinatio iſta vera eſſet, religio univerſa, quia manifeſtè ex ea conſequitur, quæcunque ad pietatem pertinent, omnia ex neceſſitate fieri. Quod ſi verum eſt, quorſum attinet laborare ac ſtudere, ut pii ſimus? Fruſtra eſt enim omnis labor, omneque ſtudium, ubi neceſſariò omnia eveniunt quemadmodum ſenſus ipſe communis nos docet. Labore autem iſto ac ſtudio ſublato, omnem religionem interire neceſſe eſt.

4. Deo verò, ſi prædeſtinatio iſta admitteretur, quatuor, quæ vel nominare animus horret, tribuerentur: Iniquitas, Simulatio cum deceptione conjuncta; Inſcitia & Pravitas.

1. Iniquitas, quia iniquiſſimũ planè eſt, quenquam idcircò punire, quòd ea non fecerit, quę facere nullo modo potuit. Atqui Deus eos punit, qui improbi ſunt, & ipſi non obediunt, quorum tamen in poteſtate nullâ ratione ſitum eſt, ut ſint probi, Deoque obediant, ſi jam certum aut decretum eſt, ne probi ſint, neve Deo obediant. Eſt autem hæc iniquitas eò major, ſi ipſe Deus id decreverit, quemadmodum ex iſta prædeſtinatione neceſſariò conſequitur, ſi ea ita accipiatur, ut ab iis fieri ſolet, contra quos potiſſimùm diſputatio hæc noſtra inſtituta eſt: qua de re paulò poſt, cum de pravitate, cujus Deus per iſtam prędeſtinationem inſimulatur, agemus, aliquid apertiùs dicendum erit. Itaque iſtâ prædeſtinatione admiſſâ, Deus homines punit, quia eá non faciant, quæ ut facere nullo pacto poſſent, ipſe conſtituit, quo nihil iniquius excogitari poteſt.

Simu-

Simulatio cum deceptione conjuncta, quia cùm ipſe jam decreverit, ut bona, imò major pars eorum, qui Euangelij prædicationem audiunt, non ſerventur, ſalutem tamen omnibus in ipſa prædicatione offert. Itaque unum agit, aliud præ ſe fert, quod propriè ſimulare eſt; & quod gravius eſt, id ea in re facit, unde alter dicipitur. Audit enim, exempli causâ, quiſpiam ex reprobis (quos iſti vocant) ſibi à Deo per Euangelij prædicationem, ſi vitam correxerit, promitti peccatorum veniam, & vitam æternam, & propterea, ut vitam ſuam emendet, & ſtudet, & curat, viamque iſtius ſalutis ingreditur: ſed in medio curſu deinde deficit, nempe, quia Deus ita decrevit, atque ne ulteriùs progrediatur, ſed planè concidat ſuâ illi ſubtractâ gratiâ, ſuo tempore efficit. Hoc autem in omnibus, qui ad tempus credunt, ſi prędeſtinatio iſta vera eſt, evenire neceſſe eſt. Qui an ſe deceptos fuiſſe, jure conqueri poſſint, nec ne, omnibus judicandum relinquo.

Inſcitia porrò in eo eſſet, quòd id videretur Deus tentare, quod fieri non poſſe, optimè novit. Stultum eſt autem, id vel conari reverâ, vel etiam conari præ ſe ferre, quod fieri non poſſit, atque ea ratione ſe cunctis deridendum præbere. Hoc dico, quia prædeſtinationem iſtam ita veram eſſe adverſarij ſtatuunt, ut Deus eam omninò credi velit, deque ea nihil prorſus dubitari. 6.

Pravitas poſtremò ideò Deo tribueretur, quia peccati autor fieret. Nam ſi neceſſe eſt, ut quicunque condemnatur, is etiam peccet, 7.

 certe

certè qui antequàm is peccet, ſtatuit ut quis omninò damnetur, ſtatuit etiam, ut omninò peccet. Neque enim eò confugere adverſarij poſſunt, ut dicant, idcircò Deum ab omni æternitate aliquos damnâſſe, quia præviderit eos peccaturos. Impium enim eſſe ſtatuunt, ſi quis Dei prædeſtinationem ulla ratione à prænotione ſeu præſcientia pendére dicat. Quare nullo modo iſtos ideò reprobâſſe, quia peccaturos præviderit, ſed quia reprobaverit, ideò eos neceſſariò peccaturos prævidiſſe, conſtanter affirmant.

8. Verùmtamen habent adverſarij, præter non pauca ſacra teſtimonia, tres rationes præcipuas, quibus penitùs ſunt perſuaſi, Deum quæcunque fiunt, aut non fiunt, ad ſalutem præſertim noſtram & condemnationem ſpectantia, jam anteà decreviſſe, ut fierent, aut non fierent; vel certè nihil in hominis arbitrio ſitum eſſe. Quas omnes ſeparatim explicabimus, eaſque ſigillatim refellere conabimur, poſtmodùm verò de ſacris teſtimoniis agemus.

Refut. Cap. VI.

De Dei prædeſtinatione.

Quæ ſimul conſiſtere nō poſſunt

AUguſtinus libro 5. de Civitate Dei cap. 9. de Cicerone pronuntiat, cum cenſeret *ἀσύστατα* eſſe, præſcientiam futurorum & arbitrium voluntatis, elegiſſe liberum arbitrium, & præſcientiam ſuſtuliſſe, in quo non eſt falſus judicij; lib. enim de divinatione 2. ubi cum Q. fratre

fratre diſputans, divinitationem omnem tollere conatur, quàm Q. libro ſuperiore aſſeruerat. Hoc dogma Ciceronis inopinatum eſt; nam vetus opinio eſt, ut ipſe principio lib. de divinatione priori teſtatur, jam uſque ab heroicis ducta temporibus, eaque & P. Rom. & omnium gentium firmata conſenſu, verſari quandam inter homines divinationem, quam Græci μαντικὴν appellant ibidem paulo poſt: gentem quidem nullam video, neque tam humanam atque doctam; neque tam immanem tamque barbaram, quæ non ſignificari futura, & à quibuſdam intelligi, prædicique poſſe cenſeat, ab ultimis repetitâ authoritate. De hoc verò Ciceronis paradoxo non immeritò Auguſtin. *Dum liberos facit, ſarcilegos facere.* Ita hic Socinus liberi arbitrii cauſam, inſanâ oratione urget, & perſequitur, ut in Deum non uno modo ſacrilegus ſit, Deo æternam prædeſtinationem & præſcientiam eripiens, in quibus maximum & neceſſarium divinæ majeſtatis decus.

Sect. 1. Ait *æternæ Dei prædeſtinationis conſequens eſſe*, ſumto quod conceditur, probos ſervandos, improbos damnandos, *Deum decreviſſe, quinam probi, quinam improbi futuri, aut ſaltem id ab omni æternitate certum fuiſſe*; quod ejus geminum λῆμμα admitto; modò prius illud de decreto Dei, quod involutè proponitur, dextrè explicetur: probos enim Dei decretum probos efficit; improbos tales eſſe permittit. Utriuſque autem decreti is eſt genius, ut ex vi utriuſque, certum & indubitatum ſit, qui-

nam probi, quinam improbi ſuturi. Ex hiſce porro concludit Prælector, nullam libertatem relinqui, ſed iſta concluſio non datur. Nam quod ad prius prioris λήμματος membrum, omnes fere in Romanâ Eccleſiâ alicujus nominis contradicunt. Poſterius hoc omnium conſenſione firmatum hactenus. Conſtat de æternâ Dei præſcientiâ inter partes, quæ acriter, de libertatis humanæ modis, contendunt. Quod verò æterna Dei prædeſtinatio, quocunque tandem modo concepta, cum libero arbitrio conſiſtere non poſſit, fæliciſſimus hujus œvi Ariſtargus Socinus, planum facturus iis, quæ deinceps dicturus. Quo verò ſucceſſu cenſor noſter, rem iſtam geret ex progreſſu diſputationis patebit. Illud ego interea pronuntiare auſim, omnem iſtam libertatem, arbitrio hominis tributam, fictitiam, imaginariam eſſe, quæ Deo, æternitatem prædeſtinationis & præſcientiæ, abrogat, derogat. Illud etiam, hîc obiter notare operæ pretium videtur, hæc axiomata & conſectaria, non parum abire ab aliis Prælectoris hypotheſibus. Si enim principium indubitatum eſt, ut hic affirmantem audimus, improbos damnandos, cur Prælector ergo, morti æternę ſubjicit omnes, eo quod ex Adamo nati, ſine ullâ improbitatis communione. Morti æternę & condemnationi ſubjecti ſunt etiam ii, qui ex mente ejus, improbi non ſunt, hoc eſt qui ex ſimplici incogitantiâ, vel tolerabili quadam fragilitate, ſolummodo lapſi fuerunt. Deinde qui legi naturæ, ſeu interiori & occulto Dei verbo parent, non puto improbos

improbos eſſe Prælectori, ſunt tamen ex talibus etiam damnandi juxta Prælectoris noſtri ſcita, cum ſine fide, *quâ multi eorum in perpetuum carent, quia Deus ſe iis, nullâ ratione patefecit*, Prælect. cap. 2. ſect. 12, impoſſibile ſit, ſingulari quadam ratione, Deo acceptum eſſe. Certum verò eſt, à damnatione neminem liberari, niſi ſic acceptum. Nemo Deo gratior, quàm qui à damnatione liberatus, vitâ æternâ donatur. Tertiò ſi conſtat Prælectori, de omnium proborum ſalute, quomodo affirmare non erubuit, in notis ſuis, in dialogum de juſtificatione nota 50. *Etiamſi eſſent, qui legem perfectiſſimè ſervarent, vitæ tamen æternæ, propter id, participes non futuros*. Sanè qui legem perfectè ſervant, probi ſunt, & qui vitę æternæ participes non fiunt, damnantur: non conſtat ergo Socino, probos omnes ſervandos.

Ex his ulterius efficitur ex ſententiâ Prælectoris, non quorumvis damnationi conjunctũ decretum, circa improbitatem verſans aut libertatis privationem; cum nihil obſtet, juxta adverſarii placitum libertate ad bonum uti, & damnationi deſtinari.

Sect. 2. Duo συγκαταγώνιστα objicit æternę prædeſtinationi, quocunque tandem modo conceptę, ei etiam, quę tota præſcientię mutabilis humani arbitrii innititur. *Primum eſt; quod ſi ea vera eſſet, omnis religio funditus tolleretur. Altera eſt quod eâ admiſſâ, neceſſe ſit Deo multa indigniſſima attribuere*. Deum immortalem! quàm in his ęſtuatum eſt: quàm iſtis conſequentiis, tanquam ſanguineis flagellis, fu-

neſta Bellona nos circumtonuit: iiſdem illis armis, pertinaciter pugnatum adverſus æternam Dei prædeſtinationem, in conſilii divini beneplacito fundatam, at iis, qui eam æternæ præſcientiæ beneficio, ab arbitrii humani nutu ſuſpendere non deſtiterunt, qui tamen ſuâ iſtâ plauſibili ſententiâ, in caſſes etiam inextricabiles ſe induerunt, ſi modò rectè ſentiant, eos qui priorem & orthodoxam de prędeſtinatione fidem tenent, iis revera à ſe irretitos teneri.

Sect. 3. Prius illud ſuum *δυσκαταγώνιστον*, proponit. Alterum illud in claſſes quaſdam diſpoſitum ſequenti ſection. Poſt tot doctiſſimorum virorum de iſtis conſequentiis diſputationes, nos hîc ſpicilgium poſt meſſem, ut dici ſolet. Clamat Prælector, per doctrinam prædeſtinationis ſingulorum hominum, religionem univerſam ruere, quia ex eâ manifeſtè conſequitur, quæcunque ad pietatem pertinent, omnia ex neceſſitate fieri: Quo admiſſo, putat omnem laborem omneq; ſtudium fruſtraneum eſſe, quemadmodum inquit, ſenſus ipſe communis docet. Tanti ponderis negotium, in ſenſum communem & quidem ſuum & ſuorum tantum reſolvit, cum in Scriptu. ſacras reſolvere debuiſſet, quod ubi præſtiterit, eadem operâ ebur atramento candefecerit. Scriptura & prædeſtinationem æternam docet, & religionem commendat unicè. Scrituram in commendandâ, promovendâ, urgendâ religione, totam eſſe non negat noſter: quod ſi demonſtretur, æternam hanc prædeſtinatio-

ſtinationem ſimiliter in ſcripturis doceri, non tantùm nos ſenſus communis adverſarij movere debet, ut per doctrinam prædeſtinationis, religionem everti admittamus. Hanc verò divinis oraculis munitam eſſe, ex progreſſu diſputationis, Deo adjuvante palam fiet; hoc hîc ſolummodo dicam, complura ex ſacris exempla afferri poſſe, quæ iſtis conſequentiis calumnioſis retundendis ſatis eſſe poſſint. Nam primò Jeſus Chriſtus, ſecundum placita Socini, ante conditum mundum, æternę ſaluti omnino deſtinatus fuit. Socin. Prælection. c. 14 ſectione penultim. ita & Smalc. lib. de divinitate Jeſu Chriſti cap. imo. Jeſus Chriſtus Dominus noſter, ita ad hanc ſuam gloriam deſtinatus fuit, ut nullo modo eâ privari potuerit, ſed neceſſariò eam conſequi debuerit: quantus tamen Chriſti in Deo obediendo labor, quantum ſtudium: non dicet opinor Prælector, quod Chriſtus ex ratione pręderſtinationis non ita vixerit, ut vixit: nam eo dato ſequetur vitam ſuam, ad rectam rationem & ſapientiæ præſcriptum non direxiſſe. Sin dicat Chriſtum prædeſtinatum, fruſtra ſic vixiſſe, ſapientiæ quoq; ejus, non levem injuriam facit, cum ſapientis non ſit fruſtra facere. Jam verò ſi Chriſti prædeſtinatio religionem non evertit, à nullius prædeſtinatione hoc metuendũ: nam hoc, aut prædeſtinationi non competit ex parte ſui; aut in eâ perpetuum eſt: quod enim rei eſſentiale & intrinſecum eſt, ſemper & ubique illi rei adeſt; & quod ſpeciei competit, omnibus etiam ejus individuis competit. Hoc itaq;

argumentum, à Prædeſtinatione Chriſti ductum, tanti mihi in contrarium roboris, ut hoc δυσκαταγώνιστον Socini, mihi ſolo nomine tale videatur & τὸ πέλαγος πρότερον ὄισα ἄμπελον, quàm adverſariorum quiſquam confregerit.

Mare citius vitem ferret.

Secundò dico, ex conceſſione adverſarii, angelos ex neceſſitate immutabilitatis Deo parere; nam eam jam habent conditionẽ, ut peccare non poſſint Prælect. c. 3. ſect. primâ, nihil tamen eorum, quę ex prædeſtinatione educit, ex immutabili conditione angelorum, conſequi ni fallor, putat; quæ ſanè omnia, non minus hanc immutabilem angelorum conditionem ſequerentur, ſi cum ratione concluſiſſet adverſarius. Jacet ergo tota ejus concluſio.

Tertiò prædeſtinationem religionem non tollere, probatur exemplo Davidis, qui in regem Iſraelis electus & unctus, 1. Sam. 16. v. 14. ſeriis tamen & ardentibus precibus non ſemel efflagitavit regnum, ad quod electus & unctus, aliiſque piis mediis, ad regnum promotus. Erat decretum divinæ providentiæ firmiſſimum. 2. Sam. 7. v. 27. *Tu enim Iehova exercituum, Deus Iſraelis, revelaſti in aurem ſervi tui, dicendo, domum ædificaturus ſum tibi; idcirco judicavit ſervus tuus cum animo ſuo, orandum te eſſe oratione hac.* Vides ut David concluſionem contrariam concluſioni Prælectoris, ex Dei decreto inferat. Sic quoque Dei decretum de reducendo populo, ex captivitate Babylonicâ Jerem. 29. com 10. *Excitavit Danielem, ad adhibendum faciem ſuam, ad dom. Deum quærendum oratione & deprecationibus, cum jejunio*

junio cilicioque, & cinere , ut expreſsè Propheta Daniel cap. 9. v. 2. 3. ſignificavit. Nihil ergo hæc ſectio Socini continet, niſi ratiocinationes peſſimè concluſas.

Sect. 4. Quatuor recenſet, quæ, admiſsâ æternâ Dei prædeſtinatione, magnâ cum ignominiâ majeſtatis, Deo tribuerentur. *Iniquitas*, inquit, *ſimulatio cum deceptione conjuncta, inſcitia & pravitas*. Hæc ſunt famoſa & trita illa argumenta, quæ paginam utramque faciunt, apud eos, qui nullum non lapidem in patriâ moverunt, contra orthodoxam de prędeſtinatione doctrinam.

Primùm *de iniquitate* agit. Iniquiſſimum eſſe, quemquam idcirco punire, quod ea non fecerit, quæ facere nullo modo potuit; quod non niſi cum cautione accipiendum; nimirum niſi impotentiam illam, voluntariâ ſuâ culpâ contraxerit. Quia peccavit voluntas, ſecuta eſt peccantem, peccatum habendi dura neceſſitas: in hoc caſu, falſa eſt Prælect. propoſitio: ſi non ceſſat legis obligatio, nec peccatum eſſe deſinit, quia boni faciendi potentiâ, peccator ſe ſpoliavit: ubi autem peccatur, iniquum eſſe non poteſt puniri. In hoc caſu, non ceſſare legis obligationem, tam fortibus & claris argumentis efficitur, ut miror eſſe qui ad hanc lucem caligent. Theſin itaque hanc noſtram, demonſtro hiſce argumentis. 1. Lex Moſaica obligabat ad obedientiam perfectam, Iſralitis tamen non præſtabilis. 2. Homo ille 7. cap. ad Rom. viribus ad obediendum deſtitutus, nihilominus ad obedientiam obligatus. 3.

Non malus angelus eſt exlex, quia nihil niſi peccare poteſt. 4. Nec judicia indurationis & excæcationis,induratos & excæcatos liberant ab oligatione legis. Jam verò ſi lex divina, legis vim habet, juſta eſt; cum hoc principium indubitatũ ſit,quicquid facit Deus, juſtè facere.Et in divinis facto probato,juris probatio non eſt poſtulanda. Pergo, ſi lex juſta, iniqua legis tranſgreſſio: ſi iniqua tranſgreſſio,æquam eſſe tranſgreſſionis pœnam efficitur.

Dices Prælectorem loqui,non de impotentiâ,quæ per voluntatem peccantis eſt,ſed quæ ex prædeſtinatione divinà ducitur, decretum enim eſſe ait,ne probi ſint,neveDeo obediant, &Deum conſtituiſſe ut facere nullo pacto poſſint,quę non faciunt.At nego prædeſtinationis decreto, reprobos prædeſtinatos eſſe ne ſint probi,aut prędeſtinatione divinâ conſtitutum ne poſſint ea ob quæ non facta puniuntur; non enim reprobatione divinâ, peccata reproborũ ſunt,nec perDei prædeſtinationem,ſed ſuo vitio mali ſunt. Reprobatio non facit peccatum ſed invenit: ex vi reprobationis,non fluit peccati neceſſitas, ſed ex interno reprobati vitio: reprobatio peccati neceſſitatem non imponit, ſed tantummodo non donat gratiâ à peccandi neceſſitate liberante, ex ordinatione liberi & inculpabilis judicij.Deinde reprobatio divina, peccatorem meritis pœnis deſtinat. nihil ergo in prædeſtinatione divinâ reſpectu improborum,ex quo pœnæ iniquitas derivari poſſit.

Sect. 5. Secundum crimen, ſanctiſſimæ prædeſtinationi impactum, eſt *ſimulatio cum dece-*

deceptione conjuncta. Gravis quidem ſed falſa accuſatio, prædeſtinationem nobis inducere Deum ut proverbialiter dicitur ὑπόχαλκον χρυσίον. Falſa accuſatio quoad prius. Deus reprobatione ſuâ decrevit non facere efficaciter ut multi, Euangelij prędicationem audientes, ſalventur: verbo Euangelij offert ſalutem reſipiſcentibus. Hæc duo non ſunt contradictoria: vult ut reſipiſcant, non vult efficaciter efficere ut reſipiſcant: velle reſipiſcentes ſalvare; non velle efficere ut reſipiſcant & ſalventur, non pugnant. Itaq; non ſimulatio hîc, qua Deus aliquid in linguâ promtum, aliud in pectore clauſum habeat, ſed candida ſinceritas eſt. Hæc duo optimè conſiſtunt, velle fieri, nolle facere. Vult Deus ut Diaboli non peccent, ſi enim non vellet, non peccarent: nō enim peccatur niſi in Dei voluntatem; non vult tamen hoc efficere. Deus poſtulat reſipiſcentiam ab impiis, cum non vult facere, ut reſipiſcant, hoc eſt cum indurat; neque tamen ulla in Deo hypocriſis; cum hoc ſit indubitatum Theologię ſcitum Deum lucem eſſe 1. Johan. 1. com. 5. Si ſimulatio non eſt mî homo offerre ſalutem, per prædicationem Euangelij, qui tamen aſſentiri non poſſunt, juſto judicio excæcati, te judice cap. 14. Prælect. ſect. ultimâ, quid ergo in cauſâ pari, juſtiſſimam & ſanctiſſimam Dei reprobationem ſimulationis accuſas? Similiter inanis rhetoricatio eſt, *dolum malum ſubeſſe*. Abſit illud horridum conſequens, ſed non ab hoc antecedente prędeſtinationis. Tota oratio, ſcopę diſſolutę, mendacium aut fucus

Subęratum aureum ad verbum.

cus pro veritate. Si velit ad prædicationem Euangelij vitam emendari à reprobis per reſipiſcentiam veram, veritati parcit. Prædeſtinationem divinam , cauſam eſſe defectionis προσκαιρῶν, commentum eſt. Gratia , ad vitam æternam perducens, non ſubtrahitur temporariis, quia nunquam habuerunt. Gratia, ſi quam habent , non ſubtrahitur , niſi abjiciatur , nec Deus deſerit niſi deſerentes. Ut verò gratia quam habent abjiciatur , aut Dei judicio ſubtrahatur, nullo modo neceſſe eſt, admiſsâ prædeſtinatione, cum fides temporaria , non ſolâ duratione à ſaluificâ diſtinguatur : ac propterea contradictoria non eſſent, reprobatum eſſe & à fide iſtâ non deficere. Si quæ ergo hîc deceptio, non Dei prædeſtinantis , ſed Socini pravè diſputantis eſt.

Sect. 6. *Abſurdo inſcitia* odiosè exagitat prædeſtinationem Dei. At cum ſit firmiſſimũ axioma, quicquid agit Deus, ſapienter agere, probato quod Deus velit jubeat impoſſibilia, perſuaſiſſimum nobis eſſe debet , Deum in eo non agere inſipienter , aut nihil agit qui demonſtrat : etſi interea fieri poſſit , ut humana imbecillitas , divinæ ſapientiæ profunditates non aſſequatur : nam crede mihi , ſapere eſt, non nimium ſapere. Igitur Deum velle, jubere, proponere, quæ fieri non poſſunt, quod hîc enuntiatur vocibus, tentandi , conandi , ſatis ſuperque probatum ſect. 4. hujus cap. facto autem probato , dementiæ eſt, Dei ſapientiæ litem movere. Iſta verò cuivis contumaciẹ retundendẹ ſatis eſſe poſſunt. Accedit ab ipſo

Prẹle-

Prælectore, ſapientiam Dei hac in parte toties juſtificatam eſſe, quoties agnoſcit, prædicari Euangelium, leges præſcribi iis, qui juſto Dei judicio, indurati & excæcati, eodemque indurantur & excæcantur. Denique non eſt inſipiens & ridiculus creditor, poſtulans debiti ſolutionem, etſi debitor ſolvendo non ſit.

Sect. 7. Quartam Calumniam, *de pravitate & autore peccati* fruſtra occinit, cum reprobatio peccatum ſupponat, ex confeſſione Eccleſiarum Reformatarum in Belgio (à quâ aliæ non abeunt) apertè conſtat. Ea articulo 16. ſic habet. Credimus Deum poſteaquam tota Adami ſoboles, ſic in perditionem & exitium, primi hominis culpâ, præcipitata fuit, ſeipſum talem demonſtrâſſe, ac præſtitiſſe, qualis eſt revera, nimirum & miſericordem & juſtum. miſericordē quidem, eos damnatione & interitu liberando & ſervando, quos in æterno ſuo conſilio, pro gratuitâ ſua bonitate, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum elegit, abſque ullo operum ipſorum reſpectu. Juſtum verò, alios in illo ſuo lapſu & perditione relinquendo, in quem ſeſe ipſi præcipites dederunt. Deinde etiamſi multi Eccleſiæ Reformatæ Doctores reprobationem præſcientiæ peccati præviam faciant: non tamen iſta ſuâ ſententiâ Deum authorem peccati facere dicendi ſunt, cum peccatum ratione divini decreti omnino fieri poſſit, ita tamen ut Deus ejus author non ſit. Et ſic finem impono c. 6. nam quod ad ea, quæ captioſè & involutè 7. ſectione, dicuntur, in ſequentibus ſatis ventilabuntur.

CAP.

CAP. VII.

Rationes quibus probari videatur, quæcunque fiunt, aut non fiunt, præſertim ad ſalutem aut condemnationem noſtram ſpectantia, ea prius ita à Deo decreta fuiſſe; vel certè nihil in hominis arbitrio ſitum eſſe, & earundem rationum refutatio.

1. P*Rima ratio* eſt, quia ſi quid ab hominibus fieret, aut non fieret, quod ita à Deo ante decretum non eſſet, id eſt, aliter quàm ipſe vellet, is nec omnipotens, nec perfectè beatus eſſet. Omnipotentẽ autem eſſe Deum, & quęcunque velit facere, cùm per ſe indubitatum eſſe videtur, tùm ſcriptum eſt pluribus in locis, præſertim verò in Pſal. 115.3. & 135.6. Eſa. 46.10. & Eccl: 8.3 Perfectè verò beatũ Deum eſſe, nemo, opinor, negare auſus fuerit. Beatum certè illum eſſe ſcriptum eſt a Paulo 1. Tim. 1. 11. & cap. 6.15.16. Nihil autèm non perfectum inter Dei attributa eſſe poteſt.

2. Huic rationi ſic reſpondendum eſt: Deus quęcunq; vult facit, veriſſimum eſt: ſed ea quę ab hominibus fiunt aut non fiunt, præſertim ſi ad ipſorum ſalutem aut condemnationem ſpectent, pleraque omnia in eorum arbitrio & poteſtate Deus poſuit. Quare in his antequam fiant, aut non fiant, non abſoluta Dei voluntas, ſed deſiderium potiùs & eſt & dici debet. Regula autem iſta. *Deus quacunque vult facit*, de abſoluta voluntate intelligenda eſt. Nec tamẽ ejus-

ejusmodi deſiderium iſtud eſt, quod voluntas meritò (licet non abſoluta) appellari nequeat. Quandoquidem in his id quod Deus deſiderat, non magis is velle poteſt, quam velit: neque enim ea abſolutæ in Deo voluntatis capacia ſunt. Declaro: Deus, exempli cauſâ, cupit, ne homicidia fiant. Quid verò eſt quod cupit? Nempe, ut homines, quamvis contingat, ut quempiam occidere poſſint, nunquam tamen occidant. Hoc ita vult, ut magis velle nō poſſit. Verùm, ſi ita res ſe habet, opus eſt, ut liberi hac in re ſint homines, & conſequenter, ne ipſe illis aliquam neceſſitatem afferat. Nam etiamſi ita neceſſitatem illis afferret, ut eorum voluntatem ab occidendo ipſe vi ſua penitùs retraheret, efficeretque ne occidere ullo modo vellent, non tamen id adipiſceretur, quod quærit. Neque enim homines aliter velle poſſent, ob idque nec facere. Sed jam dictum eſt, Deum ita velle, ut homines ab homicidiis abſtineant, ut interim aliter facere poſſint. Eſt igitur hæc Dei voluntas ejusmodi, ut abſoluta eſſe nequeat: nam ſi abſoluta voluntas eſſet, non id Deus aliter fieri poſſe vellet. Quod proptereà vult, ut & virtuti & vitio ſit locus, ob eamque cauſam, & præmio & pœnis, quibus nullus locus eſſe poteſt, ubi non niſi uno modo res fieri queat.

Ex prædictis ſatis conſtare poteſt, ut Dei omnipotentia conſervetur, unaque cum ejus voluntate, quæ in dandis præceptis apparet, eam conſiſtere poſſe oſtendatur, non neceſſe eſſe, ad eam diſtinctionem confugere, quod alia 3.

lia

lia ſit Dei voluntas aperta, alia occulta, ſive ut alii loquuntur, alia ſigni, alia verò beneplaciti, atque hac ratione Deum, non minùs ridiculè quàm impiè, ſimulatorem inducere; quaſi id quod præcipit, non verè velit, ſed tantùm id quod evenire videmus. Namque una eſt duntaxat ordinaria Dei voluntas, eaque prçceptis ejus planè conſentanea, iiſque expreſſa atque, ut dictum eſt, ejuſmodi voluntas, ut nec major, nec conſtantior eſſe poſſit.

4. Verùmtamen adverſarii, ad duplicem iſtã voluntatem in Deo conſtituendam, quædam exempla afferunt ex ſacris literis petita, & potiſſimum Iſaaci, quem Abahamus a Deo ſibi immolare eſt juſſus, hiſtoriam. Inquiunt enim manifeſtum eſſe, ſi Dei juſſus attendatur, voluiſſe Deum, ut Abrahamus id faceret, & tamen ex eo quod conſecutum eſt, manifeſtum eſſe, Deum noluiſſe reverâ ut id faceret, alioquin eum id conantem non impediviſſet. Afferunt etiam exemplum Moſis, qui Deo ita jubente, ipſius Dei nomine Pharaoni dixit, ut populum Iſraëlis dimitteret, cùm tamen Deus reverâ nollet, ut eum dimitteret; quemadmodum ex eo apparet, quod prædixerat, ſe induraturum cor Pharaonis, ut etiam poſtea fecit.

Gen. 22, 1.2

Exo. 8.1.2.

Exod. 4. 21

5. Quod attinet ad prius exemplum, dicimus, illud nequaquam afferri debuiſſe. Primùm, quia ibidem in ipſo hiſtoriæ initio ſcriptum eſt, Deum tentaſſe Abrahamum: ex quibus verbis apparet, aliquid ſingulare in eo Dei mandato fuiſſe, nec cum reliquis mandatis id conferen-

ferendum eſſe, niſi velimus Deum, ſemper tentandi gratiâ, ſua præcepta dare. Deinde, quia non rectè ſemper ex eventu propoſitum Dei colligitur. Poteſt enim fieri, ut ab initio Deus aliquid velit, poſtmodùm verò nolit. non quia Deus mutetur, aut mutari poſſit, ſed quia alia quædam, quæ extra Deum ſunt, & in quibus, vel circa quæ effectus voluntatis divinæ eſſe debet, ipſa mutantur, quemadmodum alio loco, Deo volente, à nobis oſtendetur. Unde cùm fieri poſſit, ut ſoli Deo mutatio iſta perſpecta ſit, mirum ſanè videri non debet, ſi qui hæc non animadvertant, vel Deum mutabilẽ eſſe vel non id voluiſſe, quod ab initio dixit, perperam omninò concludant. Poſtremò, quia nihil diverſum, quod ad Dei voluntatem expreſſam & tacitam attinet, in exemplo iſto animadverti poteſt. Præcipit Deus Abrahamo, ut Iſaacum ſibi ſacrificet, id eſt, ea omnia faciat, quæ in ipſius poteſtate ſunt, ut id reipſâ fiat. Ab hoc præcepto nihil diverſum deinde ſtatuit: nam etiamſi effectum ipſum mactationis per Angelum ſuum deinde impedierit, Abrahamum tamen, ea omnia facere quæ potuit ut filium mactaret, ante permiſit. Ex quo conſequitur, Abrahamum Dei præcepto de filio ſacriſicando perfectè obediviſſe, tantum abeſt, ut Deus præceptum ſuum revocaverit. Propterea & ipſe Deus teſtatur, Abrahamum filio ſuo unico non peperciſſe, ut ipſi obediret; & auctor epiſtolæ ad Hebræos atque Iacobus affirmant, eum filium ſuũ obtuliſſe, additurq; à priore, eum in reſurrectionis ſimilitudine filium Gen. 22, 12. 16 Heb. 11. 17. 19. Iaco. 2. 21.

lium ſuum recuperâſſe. Unde conſtat meritò dici poſſe, eum mactâſſe filium ſuum.

6. Alterum exemplum ſimiliter afferendum non erat, quia manifeſtum planè eſt, ſingulare aliquid eſſe, quod in hac diſputatione vim nullam habere poteſt, in qua de eo, quod Deus facere perpetuò ſoleat, diſputatur. Pharao ejusque deceſſor, populum Dei immerentem affligendo adeò juſtam Dei iram adverſus ſe concitaverant, ut meritò potuerit Deus eum quodãmodo deludere, & quamvis ſuo nomine illi dicendum curaret, ut dimitteret populum, tamen interea illi cor indurare, efficereque ne populum dimitteret, ut inde præterita ſcelera in eo puniendi, ſuamque gloriam patefaciendi, materiam haberet. Adde, quòd ſicut Deus per Moſen Pharaoni dicebat, ut populũ ſuum dimitteret, ita etiam fieri volebat, licèt non ſtatim id fieri vellet, quemadmodũ eventu deinde comprobatum fuit.

7. De Dei omnipotentia dictum eſt. De beatitudine verò dicimus, eam nihil planè minui, quamvis non ea omnia fiant, quæ Deus fieri vellet, cùm Deus ipſe, id ita evenire poſſe, voluerit; & quidquid tandem, contra id quod ipſe cuperet, ab hominibus fiat, id omne infinitâ ſapientiâ ſuâ ad immortalem ſuam gloriam convertere noverit.

8. *Altera ratio*, quâ hominis libertas convelli, & Dei antecedens decretum in omnibus quę fiunt, confirmari omninò videtur, hæc eſt: Si in hominis poteſtate ſitum eſſet, ea facere, aut non facere, quæ Deus præcipit, nec Deus anteà

anteà ita omnia decreviſſet, ut ex ipſius conſilio hominum facta penderent, non rata nec certa eſſet mundi hujus adminiſtratio, eaque partim ex Dei, partim ex hominis voluntate proficiſceretur, quo nihil abſurdiùs dici poſſe videri debet, cùm certiſſimum ſit, cuncta in Dei manu eſſe, ejuſque nutu omnia gubernari.

Reſpondeo: Ea quæ in hominis poteſtate 9.
Deum poſuiſſe affirmamus, non ejuſmodi eſſe, ut ad mundi hujus adminiſtrationem ullo modo pertineant. Ea ſunt velle & nolle, idque perfectiſſimè atque abſolutiſſime. Verùm nulla voluntas, aut (ut ſic loquamur) noluntas, quantumvis perfecta & abſoluta, aliquid per ſe ipſa in mundi adminiſtratione momenti habet, ſed in externis factis univerſa vis conſiſtit: hæc autem Deus omninò ſibi reſervavit, nec ullam in ipſis, quanquam vel minimis, prorſus liberam poteſtatem homini dedit. Propterea ſcriptum eſt à Salomone, Prov. cap. 16. 1. hominis eſſe præparare cor, à Deo autem eſſe linguæ reſponſionem. Quod ſi homo ne loqui quidem poteſt, quod omnium factorum minimum eſſe videtur, niſi Deo id concedente, & linguam ipſam hominis, non modò alia externa facta, Deus moderatur, quid tandem in hominis poteſtate ſitum erit, quod ad mundi adminiſtrationem per ſe ipſum pertineat?

Jam verò, quod ad religionem attinet, ſa- 10.
tis eſt, hominis voluntatem ad extremum uſq; planè liberam eſſe, adeò ut, præter ipſum factum externum, omnia in ejus ſint poteſtate:

Nam & obedientiam & inobedientiam hominum, Deus ex ipſa perfecta ac conſummata voluntate, non autem ex ipſo externo facto, metitur. Obedientiâ autem & inobedientiâ hominis erga Deum, quidquid ad religionem pertinet, prorſus continetur. Abrahamus reipsâ filium ſuum non immolavit, & tamen, ut vidimus, perfectè Deo obedivit, nempe, quia per ipſum nulla ex parte ſtetit, quin filium mactaret, eumque mactandi fuit in ipſo perfecta
Num. 22. & 23. & conſummata voluntas. Voluit Balaam, ut conjicere licet, Dei populo maledicere, nec per ipſum ſtetit, quin id faceret. Quocirca etiamſi reipsâ id non fecerit, quin imò ei benedixerit (id enim à Deo, ipſam linguam noſtrã, ut modò dicebamus, moderante, factum eſt)
1. Pet. 2. 15. 16. perversè tamen feciſſe dicitur, & amens atq; iniquus fuiſſe.

II. Sed aliquis fortaſſe, ad probandum, religionem etiam in ipſis externis factis, citra hominum voluntatem conſiſtere, ea afferet, quæ Gen. 12. & 20. cap. ſcripta ſunt, de Pharaone & Abimelecho, quorum uterq; in retinenda Sara Abrahami uxore, peccâſſe ſatis apertè dicitur, cùm propter factum illud, uterque à
Gen. 20. 6. Deo afflictus fuiſſe narretur. Quin etiam Deus Abimelecho dixit, ſe effeciſſe, quominùs ipſe contra ſe peccaret, quatenus ſcil. effecerat, ne cum Sara rem haberet. Itaque apparet, in ipſo externo facto aliquod religionis momentum eſſe. Nam alioqui Deus ipſe Abimelechum, ea quæ feciſſet, in cordis integritate feciſſe,
Ibidem. pronuntiat, nimirum, quia Saram Abrahami uxorem

uxorem eſſe neſciebat, atque eadem ratio in Pharaone quoque locum habet.

Animadvertendum eſt primùm, nos de iis caſibus loqui, in quibus quiſpiam id, quod maximè facere vult, aliquâ externâ ratione impeditus non facit, dicimuſq; apud Deum perinde haberi, ac ſi id feciſſet. Exempla autem iſta eorum ſunt, qui id faciunt, quod facere nolunt, licèt factum aliam præterea conditionem ſeu qualitatem ſecum neceſſariò conjunctam habeat, quam illi præ ignorantia non ſuſpicantur. 12.

Tùm verò ſciendum eſt, nos non negare, quin factum ipſum externum per ſe Deo diſpliceat, cum aliquid adverſus ipſius legē committitur, etiamſi id imprudenter fiat. Quare meritò dixit Deus, ſe Abimelechum à peccando contra ſe prohibuiſſe, quamvis neſciret Abimelechus, Saram, quam uxorem ſuam facere deſtinaverat, & ſine dubio Deo non prohibente feciſſet, alterius, id eſt, Abrahami uxorem eſſe. Jam enim, quamvis lex nondum ſcripta eſſet, pro divina lege receptum fuerat, non licere alterius uxorem habere. Denique conſiderandum eſt, cum quis aliquid contra Dei legem ignorans committit, tum demum ignorantiæ ſuę juſtam excuſationem fortaſſe habere, ſi rei prorſus licitæ operam det, ut ſi quis, exempli cauſa, credens ſe cum propria uxore concumbere, cum aliena concubuerit, præſertim ſi id ſuo loco & tempore fiat, omnibuſque aliis circumſtantiis convenientibus, adeò ut nulla errorem ſuſpicandi cauſa exiſtat. At verò 13.

Pharao & Abimelechus, non dabant operam rei prorſus licitæ, nec quæ ejuſmodi eſſet, in qua nulla erroris ſuſpicio foret. Dubitari enim poterat, & quidem meritò, ne id eſſet, quod erat. Quemadmodum enim Abrahamo in mẽtem venerat, non nominare Saram uxorem ſuam, ſed ſororem tantùm, ut mortis pericula effugeret: ſic aliis quoque in mentem venire poterat, Abrahamum mortis periculi vitandi causâ, quæ uxor eſſet, eam ſororem appellare, nec ita temerè ac ſubitò ad nuptias ſeu concubitum cum ea muliere provolandum erat, maximè cum & ſoror & uxor ſimul eſſe poſſet, ut erat reverâ, latiùs patente ſororis nomine, quàm ut eam ſignificare non poſſet, cum qua matrimonium jungi liceret.

14. Breviter, ut jam dictum fuit, aliud eſt, aliquid omninò facere velle, impeditum tamen non facere, aliud præ ignoratione aliquid facere. In eo enim voluntas pro facto habetur, in hoc verò ignoratio factum omninò excuſat. Hinc eſt, quòd in lege Moſis conſtituta erat expiatio, pro peccatis & delictis imprudenter admiſſis. Tantum eſt enim Dei odium adverſus peccatum, ut ea etiam, quæ per ignorantiam committuntur, aliquâ ratione expiari velit. Quare cum dicimus, omnia externa facta in Dei manu eſſe, id non ita intelligendum eſt, quaſi Deus author ſit eorum omnium: ſed eſt intelligendum, nullum eſſe factum externum, quod Deus in liberâ hominis poteſtate prorſus eſſe velit, quodque ipſo aut decernente aut permittente non exiſtat. Si quid igitur ab

tur ab hominibus contra Dei legem committitur, id non quidem decernente ſive auctore Deo, ſed permittente tantùm fieri aſſeveramus, niſi perrarò quibuſdam de cauſis, quæ alibi explicabuntur. 15.

Quod ſi quis dixerit, idem de voluntate hominis dici poſſe, id eſt, cum aliquid mali homo cogitat, id non niſi permittente Deo fieri, fatemur id verum eſſe; hincque apparet, non ita liberam hominis voluntatem eſſe, quin Deus eam, quocunque ſibi libuerit, ſemper flectere poſſit, & propterea, hominis liberam voluntatem Dei ſupremæ poteſtati nihil prorſus derogare. Verùm hæc inter voluntatem & externa facta differentia eſt, quòd Deus hæc nullâ ratione in hominis planè libera poteſtate eſſe voluit: ſed modò ea permittit ipſe, modò impedit, prout ſibi viſum fuerit: voluntatem verò liberam eſſe, perpetuò ſinit, niſi ſi quando, ut ei neceſſitatem afferat, eámve ipſe planè gubernet ac moderetur, ejus judicia requirunt. Intereà tamen diſtinguendum eſt, ut diximus, in ipſis factis externis, inter Dei decretum & permiſſionem. Quædam enim externa facta omninò ante decrevit Deus, quædam verò permittit. Atque inter ea potiſſimùm quæ permittit, ſæpiùs multa ſunt, quæ alioquin ipſi ſummopere diſplicent, quippe quòd ob aliquam cauſam ſatius eſſe ſtatuat, ea fieri, quàm non fieri.

Refut. CAP. VII.

Rationes quibus probari videatur, quæcunque fiunt, aut non fiunt, præſertim ad ſalutem aut condemnationem noſtram ſpectantia, ea prius ita à Deo decreta fuiſſe; vel certè nihil in hominis arbitrio ſitum eſſe, & earundem refutatio.

ADverſarius, ut ex argumento hujus cap. apertum eſt, tanquam ſe mutuò perimentia opponit Dei decretum, & liberũ hominis arbitrium; ſed in h. e. πρῶτον quoddã ψεῦδος adverſarij. Omnia quæcunq; fiunt, aut non fiunt ab hominibus, fiunt ſecundũ prędefinitiones Dei: nec ita aliquid in libero arbitrio hominis eſt, ut prędefinito Dei conſilio non ſit ſubordinatum.

Error præcipuus.

Hæc propoſitio probatur 1. Ex iis ſcript. locis, ubi hoc ipſum exſertè ſatis, aut verbis æquipollentibus affirmatur. Eph. 1. v. 11. dicitur Deus omnia efficere ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Aut ergo Deus non operatur in iis, quæ per humanum arbitrium geruntur, quod repugnat Apoſtolo dicenti Philippenſ. 2. *Deus enim eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bonâ voluntate*. Act. 17. 28. *In ipſo enim vivimus, & movemur & ſumus*: aut operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, quod intendimus. Act. 2. v. 23. dicitur, *hunc definito conſilio, & præſcientiâ Dei deditum, cum accepiſtis manibus ſceleratis*. In eandem ſententiam teſtatur Eccleſia Apoſtolica Actor. 4. verſ. 28. Hic ſanè perſpicuè habemus ea, quæ Judæi,

per

per impium ſuum arbitrium patrârunt, Deo ita decernente patraſſe. Huc referendum etiam quod Salomon Prov. 21. v. 1. *cor regis in manu Domini*, contra quàm Prælector, cui cor non in Domini, ſed tantùm in proprij arbitrij manu: additur, *quocunque vult inclinat illud*. Vides, ut Dei arbitrium regis arbitrium ſibi ſubdat, & ut regum arbitria, Deo clavũ tenente, divinis decretis inſerviant. Si enim cor regis inclinatur, ad quod vult inclinatum Deus, neceſſe eſt hic non intervenire nudum deſiderium, aut languidam velleitatem, ad quæ, deſideratum ſæpe non conſequitur; ſed voluntatem talem, cum qua non componitur, rem, quam voluit, non conſequi; ea autem voluntas eſt, Dei decretum efficax. De hac voluntate Proſper lib. 2 de vocatione gentium c. 34. *Nec aliter quidquã procedere poteſt, quàm omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt*. Secundò probatur ex illis Dei actionibus, quibus poſitis, actus humani arbitrij neceſſariò conſequũtur. ut ſunt primò, promiſſiones illæ Dei, quæ immutabiliter effectũ ſortiuntur. Deus promittit Abrahamo *filium* Gen. 15. v. 4; *numeroſiſſimum ſemen* v. 5. fedus cum Abrahamo pangit, de dandâ terrâ Canaan nepotibus ipſius, v. 18. *Tribui Judæ ſceptrũ promittitur* Gen. 49. v, 10. *Salomoni ædificatio templi* 2. Sam. 7. com. 13. *Liberatio ex captivitate Babylonica per Cyrum efficiendâ* Eſai. 45. *Gentium ad Chriſtum converſio* Eſ. 54. Similia innumeris aliis Prophetarum locis, reperias. *Spiritum meũ ponam in medio veſtri, quo faciam, ut in ſtatutis meis ambuletis* Ez. 36. com. 27, quod ipſum non

poterat non conſequi, ex vi fœderationis divinæ cum Abrahamo initæ, per ſemen enim, quod ex fide Abrahæ, *Abraham pater multarum gentium conſtituebatur* Rom. 4. v. 16. 17. non ſtat, has promiſſiones eſſe veras, & non impleri ἀψευδὴς θεός. Promiſſio ſupponit decretum. Secundò iſtius generis actiones ſunt, actus divinæ indurationis excæcationes Exod. 4. 21. Exod. 9. com. 12. Exod. 14. 17. Deut. 2. 30. Joſ. 11. 20. Joh. 12. 40. Roman. 9. 8. & iſtis ſimiles, ut cum dicitur *Deus mittere efficaciam deceptionis* 2. Theſ. 2. 11. *miſcere ſpiritum perturbationis* Eſa. 19. 13. cum dicitur facere, *ut conſulti deveniant in dementiam & reddere judices ſtultos* Job. 12. v. 17. *Spiritum ſoporis dare: oculos ut non videant, & aures, ut non audiant* Rom. 11. 8. Eadem ſententia multis aliis affinibus loquendi modis paſſim in ſacris reperitur 2. Chron. 30. 12. Eſr. 7. 27. 2. Cor. 8. 16. Apoc. 17. 17.

Tertiò probatur veritas noſtræ propoſitionis ex orationibus ſanctorum quæ ad Deum emittuntur, ut faciat aut impediat, in bonum & commodum ſuorum, quæ tamen per intermedium hominis arbitrium fieri aut omitti debent. Ineptè hæc à Deo petuntur, ſi Deus non ſervavit ſibi poteſtatem diſponendi, decernendi, in iſtis, & de iſtis ex arbitrio voluntatis ſuę: precibus efflagitare aliquid ab eo, qui quod poſtulamus, tantùm deſiderare & optare poteſt ut fiat, ridiculum eſt. Aut ergo agnoſcenda decreta Dei, aut ineptæ & ridiculæ ſanctorum preces. Rogat Nehemias capite primo:

Secunda quæſo ſervum tuum hodie, dans ei miſericordiam conſequi coram viro iſto. Daniel petit urbis & templi reſtaurationem, à Perſarum regibus perficiendam. Rogate, inquit Salvator, *Dominum meſsis, ut emittat operarios in meſſem ſuam* Luc. 10. com. 2. qui mittuntur, ſuo tamen arbitrio moti, eunt. Auguſtinus cap. 7. lib. de dono perſeverantiæ: *Attendat Eccleſia, quotidianas orationes ſuas. orat ut increduli credant, Deus ergo convertit eos ad fidem. orat ut credentes perſeverent, Deus ergo donat perſeverantiam uſq; in finem.*

Ex prædictis ſatis conſtare poteſt, non eſſe talem libertatẽ humanam, aut eam actionum hominis contingentiam, quæ providentiæ divinæ determinationes excludat: eſt enim hæc ſubordinatio, quâ cauſa ſecunda primæ ſubordinatur, eidem eſſentialis & intrinſeca: & humana voluntas, ita ſuarum actionum domina eſt, ut ſit divinæ voluntatis pediſſequa. Conſequenter contingentia & libertas humana, non excludit neceſſitatem ſecundum quid, ſive ex ſuppoſitione, quæ etiam neceſſitas conditionalis & conſequentiæ, Scholaſticis vocatur; aut neceſſitas in ſenſu compoſito. Hæc unius & ejuſdem actionis contingentia & neceſſitas apertè in ſacris docetur, & ex iiſdem colligitur. Chriſtum non precari Patrem, liberum & contingens eſt, quia poterat precari Patrem, quemadmodum diſertè teſtatur Matt. 26. 53. neceſſarium tamen reſpectu Scripturarum, quæ non poterant impleri, niſi Chriſtus pateretur. Chriſti oſſa contingenter & ne-

ceſſariò

ceſſariò non ſunt fracta· contingenter, ſi milites, neceſſariò ſi ſacram Scripturam ſpectes: Joh. 19. v.36. *Fecerunt Johanni quæcunque voluerunt: ita futurum eſt ut & Filius hominis patiatur ab eis*, Matth. 17. com. 12, qui tamen abit *prout definitum eſt:* Luc. 22. v.22. Quamquam autem, ut hoc obiter hîc dicam, promiſcuè egimus de Dei providentia circa actus bonos & malos, minimè tamen volumus eandem eſſe per omnia providentiæ divinæ rationem circa malum, quæ circa bonum: de his verò accuratius dicendi, in ſequentibus fortaſſe nonnunquam occaſio offeretur. Tantum quidem ad cap. argumentum.

Sect. 1. Primam rationem, ſub perſonâ objicientis format, quâ probatur, nihil homines contra Dei decretum & voluntatem facere, aut aliter quàm decernit & vult, *quia alioquin omnipotentiâ, & perfectâ beatitudine careret*, quam utramq; Deo tribuendam eſſe, ex ſacris manifeſtum eſt. Ad utrumque autem ſuas reſponſiones adfert.

Sect. 2. Argumentum factum quod ad omnipotentiam, diſſolvere conatur negando & luxando majoris conſequentiam. De abſolutâ Dei voluntate concedit: negat autem hominis arbitrio, cum hac voluntate negotium eſſe: voluntatem Dei, quâ vult ea, quæ in arbitrio poſuit, tantùm per modum deſiderij in Deo eſſe: velle Deum omnia contingenter fieri, ita fieri & non fieri, ut non fieri, & fieri poſſint; ac proinde abſolutæ voluntatis & omnipotentiæ, hæc contingentia non eſſe capacia, virtuti

&

& vitio alioqui non poſſe eſſe locum. Verùm hæc prava Prælectoris ſententia, non uno modo peccans, multis argumentis firmiſſimis refellitur. 1. Deus eſt agens liberrimum, & tamen ejus arbitrium, ab intrinſecâ & eſſentiali naturæ perfectione, determinatum eſt ad bonum, ita ut nihil velle, nihil agere, niſi bene, poſſit: ac propterea in Deo ut Scholaſtici loquuntur, nõ eſt libertas contrarietatis ſeu ſpecificationis. In iis quæ fidei & promiſſionis divinæ, non eſt in Deo quoque altera illa libertatis ſpecies, quæ exercitij vel contradictionis dicitur. Non poteſt enim non ſervare fidem ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται 2. Tim. v. 13. Heb. 6. v. 17. 18. nec veritas in Deo virtus eſſe deſinit, quia mentiri neſcius. 2. Nos cum Socino Prælect. 3. ſect. 1. electos angelos eam conditionem habere credimus, ut non poſſint peccare, & tamen eorum obedientia Deo gratiſſima, nihil autem in terris magnificentius, quàm angelorum æmulos eſſe homines. 3. Chriſtus obedivit neceſſariò: virtutem in eo viguiſſe quis neget? obedientiæ in Chriſto neceſſariæ, præmium excellentiſſimum decernitur ut agnoſcit Socin. Prælect. cap. 14. ſect. penult. Hæc ſi ſic ſe habuerunt in Chtiſto duce & principe ſalutis filiorum Dei, mirari nunquam poſſum eam obedientiæ & virtutis viam, à Chriſto verbis præſcriptam, exemplo præmonſtratam, diſſimillimâ, contra proprietatem exemplaris, ratione, nobis ineundam eſſe. Hæc profectò Socinus, de ratione ſiſtere non poteſt, aut mihi Abderitica mens. 4. Prædicatio Euangelij

angelij, Apoſtolorum arbitrio fiebat, cum obedientiâ admirabili, non ſine eximiis virtutibus; parata erat eorum laboribus corona: nihilominus, ex hypotheſi divinæ voluntatis, erat hæc prędicatio neceſſaria. 1. Propter decretum Dei *de revelandâ vita & immortalitate per Euangelium* 2. Tim. 1. v. 10, *& vocatione faciendâ ſecundum gratiam Dei, quæ data nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſeculorum* ibid. v. 9. 2. Propter apertas Chriſti hac de re prædictiones & promiſſiones Matt. 23. v. 34. Matt. 24. 14. Act. 1. 8. Joh. 16. 13. Joh. 14. 16. 17. prædictiones autem & promiſſiones iſtæ, arguunt certam, abſolutam & infallibilem in Chriſto voluntatem. Catechiſm. Racou. de Eccleſiâ Chriſti. *Etenim cauſa ob quam illi & electi & miſſi à Domino fuere, deſiit. Ea verò fuit, quòd per eos Deus doctrinam Filij ſui mundo annuntiari & confirmari voluerit. Quapropter illi etiam vocati fuere fundamenta Eccleſiæ Chriſti, à Paulo. Poſtquam igitur doctrina Chriſti, ſecundum Dei conſilium & patefacta & confirmata fuit abundè,* &c. Ex quo patet nos hîc habere confitentem reum. 5. Refellitur antedicta ſententia Socini, ex dictis ad cap. argumentum in ſecundâ ratione, ubi de gentium converſione, & efficaci gratiâ. 6. Admiſsâ hac ſententiâ ſtultè fierent preces, pro ſalute & converſione impiorum; ſunt enim ex ſuppoſitione hujus opinionis contradictoria, Deum prædecernere & abſolutè velle impiorum converſionem; & impios converti gratiâ Deo, converſione: Et ſi Deus non fortius illam velle poteſt, quàm

per

per votum & deſiderium, nihilo plus Deo hîc tribuitur, quàm miſerrimo homuncioni. Conſequenter omnia, quæ Deus in arbitrio poſuit, eſſent ex τῶν ἀδυνάτων Deo, quia hæc duo incompoſſibilia contingens & neceſſarium. Poſſe verò Deum quod in hominis arbitrio poſuit, probatur: quæ non poteſt Deus velle facere, ea nec poteſt facere, quia objectum potentiæ adæquatum objecto voluntatis. 7. Faciunt contra hanc ſententiam ſupra dicta, non dari contingentiam, quæ repugnantiam involvat cum neceſſitate qualibet ex parte Dei. 8. Sequitur ex eâdem, negatio permiſſionis divinæ, quâ voluntati actus malus permittitur, per ſuſpenſionem impedimenti efficacis, quo impediretur voluntas, né malum perpetrare vellet: non permittit hoc modo permiſſionis, eſſe malos, qui de malis non poteſt facere bonos. Gentes quas præteritis ætatibus εἴασε Deus ſuas vias ingredi, deſtruere potuit, malefaciendi potentiam adimere non potuit. ô indignam & abſurdam ſententiam! non erat Theologi hæc prælegere, ſed in evanidorum claſſes abjicere. 9. Jam non ſemel demonſtravimus, neceſſitatem peccandi dari quæ nec à vitiis peccatorem excuſat, neque liberat à pœnis. 10. Deus in judicio univerſali, non tantùm judicabit ſecundum actus internos, verùm etiam ſecundum externos, & juſti non tantum præmiis donabuntur ob actus internos, ſed & externos: nec aliter cum impiis res habet, qui non ſolummodo pœnam pendent ob actus internos, ſed & ob actus externos, quod tam eſt manifeſtum,
ex

ex innumeris ſacrarum literarum teſtimoniis, ut adverſus ſolem loquatur, qui hîc repugnat; in his tamen noſter, ut poſtea audiemus, nullam liberam poteſtatem homini relictam eſſe docet, ut ſect. 9. videbitur.

Ex his allatis facilè intelligi poteſt, primæ rationis veritatem, hac Prælectoris reſponſione, nullatenus everſam eſſe. Si enim nihil in arbitrio hominis poſitum; cujus natura neceſſitati ſecundum quid, aut abſolutæ voluntati repugnet: ſi nihil, quod Deo non poſſibile, ſalvâ contingentiæ ratione; illæsâ arbitrii libertate, & ratione virtutis & vitii, & eorum quę cognata iis, præmii & pœnæ; neceſſe eſt, ut dum non fit Dei voluntas, Dei voluntatem tamen fieri, aut impingi in omnipotentiam Dei. Qui enim quod deſiderat & in votis habet, aſſequi poteſt, eo quo id effectum vellet modo, is ſanè id aſſequitur: quando ergo aliquid non fit: aut ad divinæ voluntatis conſilium recurrendum eſt; aut neganda omnipotentia ejus, qui quæcunq; vult facit, ut rectè magnus Auguſtin. aliquando in Enchirid. ad Laurent. cap. 100. *Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt. Hoc quippe ipſo, quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat, præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus ſit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens.*

Sect. 3.

Sect. 3. Quamobrem deveniendum neceſſariò, ad diſtinctionem voluntatis in voluntatem ſigni & beneplaciti. Garriat Socinus cum omnibus ſuis, ſententiam hanc impiam, ridiculam, ſimulatorem Deum inducere, ego ceparũ καὶ λαχανοπωλίδων convicia non didici: nec conſequentias contra veritatem, aperto Dei verbo conſignatam fabricatas, quicquam moror. Unum hoc agam, diſtinctionem illam, firmiſſimis argumentis ex Scripturis demonſtrabo: hoc ſi poſſum, ſuos contineat ungues. Nihil quod verum in divinis, ridendum, impium, aut Deum hypocritam inducens. Inventâ igitur diſtinctionis hujus certiſſimâ veritate, per ſacræ Scripturæ παράπηγμα, humanis argutiis contra obſtrepentibus, ſilentium eſt imponendum. uni & cœleſti divinæ veritati ſacramentum dixit Chriſtianum pectus.

Olerum venditricum.

Diſtinctionis veritatem ſic demonſtro. 1. Authoritate loci graviſſimi 7. cap. ad Rom. in illâ Apoſtoli querelâ, duplicis hujus voluntatis conſideratio ſe prodit. Primò ibi invenitur, ſanctiſſima norma legis, quâ voluntas ſigni comprehenditur. Secundò voluntas beneplaciti, ex propriis ejus effectis colligitur: nam iſta, præſtandę legis, de quâ Apoſtolus conqueritur, impotentia ex juſto Dei judicis beneplacito incumbit hominibus. 2. Legi Moſaicę ex voluntate ſigni, perfecta debebatur obedientia, & tamẽ præſtari non poterat, propter virium defectum, ſecundum juſtiſſimam Dei ordinationem. 3. Probatur veritas diſtinctionis, ex Pręlectoris confeſſione, quâ agnoſcit, Deum

L peccata

peccata peccatis punire cap. 10. ſect. 3. hic voluntas ſigni eſt, ſecus enim peccatum nō eſſet: ubi enim non eſt lex, ibi nec legis tranſgreſſio: voluntas Dei peccatum decernens in pœnam, eſt voluntas beneplaciti, pœnam enim velle & decernere judicis punientis eſt. 4. Ex eadem Prælect. confeſſione cap. 10. ſect. 5. apertum eſt, Petrum peccâſſe negando Chriſtum, conſequenter fecit contra voluntatem ſigni. Hæc abnegatio, cum neceſſariò conſequeretur ex gratiæ ſubſtractione, in temeritatis & arrogantiæ pœnam decreta: audis confeſſionem voluntatis beneplaciti. 5. Falſos Prophetas exoriri, eſt contra ſanctiſſimam Dei voluntatem, verbo & lege conſignatam. Illi, qui contra hanc Dei voluntatem exorti, non pręter voluntatem ejus exorti; nam ſunt exorti, ut reſpondet Prælector noſter, totus pro me faciens, *quia Deus ſic futurum decreverat*, cap. 10. Prælect. ſect. 6. Sextò ad diſtinctionem iſtam efficaciſſimè confirmandam, afferri poteſt illuſtriſſimum exemplum de morte & crucifixione Salvatoris: mors iſta & crucifixio, à Deo, ſi quicquam aliud, decreta fuit: hoc verò decretum, ex vi ſuâ neceſſariò importat fore, qui id exequerentur: ſunt enim incompoſſibilia hæc duo, Chriſtum mori & crucifigi, & non eſſe homines, qui velint mortem inferre: non enim tantùm decretum fuit, ut mors & crucifixio contingeret, ſed ſimul ut per hominum manus fieret: nam ſi cum ipsâ morte & crucifixione, non eſſet ſimul hic modus definitus, Chriſtus Apoſtolum Petrum non repreſſiſſet eo argumen-

gumento, quomodo ergo implerentur Scripturæ, injectis ſibi, ab impiâ cohorte manibus. Hac repreſſione Chriſti apertè indicatur, non mortem ipſam tantùm, ſed & hunc mortis modum definitum eſſe: nihil enim alioquin obſtaret, Chriſtum non capi ab impiis, & tamen impleri Scripturas. Stant ergo, ut loquuntur, hæc duo ſimul, Deum decreviſſe, ut Chriſtus ab hominibus occideretur, quod eſt voluntatis beneplaciti, & Deum noluiſſe voluntate ſigni; quia impij, cum maximo ſcelere, innocentiſſimum ſanguinem profuderunt. 7. Ne μισαλήθεις ſimus, clariſſimam huic diſtinctioni facem allucent innumera Script. loca, ut ſunt de Joſephi venditione, Achabi ſeductione, Simei maledictione, Abſalomi incœſtu, ad quem *divino conſilio Abſalomum ait adactum* Prælector cap. 14. tract. 4. argumenti. De Jobi afflictione, induratione, Deuter. 2. 30. Joſ. 11. 20. Rom. 9. 18. Joh. 12. 38. De traditione in cupiditates cordium & mentem reprobam. Rom. 1. v. 24. & 29: & alia æquipollentia, de obtenebratione oculorum, datione ſpiritus ſoporis, obſtipatione oculorum, quę frequentiſſima & paſſim obvia: hæc inexplicabilia niſi per dictam diſtinctionem, quamquam hujus ſeculi κακοήθεια eam pro Theatro inſanientis libidinis habeat.

Morum pravitas.

Confirmatâ diſtinctionis veritate, non poſſunt non pro falſiſſimis haberi, exſtructæ expoſitione iſtius diſtinctionis conſequentiæ. Hoc omnium pectoribus inſculptum, juſtas & ſanctas eſſe omnes vias Domini: quin imo

Prælectori ſuis dictis os offrenavimus. Nulla verò melior probatio eſſe poteſt,quã confeſſio adverſarij *leg. ultim. cod. de non numer. pecun.* quare etiam juriſconſulti dicunt *eam eſſe relevationem ab onere probandi l. eum qui in princ ff. de jurejurando*:confeſſio litigantis pro centenis teſtibus haberi ſolet.

Sect. 5. Cum duo ſibi exempla objeciſſet, pro factâ diſtinctione divinæ voluntatis, ad prius illud de Abrahamo,ſuas reſponſiones afſert. Dico igitur in hoc exemplo Abrahami, non exactè & completè utramque voluntatis rationem reperiri. Nam Deus voluntate ſigni ſive præcepti, non voluit ut Iſaacus ab Abrahamo,actu ipſo immolaretur, ſi intimam mentem & ſenſum Dei præcipientis reſpexeris: Etenim perſpectâ Abrahami promtâ ad immolandum voluntate, & omnibus ad ipſum immolationis actum prærequiſitis, Abrahamo expreſsè immolationem interdixit, dicens. Gen. 22. v. 12. *Non extendas manum tuam ſuper puerum; neque facias illi quicquam*: quo poſito jam Abrahamus ſine peccato immolare filium non potuiſſet. Nihilominus tamen, in hoc admirabili negotio, habemus imaginem quandam utriuſque prædictæ voluntatis: nam voluntate præcepti, Abrahamus erat obligatus ad offerendum Filium: niſi enim Deus poſtea interdixiſſet, peccaſſet Abrahamus non offerens Filium; & tamen voluntate beneplaciti decreverat, ne immolaretur.

Hoc poſito proſequamur, quæ Prælector affert. Verùm quidem præceptum hoc datum Abrahamo,

Abrahamo, non ut revera impleretur actu; nam interdicto ſuo, huic præcepto derogavit Deus, ſed tentationis ergo; hoc tamen ipſe Abraham tempore præcepti ignorabat: probari cæteroquin hoc præcepto non potuiſſet: ac propterea in conſcientiâ Abrahami, vim obligatoriam habuit. Nec poteſt cum veritate ſuſtineri, tanquam non improbabile, in principio Deum & præcepiſſe & decreviſſe ipſam actualem immolationem; poſtea decretum immutâſſe; hoc enim omnino, mihi velle videntur verba illa, *nõ rectè ſemper ex eventu, propoſitum Dei colligi*, & quæ ibi ſequuntur, & ſic præceptum de immolatione, & decretum de non immolatione, non eſſe ejuſdem temporis. Audet aſſerere, *ex eventu, non ſemper propoſitum colligi*. At contra dico: aut Deus propoſito ſuo deſiſtit, vel quia non ſatis bene & ſapienter conceptum: aut quia mutabilis & non omnipotens Deus. At nec mutabilis Deus, ut Prælector agnoſcit; ſapientiſſimus ſimul, quod nuſquam diffitetur, & potentiſſimus ad exequendum propoſitum ſuum, ut ſupra demonſtravi, adeo ut quæ extra Deum, iſtius mutationis cauſa eſſe non poſſint: nihil enim Deo validius eſſe poteſt, quod mutati conſilii cauſa ſit, aut eſſe poſſit. Hinc iſtæ voces, quę uno ictu debilitant prophanum hoc axioma Prælect. *Conſilium ejus in ſeculũ conſiſtit, cogitationes ejus in ætatem & ætatem* Pſ. 33. v. 11. *Juravit Jehova exercituum dicendo, niſi quemadmodum propoſui, ita fuerit, & quemadmodum conſiliũ inivi, illud extiterit*. Eſa. 14. 24. & τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε. Rom. 9. 19. Quâ de re Voluntati ejus quis reſtitit?

re ita eruditè Auguſtinus, Enchirid. cap. 103. cum varias loci ad Timoth. 1. cap. 2. interpretationes attuliſſet. *Quocunque alio modo intelligi poteſt, dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumq; non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus. Si in cœlo & in terrâ, ſicut & veritas cantat, omnia quæ voluit fecit, profectò facere noluit, quodcunque non fecit.* Quare ut concludam, non aliud Dei propoſitum, quod ad immolationem Iſaaci, in principio, quàm in fine; nam etiam ut antea reſponſum à Prælectore, totum negotium in probationem Abrahami ſuſceptum, ut inſigne fidei & obedientiæ exemplum poſteritas haberet. Si autem ipſam actualem immolationem, ſibi ab ipſo initio propoſuiſſet Deus, non diceretur in textu, tentationis ergo totũ opus ſuſceptũ eſſe; eo enim hic innuitur, ut obſervat doctiſſimus Mercerus, Deum revera non juſſiſſe (ſi Dei jubentis mentem reſpexeris) ut Abrahám id faceret.

Pergit. Nihil diverſum, quod ad Dei voluntatem expreſſam & tacitam attinet, in exemplo iſto animadverti poſſe. Dixi autem & etiamnum dico, Dei voluntates non eſſe diverſas, ſi Dei præcipientis mentem reſpexeris: non autem ſi Abrahamum reſpexeris; erat enim hoc Dei præcepto, in conſcientiâ obligatus Abrahamus ad immolationem Filii; ſecus enim hoc præcepto ejus obedientia & fides probari non potuiſſet: quamobrem hoc Dei præcepto, non erat obligatus tantùm Abrahamus, ut Iſaacum ſacrificaret, hoc eſt, faceret omnia

mnia requiſita; verùm etiam ut ipſum ſacrificium perageret, quod & peregiſſet, niſi novo interdicto, paratam manum Deus revocâſſet. Ex quo evidens fit, Abrahamum Dei præcepto, de filio ſacrificando perfectè obediviſſe, non ut primitus dato, ſed ut à Deo dato, & quod ad actum ipſum revocato.

Sect. 6. Male excipitur exemplum Pharaonis ſingulare eſſe, ſi rem ipſam ſpectes, de quâ hîc controvertitur. Quæſtio quæ hîc diſputatur eſt; an quæ contra voluntatem præcepti fiunt, velit Deus voluntate beneplaciti. In exemplo Pharaonis, ita rem ſe habere concedit. Sunt & alia complura divinæ indurationis & excæcationis exempla, ut paulo ante commonſtratum, ex quibus veriſſimam & inexpugnabilem eſſe hanc diſtinctionem patere poteſt: nam & ſancta illa judicia indurationis, & aliarum æquivalentium actionum, à voluntate beneplaciti promanârunt: & iſtis poſitis non potuit non conſequi, & ſemper conſecuta eſt contumacia peccatoris, & adverſus voluntatem ſigni rebellio: & tam ſunt perpetua hæc judicia indurationis, quàm ei oppoſitæ miſericordiæ: *cujus vult miſeretur, quem vult indurat* Rom. 9. 18: nec magis ſingularia exempla ſunt indurationis, quàm miſericordiæ. Deinde ſi Deus aliquando vult voluntate ſigni, quod non vult voluntate beneplaciti, & contra, ſequitur firmiſſimè, iſtam diſtinctionem rectè conceptam & explicatam, ut quidem Reformati Doctores eam explicârunt & conceperunt, nullam Deo impietatem aut hypocriſin

 impin-

impingere: quod enim rei eſſentiale & intrinſecum, nuſquam & nunquam ab eâdem ſeparabile. Poſtremò in fine paragraphi, diſtinctionem,in hoc exemplo Pharaonis admiſſam repudiat, damnans jam quod meliori jure probaverat; ſed vel cæco perſpicuum, præter vanum effugium nihil adſerri: nam ſimulac Deus Pharaoni dicebat, ut populum ſuum dimitteret, voluntate præcepti Deus fieri volebat, & jam varia contumaciæ ſuæ,adverſus Dei mandatum, documenta, dederat Pharao Exod. 8. v. 2. Exod. 9.2. Exod. 11.9, antequam Deus ſecundum voluntatem beneplaciti, hoc revera effectum volebat: ſtatim ergo volebat populum dimitti, cum Deus per Moſem Pharaoni dicebat, *dimitte populum meum*: nam alioquin ſæpius renuendo Pharao non peccâſſet, quod tamen ſacra hiſtoria teſtatur docens, Deum Pharaoni minatum graviſſimas plagas, ob refractarium animum, quamquam interim, inquam, non ſtatim id fieri volebat, ſecundùm voluntatem beneplaciti. Hæc ſunt clariora quàm ut ullo modo negari poſſint.

Sect. 7. Hæc reſponſio vim argumenti non evacuat; Deum enim voluiſſe ita evenire poſſe, ut non fierent omnia,quæ Deus fieri vellet, in ſenſu quo hoc hactenus à Prælectore affirmatum eſt, falſum eſt, contrarium ſupra probavimus;&hoc poneret maximam in Deo imperfectionem,quod non eſt admittendum, nec ullo modo ferendum, Deum providentiâ ſuâ ordinâſſe, ut ſuum arbitrium humano arbitrio ſubjaceret, & contra primæ cauſæ naturam &

dignita-

dignitatem, ab eodem dependeret; imò non obſcuram contradictionem implicat, Deum non ſervare ſibi poteſtatem diſponendi ex arbitrio voluntatis ſuæ, in omnibus & ſingulis, ad hominis voluntatem pertinentibus, Deum omnes actiones humanæ voluntatis, omnipotentiæ ſuæ & permiſſioni liberrimæ ſubduxiſſe, ita ut pleraque Deo invito & non volente impedire eveniant. Hæc ſanè cum perfectiſſimo & fœliciſſimo Dei regimine, quale neceſſariò Deo tribuendum, nullo modo convenire poſſunt. Reges hujus mundi tantò judicantur fœliciores quantò magis geſta imperii ex voto ſuccedunt: infœlices illi, qui raró propoſitum aſſequuntur, quorum conatus eluduntur, & quibus pleraque adverſa eveniunt. Abſit tam indignè de Deo ſentiamus, ut beatiſſimam illam majeſtatem in infœliciſſimorum regum claſſes abjiciamus. Nec debemus exiſtimare, ad beatitudinem Dei ſufficere, quod id omne quod accidit, ſecus quàm vult, infinitâ ſuâ ſapientiâ, ad immortalem ſuam gloriam convertere novit, cum ad iſtam mali ad æternam Dei gloriam, converſionem, Deo nolente & præter ejus propoſitum deveniatur: ſi enim res, ex prima Dei voluntate, quam ex ſe habet Deus, cecidiſſet, non voluiſſet Deus, malum convertere in ſuam gloriam, impedivit enim quantum in ſe, ut hæc ſententia ſupponit, ne malum fieret, & ſic quantum potuit, & rei natura ferret, conatus, ne fieret malum; quod infinitâ ſuâ ſapientiâ, ad immortalem ſuam gloriam converteret.

Sect. 8. Secundam rationem proponit, quâ aſſeritur mundi ratam certam eſſe adminiſtrationem, & ſolius Dei nutu omnia gubernari; ac propterea Deum antea ita omnia decreviſſe, ut ipſius conſilio hominum facta reſponderent.

Sect. 9. Hujus argumenti conſequentiam negat, *ſi mundum adminiſtrat Deus, ergo actus internos voluntatis moderatur.* Dividit humanos actus; homini imperium in internos tranſcribit; circa externos Deo tantùm concedit regimen; internos actus, ait, *ad mundi adminiſtrationem non pertinere, univerſam ejus vim in externis conſiſtere.* Hæc ſententia Epicureiſmũ ſapit, quem communis, Philoſophorum melioris notæ, conſenſio damnavit. Non Theologus, ſed novus Epicurus aliquis hîc retundendus. Igitur providentiam eſſe privatim & publicè & ubique, ut ait Clemens Alexandrinus; nec externas hominum actiones tantùm, ſed & internas, ordinatione divinâ gubernari, probatur variis argumentis. 1. Clariſſimis Scrituræ teſtimoniis. *Cor regis in manu Domini, quocunque vult inclinat illud.* Prov. 21. v. 1. Hîc apertè affirmatur quod negat Prælector, qui externa tantùm, non corda humana, Deum regere contendit. Non tantum executio voluntatum in manu Dei, ſed & ipſum velle, & nolle voluntatis. *Nam benedictus Jehova Deus majorum noſtrorum, qui indidit rem talem animo regis, ad ornandam domum Jehovæ.* Eſr. 7. com. 27. *Qui flectit animas ad ſtatuta ſua* Pſ. 119. v. 36. *Qui docet nos ſtatuta ſua* ibidem v. 124.

Qui

Qui reddit nos prudentes eodem. v. 125. *Qui corda regum mutat*, 1. Sã. 10.com.9. *Qui ſervat figmentum cogitationum cordis populi ſui, & conſtituit eorum animum erga ſe* 1. Chron. 29. v. 18. *Cujus manus indit animis hominum, ut faciant aliquid* 2. Chron. 30. 12. *Qui legem ſuam menti indit, cordi inſcribit* Jerem. 31. v. 33. *Qui operatur velle & perficere* Philip. 2. 13. *Qui ſtudium boni cordibus indit* 2. Corint. 8. 16, ille inquam Deus, qui facit hæc omnia, non tantùm adminiſtrator actionum corporis, ſed & animorum ac voluntatum rector. 2. Refellitur hæc opinio argumentis ſupra factis, quibus oſtenditur, actus etiam internos, moderatricis Dei providentiæ decretis ſupponendos eſſe. 3. Cũ tria ſint, quibus univerſitas eorum omnium, quæ in mundo ſunt, comprehenditur; Perſonę, res, actiones, inter quas humanæ eminent, & in iis internæ, tam præcipuum objectum, à Dei providentiâ, & mundi adminiſtratione, contra ſacrarum literarum auctoritatem, quæ has non excipiunt, ſed includunt, non fuit eximendum. 4. Nulla ratio dictat, magis ad adminiſtrationem mundi pertinere capitis capillos, & avicularum caſus Matt. 10. 29. 30, quàm animorum & voluntatum conſilia, quæ maximi momenti ſunt in humanâ vitâ, circa quam adminiſtratio hujus mundi potiſſimum occupatur. 5. Cum Deus per internorum actuum gubernationem, regat frequentiſſimè actus externos, dici non poteſt univerſam vim adminiſtrationis mundi in externis conſiſtere. Quoties enim actus externus potentię permittitur, toties

toties voluntati conſenſus in eundem actum permittitur. Regis animo inditum, *ut ornaret domum Jehovæ* Eſr. 7. 27. 2. Chron. 30. v. 12. 2. Cor. 8. v. 16. Apoc. 17.17. *Quum benevolentiâ proſequitur Jehova vias alicujus, etiam inimicos ejus pacatos reddit ei*, plura occurrunt in allatis rationibus. Sic ſæpiſſimè actus externus impeditur, cum voluntas ita regitur, ne actum perpetrare velit. Ita milites crura Chriſti non confregerunt, non quia non potuerunt, ſed quia noluerunt, hoc autem Deo rem ita dirigente factum Johan. 19. 36. Ita procuravit Deus, ne fratres Joſephi, eum vellent occidere; per conſilium de venditione priora conſilia diſſipavit. Tam ergo providentia Dei, circa voluntatis actus, quàm circa potentiæ occupatur; nec ſacra ſcriptura majorem nobis providentiæ vim in externis, quàm internis ob oculos ponit; & tam magna & admiranda, quæ providentia divina efficit, gubernatione mentium & voluntatum; quàm externorum factorum corporis. 6. Sequetur ex hac reſponſione, non ratam nec certam eſſe hujus mundi adminiſtrationem, cum ipſa voluntas hominis varia & inconſtans ſit, ad quam & ſecundum quam adminiſtratio mundi dirigitur. Quomodo ratum & certum poteſt eſſe, quod nullum certitudinis fundamentum, nec in decretis Dei, nec in præſcientiâ ejus habet? ſed totum ſuſpenditur à principio vario, quale eſt, mutabilis hominis voluntas, cujus non eſt major conſtantia, quàm fortunæ. 7. Sequetur ex eadem, ut habet argumentum factum, adminiſtrationem

ſtrationem mundi, partim ex Dei, partim ex hominis voluntate proficiſci: nam prout homo, volendo, nolendo, ſe gerit, ſecundum vel contra legem, ex propriæ providentiæ diſpoſitione; ita Deus ſe in hac mundi adminiſtratione variè flectit, ut ancilla ad nutum dominæ ſuę: quod ſi verum, magis humanâ voluntate mundo providetur, quàm Dei conſilio, ut inconcuſſus eat, actuſque ſuos explicet.

Scribit eodem paragrapho, *hanc eſſe inter internos voluntatis actus, & externos corporis, ſive elicitos à voluntate & corpori imperatos, differentiam; quòd actus voluntatis ſint in liberâ poteſtate hominis, actus externi nullo modo, hoc à Salomone eſſe ſcriptum* Proveb. 16. v. 1. verum inter actus internos & externos, relatè ad Dei definitionem rectionemque conſideratos, eâ in re non eſt differentia; nihil ita in manu hominis, quod Dei nutu non gubernetur, ut hoc cap. ſatis copiosè probatum. Rurſus actus externi ſunt voluntarii & liberi, quemadmodum actus interni. Quis contra ſenſum communem totius univerſitatis neget, nullo modo voluntarias eſſe actiones, edendi, ambulandi, videndi, emendi, vendendi, furandi, ſcortandi, ſuum cuique tribuendi; actiones nubendi, ducendi uxorem, ſunt in poteſtate hominis: de hac ita Apoſtolus. 1. Cor. 7. v. 36. 37. *Cæterum ſi quis aliquid non decens, à ſe in virginem ſuam committi putat, ſi florem ætatis excedat, & ita debet fieri: quod vult faciat & non peccat, jungantur matrimonio.* Propterea cum à Salomone ſcriptum eſt Prov. 16. com. 1, *hominis eſſe præparare*

rare cor; à Deo autem eſse linguæ reſponſionem, iſtud diſcrimen inter actus internos & externos non confirmatur. Nam priori locutionis genere, cum dicitur, *hominis eſſe præparare cor*, non ſignificatur cordis cogitationes, adminiſtrationi divinæ non ſubeſſe, cujus contrarium probatur ſic, quia reſponſio linguæ, à Deo eſſe dicitur, non negatur eo, linguæ reſponſionem, non eſſe in poteſtate hominis; ita enim à Deo procedit, ut à voluntate hominis imperetur, Chriſto teſtante: *ex abundantiâ cordis os loqui* Mat. 12. 34. *& hominem ex ſermonibus ſuis juſtificandum & condemnandum* v. 37. *Quæ proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur* Mat. 15. 17. cogimur ergo fateri linguæ reſponſionem, non ita eſſe Dei, ut non etiam ſit hominis. Deinde ponit Prælector ſect. 15. hujus cap. multa externa facta permitti à Deo: hoc ſi ſic, neceſſe ſanè actus permiſſos ab homine perpetratos, in hominis poteſtate eſſe. Opera carnis & omnis ſermo malus, qui ab homine procedit, à Deo poteſtati hominis permittitur: niſi enim illa ab homine eſſent, culpam nullam contraheret homo, nec pœnam mereretur; nunc autem oppoſitum eſt verum, ut plus quàm mille locis teſtatur ſcriptura. Rom. 3. 13. 19. Gal. 5. v. 19. 20. 21. Jud. v. 15. Prov. 10. 11.

Sect. 10. Etſi verò religionis officium; obedientia & inobedientia hominis, interno & completo voluntatis actu contineatur, quando non datur externi actus facultas; tamen religio & obedientia, eique oppoſita irreligioſitas

tas & inobedientia, externum & internum actum reſpiciunt; & ut utriuſque actus præſtatio, ad juſtum religionis officium, & integram Deo debitam obedientiam requiritur; ita etiam irreligioſitas & inobedientia, interno ſpiritus & externo corporis actu, continetur: hoc apparet ex legiſlatione Dei; lex lata animæ & corpori: lex ſecundi præcepti vetat, ne fiant imagines, quæ ſunt opus manuum humanarũ; prohibetur incurvatio corporis: eidem labor die ſabbathi interdicitur: homicidia, adulteria, furta, falſa teſtimonia, quoad ipſum opus externum etiam hîc interdicuntur. 2. Nemo unquam repertus eſt religioſus & obediens Deo, cujus religio & obedientia in ſolâ actione ſpiritus ſubſiſterent. 3. Promiſſiones & minæ pœnarum tam externis, quàm internis actionibus fiunt, per univerſum ſcripturæ corpus. *Corde creditur ad juſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem*. Rom. 10. v. 10. *Quiſquis me abnegaverit coram hominibus, abnegabo eum & ego coram Patre meo, qui eſt in cœlis* Matth. 10. 33. *Qui ſtolas ſuas laverunt, ac dealbarunt in ſanguine Agni.* Apoc. 7. v. 14. Non tantùm ſpiritu, ſed per glorioſam crucis in corpore tolerantiã, Deum glorificaverunt, præſtantiſſimus ſine controverſiâ religionis actus, ſanguinem ſuum pro religione fundere. 4. Idem probant adhortationes ad bonum membris corporis perficiendum; & dehortationes à malo, membris corporis omittendo; clamat Paulus Rom. 6. com. 12. 13. *Ne regnato peccatum in mortali corpore veſtro, ut obediatis peccato in cupiditatibus corpo-*

corporis: neque ſiſtite membra veſtra , arma injuſtitiæ peccato , ſed ſiſtite vos Deo ut ex mortuis vivos, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo. Glorificate Deum, in corpore & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei. 1. Cor. 6. v. 20. Quod ad exemplum hoc de Abrahami immolatione, neque ſententiam noſtram convellit, neq; adverſarii opinionem, de internis & externis actibus , & eorundem diſcrimine, ullo modo confirmat. Simile judicium eſto, de altero illo exemplo Balaam , cujus non tantùm linguam , ut hîc obiter moneam, ſed & animum mirabiliter moderatus Deus, cum Iſraeli benediceret, quod apparet ex reſponſo Balaam. *Nonne, quod poſuerit Dominus in ore meo , illud cuſtodiam ad loquendum?* Num. 23. 12: Proinde, non tantùm linguâ benedixit, cum benediceret, ſed etiam benedicere voluit , in paroxyſmo ecſtaſios animo mirabiliter à Deo raptu quodam Spiritus immutato, quamquam hæc immutatio, de malo in bonum non fuit. Denique neque Abrahami obedientia, neque Balaami impietas in ſolo corde ſubſtitit; ſed variis externis actionibus, executioni demandata fuit, ut ex utriuſque hiſtoriâ palam eſt.

Sect. 11. 12. 13. Quę hîc de facto Pharaonis & Abimelechi inducuntur, revera evertũt ſententiam Pręlect. *de diſcrimine actuũ internorum & externorũ*, quaſi priores ſint hominis, poſteriores Deus omnino ſibi reſervaverit; nec nõ alterũ ejus dogma huic ſuperſtructũ, *de religione, obedientiâ & inobedientiâ ſolis voluntatis actionibus comprehensâ*: nã liquet ex utroq; exemplo, reges

iſtos

iſtos translatione Saræ ad ſe, peccâſſe, conſequenter, actum illum ita moderatus Deus, ut etiam in regum poteſtate fuerit;uterque enim actu illo peccavit, & iram Dei in ſe concitavit. Patet ſimiliter ſecundum, in ipſis quoque externis factis obedientiæ & inobedientiæ momentum conſiſtere; peccatum enim eſt inobedientia: quare de hoc externo facto, ita pronuntiavit ad Abimelechum Deus; *cuſtodivi te ne peccares in me*. Itaque diſtinctio illa, quæ paragrapho 12. adfertur, ἀπροσδιόνυσος eſt; nam etſi in prędictis illis caſibus,voluntas pro facto habetur, hæc nihilominus exempla oſtendunt, in externis etiam obedientiam & inobedientiam conſiſtere, & ſupra datam diſtinctionem illam externorum & internorum actuum non eſſe veram, quod ſufficit, & ad τὸ κρινόμενον, efficaciter facit. Factum externum,quod paragrapho 13. affirmatur, per ſe Deo diſplicere, cum aliquid adverſus ipſius legem,etiamſi imprudenter committitur,pro nobis totum facit.

Nihil ad rē facit.

Quod controvertitur.

Sect. 14. Ignoratio, factum contra legem, non ita excuſat, ut peccatum eſſe deſinat; *peccatum eſt legis tranſgreſſio*, Joh.3. v.4. nec dari poteſt legis tranſgreſſio, quæ non ſit peccatum:nec ſolum peccatum ignorantiæ,pro peccato reputandum, quod ex temeritate,imprudentia, cum voluntariâ negligentiâ advertentiæ, committitur; quorum omnium convictus in conſcientiâ ſic peccans. Verùm etiam, ubi hæc voluntaria vitia non concurrunt; nam alioquin,omne peccatum ignorantiæ,aliquo modo, contra conſcientiam, committeretur,quia

M ex

ex affectata ignorantiâ procederet, & ſic omnes errores & hæreſes in fide, eſſent à voluntate, & non ex defectu luminis in intellectu, quod eſt contra Apoſtol. *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, Rom. 9. 16. *cujus vult miſeretur, quem vult indurat* ibid. com. 18. Sed pergamus, tandem ergo evidentiâ veritatis compulſus, ſententiam ſuam de externis factis, ut illam paragrapho 9. enuntiaverat, immutat. Ibi dixit, hæc Deum omnino ſibi reſervâſſe à Deo eſſe reſponſionem linguæ: nec ullam in ipſis, quamquam vel minimi, prorſus liberam homini dediſſe poteſtatem; hîc negat Deum auctorem eorum omnium, quod tantundem valet ſanè ac ſi dixiſſet, non eſſe à Deo & quod alteri permittitur, negari non poteſt, liberam ejus poteſtatem, eidem conceſſam eſſe: nam quid eſt permittere, quàm liberam poteſtatem concedere, in aliquâ re? Quod ſi intelligat adverſarius, per poteſtatem prorſus liberam, talem, quæ alteri ſuperiori non ſubeſt, tum hoc inſulsè allatum fuit, nam iſtiuſmodi ἀνυπεύθυνος libertas, tam ab internis, quàm ab externis abeſt; & utriſque hoc commune, ut ſint in manu Dei, ut apertè confitetur ſectione ſequenti.

Sect. 15. Itaque cum hucuſque pugnam infrugiferam, & inutile bellum duxerit, fruſtraq; ſudaverit, in diſtinguendis externis & internis actionibus, relatè ad Dei providentiam conſideratis, omnem vocem emittens ait: hanc inter voluntatem & externa facta differentiam eſſe, *quod Deus hæc nullâ ratione, in hominis planè liberâ*

liberâ poteſtate eſſe voluit, ſed modò ea permittit ipſe, modò impedit, prout ſibi viſum fuerit: voluntatem verò liberam eſſe, perpetuò ſinat, niſi ſi quando, ut ei neceſſitatem afferat, eamve ipſe planè gubernet, ac moderetur, ejus judicia requirant. At hæc etiam reſponſio non magni ponderis: aſſeritur experientiâ apertè reclamante, alternas quaſi vires eſſe divinæ permiſſionis & impeditionis, circa facta externa hominum occupatæ; impeditiones enim rariſſimę prę permiſſionibus divinis: quæ impediuntur, ne milleſimam quidem partem faciunt eorum quę permittuntur: nec quiſquam mortalium eſt, qui in ſe, quoad externa verba & facta, permiſſionem & impeditionem Dei alternare experiatur: regulariter enim homines loquuntur, quæ volunt loqui; faciunt, omittunt, ad quæ facienda & omittenda conſummatas voluntates habent, quamquã interim operum ſucceſſus & eventus ſit in Dei manu. 2. Si permiſſio, quæ non ita perpetua eſt, ut non aliquoties interrumpatur, cauſa & fundamentum eſt libertatis voluntati tributæ, cur non ſemiplena permiſſio, cauſa & fundamentum dicatur ſemiplenę libertatis. Si modus humanæ libertatis, ſecundum modum divinæ permiſſionis, ut quo major permiſſio, eo major libertas, quò minor eò minor libertas, neceſſe eſt ſemiplenam permiſſionem, ſemiplenam dare libertatem, deunx aut decunx permiſſionis, eſt deunx aut decunx libertatis voluntatis. 3. Dicitur non probatur, Deum non tam planè gubernare ac moderari actus internos voluntatis, quàm externos. Poſtremò

ea quæ hîc denuo ſuggerit, de decreto & permiſſione, quia in hoc cap. prolixiores fuimus, alibi datâ occaſione, in ſequentibus Deo volente diſſeremus.

Cap. VIII.

De Dei prænotione ſeu præſcientia.

1. T*ertia ratio*, quâ probari poſſe videatur, nihil in hominis poteſtate eſſe, ſed omnia ex Dei decreto pẽdére, vel certè neceſſaria eſſe, exDei prẹnotione ſeu prẹſcientia ducta eſt. Sic enim argumentantur: Deus infallibili prænotione omnia novit antequàm fiant: Ergò nihil fieri poteſt, quod antequàm fiat, jam omninò certum non ſit, & idcircò neceſſarium, alioqui falli poſſet Dei prænotio. Quod ſi aliquis fateri nolit, certitudinẽ iſtam ex Dei decreto proficiſci, quia videlicet Deus ita omninò futurum decreverit: at illud negari non poterit, undecunque tandem ea proficiſcatur, certitudinem iſtam planè eſſe, atque ex ea, rerum omnium quæ fiunt antecedentem neceſſitatem, neceſſariò colligi,

2. Ut ad rationẽ iſtam non minus plenè quàm planè reſpondeamus, animadvertendũ eſt, infallibilem iſtam Dei prænotionem, quam pro re conceſſa adverſarii ſumunt, à nobis non admitti, niſi priùs probetur. Probari autem poſſe videtur, uno ex tribus modis, vel quia Dei natura per ſe eam omninò requirat, adeò ut impium ſit eam negare: vel quia nullo modo ſit veriſi-

veriſimile, rem aliter ſe habere, etiamſi *Deo* volente aliter ſe habere potuiſſet: vel denique, quia id ex ſacris teſtimoniis planum fiat.

Quod ad primum attinet, non videntur adverſarii eo ullà ratione uti poſſe. Etenim cùm nolint, cum Dei prænotione iſta hominis libertatem ulla ex parte poſſe conſiſtere, quemadmodum ex ipſa eorum ratione apparet, ſi Dei prænotionem ipſius Dei natura omninò requireret, ſequeretur, ne Deum quidem ipſum homini libertatem concedere poſſe aut potuiſſe: quod certè non planè impium modò, ſed etiam ipſorũ decretis contrariũ eſſet. Statuunt enim ipſi quoque primum hominem ante lapſum liberum arbitrium habuiſſe. Attamen videamus, num aliquæ rationes ſint, quibus probari videatur fieri nullo modo poſſe, quin Deus omnia prænoſcat antequàm ſint, idque ex ejus natura omninò proficiſci. 3.

Calvinus in inſtit. lib 1. c 15. ſect. 8

Una ratio videtur eſſe, quod Deo ſint omnia præſentia, nempe quia ipſe tempori non ſubjaceat, ſed in ęternitate perpetuò ſit, in qua nihil prius, nihil poſterius eſt, eóque nihil præteritum, nihil futurum, ſed omnia præſentia. Reſpondemus, Deo quidem eſſe omnia præſentia, verùm ea quæ aliquo modo ſunt. Namque non entium nullæ ſunt qualitates. Atqui ea, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec certò futura ſunt, nullo modo ſunt. Itaque ea Deo præſentia eſſe nequeunt. Ejusmodi autem ſunt (aut certè nos eas eſſe contendimus) voluntariæ hominum actiones, quæ nondum revera extiterunt. Quare, niſi adverſarii principium pe- 4.

 tere

tere velint, neceſſe eſt, ut ad rationem iſtam concludendam probent, omnia quæ fiunt, antequàm facta eſſent certò futura fuiſſe: hoc autem illud eſt reverà, quod in controverſia eſt, & quo probato, nos ſtatim manus daturi ſumus. Prętereà dicimus rationis confirmationẽ quam afferunt, nullius momenti eſſe. Tempus enim æternum eſt, quidquid Theologi noſtri contra diſputent, ſemperque & fuit & futurũ eſt, ut & præteritum aliquid, & præſens, & futurum ſit. Nec verò in mundi creatione, ut ipſi arbitrantur, tempus primum extitit, ſed tantummodò temporis menſura quædã. Neq; enim dies & noctes ipſeq; univerſus cœlorum & ſolis reliquorumque aſtrorum curſus ipſum tempus ſunt, ipſumve efficiunt, ſed illud metiuntur tantùm, atque diſtinguunt. Quamobrem ipſius quoque Dei reſpectu aliquid præteritum, aliquid verò præſens, aliquid etiam futurum eſt. Quod ſi minùs concedatur, illud tamen certiſſimum eſt, eorum, quæ ab hominibus fiunt, reſpectu ita rem ſe habere. Ex quo conſequitur, cum de illorum ſcientia, quam Deus habeat, agitur, neceſſe eſſe, ut præterita tanquam præterita ſciat, præſentia tanquam præſentia, futura tanquam futura: quale enim ſcibile eſt, talem ſcibilis ſcientiam eſſe oportet. Itaque ea quæ nondum ſunt reverâ, licèt certò futura ſint, ne ipſius quidem Dei reſpectu ſunt reverâ, tantum abeſt, ut ea reverâ ſint Dei reſpectu, quæ certò futura non ſunt: tales enim nos, ut dictum fuit, hominum voluntarias actiones, quæ nondum

nondum reverâ extiterunt, eſſe contendimus. 5.

Alterius rationis loco eſſe poteſt, quòd Deus ſit omniſciens. Nam ſi Deus aliquid futurũ non nôſſet, non omnia ſciret. Reſpondeo. Deus omnia ſcit, quæ ſuâ naturâ ſcibilia ſunt, quẽadmodum omnia poteſt, quæ ſuâ naturâ poſſibila ſunt. Verùm ſicut quædam ſunt, quæ ſuâ naturâ fieri nullo modo poſſunt, & idcircò ea Deum facere poſſe nullâ ratione dici poteſt, nec tamen ipſius omnipotentiæ quidquam derogatur: ita quædam ſunt, quæ Deus ſcire nullâ ratione dîci poteſt, nec tamen ipſius omniſcientiæ quidquam derogatur. Ex ipſius rei natura, exempli cauſa, nullâ ratione id fieri poteſt, ut factum infectum reddatur. Itaque ſi quis affirmare velit, Deum id quod factum eſt infectum reddere poſſe, meritò ab omnibus deridebitur. Pari ratione, ſi quis dicat Deum ea ſcire, quæ nullo modo ſunt, deridendus erit. Quę enim nullo modo ſunt, ea ex ipſius rei natura nullo modo ſciri poſſunt. Nec verò in Deo ullum eſt vitium aut imperfectio, etiamſi quędam eum facere poſſe, quędam ſimiliter eum ſcire, affirmari nequeat, quippe, quia res illæ nulli potentiæ aut ſcientiæ ſunt obnoxiæ, nec ullam omninò paſſivam potentiam aut ſcientiam admittunt. Nullo autem modo eſſe ea quę nondum extiterunt, nec certò futura ſunt, jam ſatis oſtenſum eſt. Quare hic quoque ab adverſariis tacitè principiũ petitur. Tacitè enim ſumunt, quæcunque fiunt, antequàm fierent certò ſutura fuiſſe, quod illud ipſum reverâ eſt,

de quo diſputatur, quodque nos prorſus negamus. Non rectè igitur in ipſa ratione nectenda dictum eſt: Si Deus aliquid futurum non nôſſet, non omnia ſciturum eſſe: quaſi verò quicquid fit, id futurum eſſet, antequàm fieret. Fatemur nos quidem ſciri à Deo omnia, quæ futura ſunt, ſed interim negamus, ea quæ fiunt, ſi contingentia ſint, futura fuiſſe antequàm fierent.

6. Sed dicet aliquis. Igitur ſi iſta futura fuiſſe negas, ſequitur ea fuiſſe non futura: quomodo igitur fieri potuerunt, ſi erant non futura?

Sciendum eſt, futura contingentia antequàm fiant, nec futura eſſe, nec eſſe non futura. Unde illud dictum eſt: De futuris contingentibus non eſt determinata veritas, ſunt enim iſta ad utrumque. Et affirmare quidem poſſumus antequàm fiant, ea vel futura eſſe, vel non futura, hoc pacto: illud aut erit, aut non erit, ſed neutrum tamen aſſerere poſſumus. Regula enim illa, De qualibet re eſt affirmare vel negare, in futuris contingentibus locum non habet.

Ariſtoteles libro de interpretatione, cap. 9.

7. *Sed* jam de ſecundo modo agamus, & videamus, an veriſimile ſit, Deum voluiſſe omninò omnia ſcire antequàm fiant, etiamſi aliter eſſe potuiſſent, id eſt, conſideremus, utrum veriſimilius ſit: Deum nullam libertatem homini relinquere voluiſſe, ut ipſe prænôſſe omnia poſſet? an verò libertatem aliquam homini dediſſe, ſeque iſta prænotione privâſſe? Ex ratione enim adverſariorum, ut dictum eſt, colligitur, eos nolle libertatem hominis & Dei prænotionem

tionem iſtam ſimul conſiſtere poſſe, quod nos quoque non modò fatemur, verùm etiam, ut poſteà clariùs apparebit, urgemus atque contendimus, quatenus id, quod Deus certò præſcivit, ut certum etiam jam in ſe ipſo ſit, neceſſe eſt, hominiſque libertatem à ſe penitùs excludit. Jam verò, ſi libertas omnis homini adimatur, ea omnia abſurda ſequuntur, quæ enumerata ſunt à nobis, in initio hujus de hominis libertate diſputationis; & Deus nonnullorum vitiorum eorumq; graviſſimorum turpiſſimè inſimulatur, quæ hîc repetere neceſſe non eſt. At verò, etiamſi Deus non omnia noſcat antequàm ſint, nihil tamen abſurdi inde apparet. Cui enim uſui, obſecro, iſta prænotio eſſet? An non ſatis eſt, Deum cuncta regere perpetuò ac gubernare, nec ipſo planè nolente quidquam fieri poſſe: ſed eum ubique ſemper, ita ſcientiâ ac potentiâ ſuâ præſtò eſſe ut omnes hominis conatus & perſpicere, & ſi ſibi viſum fuerit impedire poſſit, infinitâque ſuâ ſapientiâ (quidquid homo moliatur aut moliri queat) omnia ad ſui gloriam convertere, & quâ ratione, prout hominis conatus fuerit, ſibi agendum ſit, jam anteà, ſi ita placet, conſtituiſſe? Certè prænotio iſta, tantum abeſt ut aliquid Deo tribuat, ut potiùs illi non nihil adimat, id eſt, curam perpetuam, quam rerum humanarum gerit, aliqua ſaltem ex parte tollat atque obſcuret, & otioſum quodammodo eum reddat. Nam, quid attinet Deum quæ ab hominibus fiunt perpetuò contemplari atque animadvertere, ſi ea jam anteà novit, quã

 fierent?

fierent? quid item ea pro arbitratu ſuo moderari, ſi jam anteà certiſſima erant, nec niſi uno modo eſſe poterant? Denique humanarum actionum inſpectio ac moderatio perpetua, quę & in ſacris literis paſſim Deo tribuitur, & ejus ſummum in homines imperium ac gubernationem, quàm maximè demonſtrat, prænotione iſta omninò labefactatur, & tantùm non funditùs evertitur.

8. *Reſtat* tertius modus, qui nobis in duas partes diſtribuendus eſt. Primùm enim de iis teſtimoniis agemus, in quibus in univerſum dici videatur, Deum quæ fiunt, jam anteà certò noviſſe. Deinde illa examinabimus, ex quibus ſingulares quaſdam Dei prænotiones elici appareat, unde, omnium rerum prænotionem Deum habere, colligi poſſe videatur.

REFUT. CAP. VIII.

De Dei prænotione ſeu præſcientiâ.

QUamquam dogma pręſcientię divinę, doctiorum conſenſu firmatum, & de eo communis hominum vita non dubitet; Socinus tamen novus dogmatiſtes, ex Ciceronis de divinatione ſcholâ egreſſus, experitur etiam, ſi poteſt, hujus dogmatis cornua commovere.

Sect. 1. 2. Quemadmodum præcedenti cap. ut imcompoſſibilia Dei decreta & arbitrium oppoſuit; ita & hîc, infallibilem Dei præſcientiam & libertatem voluntatis. Verùm id, non tam ex alieno, quam ex ſuo ſenſu; pauciſſimi

ciſſimi enim, qui ita arbitrium hominis defenderunt, ut præſcientiam negaverint. Quotquot enim de hominis arbitrio ſcripta aut diſputationes Scholaſticorum hominum inveniuntur; uno ore hanc Dei prænotionem agnoſcunt: nec talem contingentiam, rebus humanis conceſſam putant, quæ Deum hac perfectione præſcientię privet, ejuſque certitudinem & infallibilitatem tollat. Contingentiam autem & neceſſitatem quandam, in unam & eandem rem convenire poſſe, ſupra demonſtravimus & exemplis aliquot illuſtravimus, & multo plura afferri potuiſſent, quare ne actum agamus, de eo denuo non laborabo. Hoc uno hîc defungi poſſum. Si eſt infallibilis præſcientia omnium, non ita aliquid in hominis poteſtate, quod non ſit neceſſarium neceſſitate infallibilitatis.

Sect. 2. Hâc datâ ſumtione, negat diſputator noſter aſſumtionem, præſcientiam illam infallibilem dari. Tres ejus probandæ modos concipi poſſe ait. *Primus quòd Dei natura, eam per ſe requirat,* conſequenter ſcientiam illam in Deo neceſſariam eſſe. *Secundus, etiamſi hæc præſcientia ſit libera libertate exercitij, nullà ratione tamen, præſcientiæ carentiam probabilem eſſe, ſed majeſtatis Dei eße, cauſas omnium introſpicere. Tertius probationis modus, eſt ab authoritate ſacrâ.*

Sect. 3. Cum Deus in omni re conſummatus ſit, & intelligatur habere quicquid ſub verum conceptum talis perfectionis cadere poteſt; dubitari non poteſt, Deum in ſcientiâ per naturam

naturam perfectiſſimum eſſe intenſivè & extenſivè. Dico intenſivè, quod non intelligo de intenſione graduali, ſed noto ſummam iſtius ſcientię perfectionem, cum omnibus perfectæ ſcientiæ proprietatibus, conceptã. Dico extenſivè, quia ſcientia ejus infinita eſt, comprehẽſiva omnis objecti ſcibilis: pertinet enim ad perfectionem ſcientię divinę, quam per naturam habet Deus, attingere omne objectum ſcibile, hoc ipſo quod ſcibile eſt & quomodo. Jam verò omniſcientiam in Deo naturalem eſſe & neceſſariam, admittere non poſſunt ij, qui dum putant nullam inter Dei prænotionẽ & libertatem hominis, concordiæ rationem, libertatem homini concedi potuiſſe, & conceſſam eſſe affirmant. At nec Pontificiorum nec Reformatorum ſcriptorum quiſpiam, qui ſentiat, hominis libertatem, nullâ ex parte cum Dei prænotione conſiſtere poſſe: nec Calvinus nec quiſquam ex noſtris Doctor, primum hominem, ita liberum arbitrium, ante lapſum habuiſſe dicunt, ut propterea præſcientiam infallibilem, & moderatricem Dei providentiam negaverint.

Sect. 4. Scholaſtici Theologi, multa operosè diſputantes, de viâ & modo quo futura contingentia cognoſcit Deus, inter alias ejus ſententiæ rationes hanc aſſignant, contingentia nempe cognoſci poſſe, quatenus ſunt æternitati præſentia; quamquam non deſunt plurimi, imprimis inter Nominales, qui ſentiant fide quidem nos certò ſcire, Deum hæc cognoſcere: impoſſibile tamen eſſe intellectui humano,

humano, declarare modum, quo illa cognoſcit: & ſanè facilius cognoſcitur, quòd ſit aliquid in Deo, quàm quomodo ſit: nec res eſt neganda, quia modus rei ignoratur; nihil enim impedit, rei, quæ cognoſcitur, modum incognitum eſſe. Sed videamus de ratione hîc aſſignatâ. Dicit noſter, contingentia, de quibus diſputatur, certò futura non eſſe, proinde nullo modo eſſe, itaque Deo præſentia non eſſe: rationis confirmationem etiam nullam eſſe, quod ipſe tempori non ſubjaceat, ſed in æternitate perpetuò ſit &c. Thom. 1. parte quæſt. 14. artic. 13. hac ratione utitur (verba ejus ſunt ibidem in concluſione); *& licet contingentia fiant in actu ſucceſſive, non tamen Deus ſucceſſivè cognoſcit contingentia prout ſunt in ſuo eſſe, ſicut nos, ſed ſimul; quia ſua cognitio menſuratur æternitate, ſicut etiam ſuum eſſe.* Contendit ergo Thomas, quemadmodum Deus in ſuo eſſe eſt æternus, ita ut permanentiam ſtabilem habeat & non fluentem, ut res ſucceſſivæ, quarum duratio intrinſeca tempus, ita ut nunquã permaneant in eodem eſſe, ſed partem poſt partem habeant, ſic etiam, omnem Dei ſcientiam æternam eſſe. Hic modus ſcientiæ cum ſit perfectisſimus, Deo tribuendus, nam Dei ſcientiam per continua augmenta creſcere, ut affirmare coguntur præſcientiæ negatores, magnam poneret in Deo imperfectionem. Deinde cum nulla posſit adferri ratio, ſcientiam hanc imposſibilem, ex defectu cognoſcibilitatis ex parte objecti; hoc eſt, nulla posſit adferri ratio, Deo non eſſe præſentia, ſanè propter
hanc

hanc rationem, ex propriis divinæ perfectionis ductam, admittenda hæc ſcientia contingentium.

Itaque cum Dei ſcientia ſit æterna, & tota ſimul, non eſt ſucceſsiva ſecundum rationem rei ſucceſsivæ, quæ non eſt tota ſimul, ſed ita, ut partem poſt partem habeat, & unâ ceſſante altera adveniat; conſiderandum enim eſt dupliciter aliquid ſucceſsivum poſſe dici: Primò quod ita durat, ut ſit in continuo fluxu realis entitatis ſuæ, & unâ parte intereunte, alteram habeat; ita motus, cujus propria duratio tempus, ſucceſsivus eſt ſecundum prius & poſterius. Secundò modo impropriè & latè loquendo, res quæ ita ſunt & durant, ut permanentiam habeant in eodem eſſe, relatæ ad ſpatium & tempus imaginarium, ſucceſsivum, quod mente concipimus, fluens ex æternitate, dici poſſunt fuiſſe, eſſe, futuræ eſſe, quod nullam mutationem dicit intrinſecam in ipsâ re durante, & reali duratione rei, quæ idem eſt cum ipſa re durante, ut eſſentia realis & exiſtentia ſunt idem. Hoc tempus imaginarium æternum dici poteſt, & ante creatum mundum fuiſſe, verùm id non infirmat rationem factam, non enim ex hoc infertur, ſcientiam Dei mutabilem eſſe per quotidiana incrementa. Cœlorum & aſtrorum curſus, ipſum tempus eſſe, nemo dixerit, cum notum ſit tot eſſe tempora quot motus, & tempus rei eſſe ipſammet rei durationem, quæ nihil aliud eſt, quàm permanentia rei exiſtentis in ſuo eſſe. Deinde unius rei durationem aſſumi ab humanâ

manâ mente, ad menſurandam durationem alterius: unde apud Philoſophos & Theologos nihil tritius, quàm tempus dupliciter accipi: uno modo abſolutè, pro duratione intrinſecâ motus, & ſic tempus æquè ac motum multiplicari: alio modo ſumi, pro menſurâ extrinſecâ, & hoc modo, tempus unum eſſe, illudque eſſe in motu cœli.

Pergit. *Quamobrem ipſius quoque Dei reſpectu* &c. At jam reſponſum in quo ſenſu hoc admitti, vel non admitti poſſit. Stat ratio facta, modò in ſcientiâ Dei, non ſit vera & interna ſucceſſio, & mutatio per præteritum, præſens & futurum; ut non fuerit ſcientia in Deo quæ non ſit, ut non ſit aliqua futura ſed præſens omnis. Porro Deum, præterita, præſentia, futura apprehendere ut talia veriſſimũ eſt: quia alioqui judicium Dei utpote ſuo objecto non conformatum, non eſſet verum. Quando ergo, Deo dicuntur omnia præſentia eſſe, id non intelligendum, de præſentiâ ſecundum exiſtentiam realem, ſed de præſentiâ ſecundum eſſe objectivum, quatenus ſc. æternus ſcientiæ divinæ intuitus, omnia ita attingit ac ſi actu exiſterent, & in hoc ſenſu poteſt exponi Auguſtinus & alii Patres, qui dicunt *reſpectu Dei nihil eſſe præteritum aut futurum*. Sect. 5.6. Dico comparationem hanc ſcientiæ & potentiæ nõ eſſe legitimam: nam, 1 Quædam omnium iudicio impoſſibilia, quæ ſi dicerentur per potentiam divinam fieri poſſe, apertam repugnantiam involveret. At contingentia incognoſcibilia eſſe, antequã ſint, vix pauciſſimi affirmant; nec

nec ulla poteſt adferri ratio repugnantiæ, ut indicant reſponſiones Prælectoris; quę tantùm negant, contingentia eſſe cognoſcibilia, nullam interea demonſtrationem adferunt. 2. Sacræ literę expreſſè declarant, Deum quædam non poſſe, dicunt exempli gratiâ, *Deum non poße mentiri* Heb. 6. 18. *non poſſe ſeipſum abnegare* 2. Tim. 2. 13. At verò nuſquam declarant dari quædam, quæ Deo non ſunt ſcibilia, aut quæ ſcire nullâ ratione poſſit Deus: non ergo eodem modo procedit argumentatio, de omniſcientiâ ſicuti de potentiâ. 3. Denique quamquam fatear, probationes à parte rei, ſive ex reipsâ ſumtas, non ſatis fortiter & evidenter concludere (meo quidem ſalvo doctiori & meliori judicio) ſepoſitâ conſideratione decretorum Dei aut revelationis divinæ, contingentia antequam ſint futura vel non futura fuiſſe, vel propoſitiones de contingentibus non eſſe in ſe ſuſpenſas, & indifferentes, ad veritatem & falſitatem, ſed de iis determinatam eſſe veritatem; attamen ex principiis ſcript. evidenter probari poteſt, contingentia antequam ſint certa eſſe non alternativè, ſed determinativè. Suppono, quod, Deo juvante, poſtea probaturi ex ſacris Scrip. Deum contingentia, determinatè prædicere & revelare antequam ſint: quod verò revelat & prædicit Deus ut certum, cognoſcit ut certum, ergo & eſt tale. Confirmatur, nam ſi non eſſet tale, non cognoſceret ut tale, ſi non cognoſceret, non prędiceret. Ariſtotelis authoritati, majorem Propheticam & Apoſtolicam opponimus; nam

nam ex principiis fidei manifeſtum eſt erráſſe in eo Ariſtotelem.

Sect. 7. Scientia Dei non eſt libera, ſed neceſſaria; non cognoſcit omnia, quia vult, ſed quia infinito lumini intellectui ejus naturale eſt, non legitur Deus omnia cognoſcere, quia vult, ut quidem legitur ſacere, quia vult; potentia enim applicatur ad agendum à voluntate. non verò intellectus à voluntate, ad ſimplicem omnem rerum ſcientiam, quamquam quædam cognoſcantur ab intellectu, quæ non cognoſci potuiſſent, non quia intellectus eſt liber in cognoſcendo vel non cognoſcendo aliquo objecto, ſed quia voluntas exhibet objectum intellectui, quod potuiſſet non exhibere. Quod hic rurſum attingit, de contrarietate inter libertatem & præſcientiam, ex ſuâ & adverſariorum ſententiâ, de conſequentiis negatę libertatis, ut ille quidem illam confitetur, ne actum agam, prætereo, referens me ad ea, quæ ante dicta & diſputata ſunt, ne eadem ſæpe ad nauſeam inculcemus.

Subdit *prænotionem hanc nulli uſui eſſe*. conabor itaque pro meo modulo, aliquos iſtius præſcientiæ uſus, in negotio religionis & pietatis, adferre: unde per Dei gratiam ut arbitror patebit, non mere Theoreticis ſed practicis quæſtionem hanc de præſcientiâ annumerandam eſſe, & ſuum habere momentum, tum reſpectu Dei religionem præſcribentis, tum reſpectu hominis cui præſcribitur. Primò agnitio hujus præſcientiæ neceſſaria eſt, ad debitam agnitionem glorioſæ majeſtatis Dei;

nimium enim indignas, de Deo, fovent cogitationes, quotquot eum præſcientiâ illâ privant; Deum enim pendulum & judicii incertum, in ſingula momenta inducunt, ſuſpenſo judicio & mente dubiâ, de futuro rerum humanarum & providentiæ ſuæ curſu ambigentem: ac ſi Deus opt. Max. unus è medio mortalium eſſet, quorum eſt ignorare τὸ τῆς αὔριον, ut Apoſtolus Jacob. ait cap. 4. v. 14.

Quid poſtero die.

Bene Judæorum doctiſſimus Majemonidis more nevochim cap. 20. part. 3. *In confeſſo eſt apud omnes, non convenire naturæ Dei opt. Max. innovationem ſcientiæ alicujus, ita ut nunc ſciat, quod antea ignoravit.* Cicero hujus ſententiæ author Græcorum μαντικὴν, *id eſt præſenſionem & ſcientiam rerum futurarum confitetur, magnificam rem eſſe & ſalutarem, ſi modo eſt ulla inquit; quæque proximè ad Deorum vim, naturâ mortali poſſit accedere lib. 1. de divinatione.* 2. Hæc ſcientia rerum contingentium eſt propria veri Dei nota, quâ ille ab idolis & quicquid non eſt verus Deus diſcernitur. Eſa. 41. v. 23. 3. Suum habet in Deo uſum, ad erigendum, confirmandum & continuandum cultum à Deo poſtulatum. Scriptura veteris Teſtamenti, unica cultus in v. populo norma, rerum contingentium prædictione, pleniſſima, quapropter illa quoque *fœdus promiſſionis, & ſcriptura Prophetica ſeu ſermo Propheticus dicitur.* Quæ ergo ſcript. uſus & neceſſitas ad cultum, ea etiam præſcientiæ. Novum Teſtamentum norma Chriſtianæ religionis perfectiſſima & æterna, multas quoque & varias continet, rerum

rum contingentium revelationes, quæ momentum habent maximum in negotio religionis Chriſtianæ. Exempli gratiâ faciunt divinæ prædictiones ad excitandam ſpiritualem vigilantiam & veternum excutiendum. Act. 20. com. 28.29.30.31. Ita Chriſtianis non ſemel eſt revelatum, oportere nos per multas afflictiones ingredi in regnum Dei: quæ res ut apertum eſt, varios uſus in negotio pietatis habet. Joh. 16. v. 4. Et cum doctrina judicii æterni, fundamentum ſit omnis Chriſtianæ ſanctimoniæ & ſpei, præſcientia Dei revelavit benignè res contingentes maximas & grandes, quæ diem judicii antecederent, ut earum rerum tanquam ſignorum obſervatione, confirmarentur Dei homines, & ſubinde roborarentur in ſpe plenariæ redemtionis, & corda fidelium in patienti exſpectatione ſtabilirentur vide Matt. 24, per totum Luc. 21. 2. Theſſ. 2. v. 3. 4. &c. 1. Tim. 4. v. 1.2.3. & integram penè Apocalypſin. 4. Sicuti Deus hac infinitate ſcientiæ ſuæ ſemper eſt uſus in bonum & ſolatium ſuorum, ita & nunc benignum numen eâdem uti, non eſt dubitandum. Matt. 2. 13. Eſa. 57. 1. 5. Hæc præſcientia futurorum contingentium ſervit nobis confirmandis, in fide omniſcientiæ divinæ, rerum omnium, præteritarum & præſentium; ſi enim Deus novit cognitu difficillima, multo magis exactè cognoſcit reliqua. Cæterum non tantùm inutilem Prælictor cenſet præſcientiam, ſed noxiam, *quia perpetuam rerum humanarum inſpectionem & regimen obſcurat & labefactat*. At contra ur-

geo ratiocinationem hanc non concludere. Si præſcientia enervaret Dei providentiam, malè adverſarius ſi quam, in ſuâ argumentatione cenſet eſſe ſequelæ vim, admitteret providentiam earum rerum, quarum ſcientiam admittit. Si bene concluſam putat argumentationem ſuam, ad alterutrum cogitur: aut nullam dari rerum humanarum præſcientiam, aut non dari omnium rerum humanarum providentiã. Sin verò ejus datur providentia, cujus præſcientia, nulla eſt hæc argumentatio. Deum curare res omnes, non negat opinor, Prælector, præſcire quaſdam paſſim docet, ergo eo judice nulla hæc argumentatio. 2. Ex Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis clariſſimum eſt, Deum ſimul præſcium fuiſſe paſſionum Filii; & perpetuum inſpectorem & moderatorem; ex quo luce meridiana clarius patet, unam alteri impedimento non eſſe, cum hîc cum exactâ concordiâ, & quidem noſtro concipiendi modo, in ſummo gradu concurrerint. 3. Cum præſcientia cum Dei providentiâ conjungatur, ut directrix & moderatrix rerum omnium, & ratio rerum, quæ fiunt, ſtatuatur, nullo jure affirmatur, per hanc præſcientiam providentiam labefactari. Antecedens confirmatur ex multis Script. locis Marc. 14.21. Act. 2.23. Luc. 22.37. Matth. 26.54: Act. 3.17.18. 1. Pet. 1.20. 4. Ipſa ratio naturalis, & quotidiana experientia dictat, illa duo non eſſe ἀσύςατα: ſępe homines præſciunt, ſe hanc vel illam rem directuros, hoc vel illud negotium curaturos, neque tamen per hoc otioſi

Incompoſſibilia.

oſi redduntur 5. non poteſt intelligi, præſcientiam magis enervare Dei providentiam, quàm prædefinitiones Dei, quæ fatente Prælectore ſunt in Deo, de rebus variis, antequam res actu curet.

Sect. 8. Et ultimá hujus cap. tertium probationis modum, à teſtimoniis Scripturæ ſacræ petitum, in duas partes diſtribuit & octavum cap. finit.

Cap. IX.

Loci ſacrarum literarum, ex quibus in univerſum probari videtur, Deum cuncta prænoſſe quæ fiant, & eorum explicatio.

VT igitur de primis teſtimoniis videamus, 1.
primo loco examinanda ſunt verba illa Suſannæ, Danielis 13. 42. quæ in vulgatâ editione ſic leguntur: *Deus æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequám fiant.* Jam verò ex iſtis verbis non intelligendum eſt, Deum omnia nôſſe, antequàm ullâ ratione ſint, ſed antequàm, licèt jam aliquo modo ſint, oriantur quodammodo atque exiſtant, id quod ex Græco fonte ſatis intelligi poteſt ubi ſcriptum eſt, πρὶν γενέσεως αὐτῶν. Metaphora enim eſt, ducta ab iis quæ naſcuntur, quæ etiam ante ipſum ortum ſunt, quatenus jam ſunt concepta. Et ſenſus eſt, Deum cuncta nôſſe, etiam cum adhuc latent in hominis corde, necdum ad ipſum effectum ſunt perducta, ſimulatque enim homo aliquid animo concepit, ut faciat, id Deo

notiſſimum eſt, atque hac ratione Deus rem novit, antequàm fiat. Verùm nos non de iſta prænotione agimus, ſed de ea, quâ aliquid cognoſcitur, antequàm id ullo modo ſit. Sic autem locuta eſt Suſanna, ut oſtenderet, ſe ne cogitaſſe quidem ea facere, de qnibus à peſſimis illis ſenibus accuſata fuerat, ut meritò Dei opẽ implorare auderet, quippe, quæ non coram hominibus tantùm, ſed etam coram ipſo Deo innocens atque inculpata ea in re eſſet. Quãvis autem hiſtoria illa apocrypha ſit, libuit tamen inſignem locum ſilentio non præterire.

2. *Secundò*, videndum eſt quid ſibi velit Deus, apud Eſa. c. 41. non procul à fine, cum ait. v. 23. *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos*. Namq; ex his verbis apparet, proprium Dei eſſe, futura prædicere, & propterea etiam prænôſſe. De verâ enim prædictione ſermonem eſſe clarè liquet. Reſp. ad iſtum locum & Dei verborũ explanatio ex iis colligitur, quæ anteà diſputata fuerunt. Fatemur enim Deum cuncta, quæ futura ſunt, prænoſcere: ſed negamus, omnia quę eveniunt, antequam evenirent futura ſive eventura fuiſſe. Multa enim eveniunt, quę evenire planè poterãt, & ſic evẽtura fuiſſe prorſus affirmari nequit

3. *Tertiò*, ſunt qui afferant atque etiam inculcent locum illũ in epiſtola ad Heb. c. 4. 13: *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quẽ nobis eſt ſermo*. Locus iſte afferri nullo modo meruit, quippe in quo, de iis quæ jam ſunt, manifeſtus ſit ſermo, atque ex antecedentibus appareat, nihil aliud dicere voluiſſe Apoſtolum,

quam

quàm id quod paſſim ſcriptum eſt, Deum re- Pſal. 7.10.
nes & corda ipſa hominum ſcrutari, adeò ut Hier. 11.20.
intimos quoque eorũ receſſus notiſſiimos ha- & 17.10.
beat, nec aliquid prorſus ibi adeó latère poſſit, & 20.12.
ut Dei oculis nudum & apertum non ſit. Legatur locus, & rem ſic ſe habere ſine dubio intelligetur.

Quartò, inſpiciendum eſt, quis ſit ſenſus verborum Jacobi Apoſtoli Act. cap. 15.18. Cujus 4.
loci tres ſunt lectiones: Una veteris interpretis, Altera Complutenſis editionis, Tertia codicum communium Græcorum. Vetus interpres habet, *Notum à Domino à ſeculo eſt opus ſuum.* Quæ verba nihil aliud ſignificant, quàm Deum opus illud de quo ibi erat ſermo, ab ipſo ævo cognoviſſe, id eſt, facere decreviſſe. Nam hoc ſenſu cognoſcendi verbum uſurpari poſteà videbimus. Quidquid ſit, id tantùm ex verbis iſtis colligi poteſt, Deum vocationem gentium (namque hoc erat ipſius opus illud) jàm à ſeculo cognitam habuiſſe. Sed quid ex prænotione iſta ſui operis ad prænotionem humanorum factorum ſtabiliendã colligi poteſt? In Complutenſi ſimiliter editione ſimpliciter ſcriptum eſt, ἅ ἐστι γνωστὰ ἀπ αἰῶνος αὐτῷ. *Quæ ſunt ipſi nota a ſeculo.* Unde nihil colligi poteſt? niſi ea de quibus ibi verba fiebant, nota fuiſſe Deo ab æterno: ea autem opera ipſius Dei eſſe, inter omnes conſtat, & ſacræ literæ paſſim teſtantur. Quin etiam ibidem proximè dictum fuerat, Deum facere illa omnia.

Reſtat vulgata Græcorũ codicum lectio, quæ 5.
Latinè ita ſonat: *Nota à ſeculo ſunt Deo omnia*

opera ipſius. Ex quibus verbis tantum abeſt, ut colligi poſſit, omnia prorſus Deo nota eſſe antequàm ſint,ut potius contrarium colligi poſſe videatur, nempe,quædam eſſe ex iis quæ nondum ſunt, quæ Deo a ſeculo non ſint cognita. Quid enim attinebat,operum Dei nominatim mentionem facere, ſi nihil planè eſſet, quod a ſeculo Deo cognitum non fuiſſet; Quanquam Eraſmus & Tigurini ita locum interpretantur, ut ad ea tantùm omniaDei opera verba Jacobi accomodentur, de quibus locutus fuerat. Articulum enim ut alibi quoque fieri debere contingit, pronominis loco accipiunt, & τά ἔργα, *hæc opera* convertunt. Quod ſi admittere velimus, tantò magis ſuſpicari licebit,ex loco iſto prænotionem Dei, de qua diſputamus, non modò non confirmari, ſed etiam everti: quippe,ex quo ne omnia quidem Dei opera à ſeculo illi fuiſſe cognita intelligi ducat, ſed quædã tantummodò, qualia ea erant, de quibus ibi verba fiebant.

6. Cæterùm animadvertendum eſt, Dei opus propriè non id omne dici poſſe, quod Deus operatur, ſed illud demum, quod ex ſolâ ejus voluntate pendet, nec ad hominis actiones reſpectum habet, qualis fuit gentium vocatio. Et hæc rectiſſimè fortaſſe dicentur illi à ſeculo omnia nota eſſe. Non dubitamus autem,quin multò plura teſtimonia in ſacris literis extent, unde prænotio iſta Dei rerum omnium in univerſum videatur colligi poſſe. Verùm non dubitamus etiam, quin ea, quæ per nos ad quatuor iſta dicta ſunt, ſi cum iis conjungantur,

quæ

quæ ante diſſeruimus, ſatis ſint, ad illa omnia, quæ inde colligi poſſe videntur, diluenda, & ad teſtimonia ipſa dilucidè explicanda.

REFUT. CAP. IX.

Loci ſacrarum literarum, ex quibus in univerſum probari videtur, Deum cuncta prænoſſe, quæ fiant & eorum explicatio.

SECT. 1. Inter loca, quæ univerſalem rerum omnium ſcientiam, antequam fiant, in Deo confirmare videntur, aut aliquam apparentem & probabilem vim habere, ad id concludendum, primò ſibi objicit hiſtoriam Suſannæ, quæ in quibuſdam Bibliorum codicibus Prophetiæ Danielis attexitur. Quandoquidem ergo Prælectori placuit, hunc librum ex hiſtoria apocrypha in medium proferre, nobis etiam operæ pretium erit, videre, quid ex illo teſtimonio concludatur. Dico ergo univerſalem & illimitatam rerum omnium ſcientiam, verbis magis amplis & idoneis efferri non potuiſſe, quàm quidem hîc à Suſanna, Dei ſcientia enuntiata eſt: aut ergo ſunt accipienda univerſaliter ut ſonant, aut deeſſe verba, quibus iſtiuſmodi univerſalis præſcientia indicetur: nam quæcunque tandem loquendi formula concipiatur, nunquam plauſibili effugio, color aliquis deerit; ſemper parata erit aliqua exceptio. Ait Deum non omnia noſſe, antequam ullâ ratione ſint, ſed noſſe quæ latent in corde, & jam concepta ſunt, antequam ad ipſum ef-

fectum perducantur, & hunc eſſe hujus teſtimonii ſenſum. Primò hac exceptione negatur Deum ſimpliciter & abſolutè omnia noſſe, antequam fiant, quod tamen diſertè ipſe locus habet: ſi enim novit Deus tantũ res conceptas antequam fiant, non novit non conceptas. 2. Si nihil novit, niſi jam ſit quadantenus, nihil autem quod non ſemper ſuit, ſit, niſi factum ſit, efficitur nihil noſſe Deum, niſi quod jam factum ſit, & ita gloſſa textui erit contradictoriè repugnans: Textus dicit, *Deum omnia noſſe antequam fiant*; gloſſa dicit, Deum nihil noſſe antequam fiat: ſi enim Deus nihil novit niſi conceptum, nihil novit niſi factum: ut enim actus immanens eſt, ita et factns eſt 3. Si Deus res novit animo decretas, antequam fiant, non novit tantum quà ſunt aliquâ ratione, verum etiam, quæ nondum eâ ratione ſunt, nam quatenus nondum factę ſed futurę, non ſunt entia, ſed ſunt non entia. Dices ſunt jam certè futurę ex decreto & determinatione voluntatis, & ita præſciri poſſunt in cauſâ ſuâ determinatâ. At hæc reſponſio ſnbſiſtere non poteſt: nam cum permanſio voluntatis in iſtâ determinatione incerta ſit, non poteſt certa eſſe collectio effectus ex cauſâ tam incertâ & variâ. Hinc porro efficitur, ſi Deus aliqua novit, quæ nondum ſunt, non poteſt major eſſe difficultas de omnibus aliis contingentibus in nniverſum. Sequitur etiam ex hoc teſtimonio, contingentia quę fiunt, antequã fiunt, revera futura fuiſſe, quod præcedenti cap. in fine quinti paragraphi negat Prælector: ea enim contingentia, quæ cognoſcun-

noſcuntur a Deo antequam fiunt, fuerunt futura, antequam fierent; hæc verò contingentia, de quibus hoc teſtimonium agit, cognoſcuntur a Deo antequam fiant, fuerunt itaque futura, antequam fierent, & uſq; dum fierent erant contingentia. Unde falſa eſt hæc regula, reſpectu Dei *de futuris contingentibus, non eſſe determinatam veritatem.*

Inſtat adverſarius, de rebus animo conceptis ſolummodo agi: id ex Græco fonte, ſatis intelligi poſſe, ubi ſcriptum πρὶν γενέσεως αὐτῶν, metaphorâ ductâ, ab iis quæ naſcuntur, quæ etiam ante ipſum ortum ſunt, quatenus jam ſunt concepta. Sed iſtum ſuum γενέσεως intellectum aut metaphoram, nullo idoneo argumento nobis perſuadere poteſt: nō enim Græci per γένεσιν ſolent intelligere, productionem aut ortum, rerum jam conceptarum & exiſtentium, ſed abſolutè ortum rei nullo modo præexiſtentis: hoc ſenſu Plato in Timæo meminit γενέσεως κόσμου. Plato ibidem γενέσεως ἔχων ἀρχὴν οὐδεμίαν; Cicero hoc dixit, nullo generatus ortu ibidē περὶ θεῶν καὶ τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως. Cicero Platonem imitatus ait, de Deorum naturâ ortuque mundi; ita apud eundem Platonem in lib. ſecundo de Republ. occurrit γένεσις δικαιοσύνης: vana itaq; illa Socini argumentatio, & conjectura ex Græco fonte ducta.

Antequam fiant.

Originis mundi.

Nullum habens ortus principium.

De Deorum & omnium rerum Origine.

Ortus juſtitiæ.

Sect. 2. Ex iis, quæ à nobis ſupra diſputata ſunt, confido manifeſtum eſſe poſſe, nihil fieri, quod antequam fieret, revera eventurum non eſſet, cum talia ſint decreta divina antecedanea, circa res quaslibet, ut ſit certa ex vi decretorum,

cretorum, rerum quæ fiunt futuritio. Dico deinde ea, quæ hîc à Propheta dicuntur futura & à Deo præcognita, talia erant, quæ nondum ullo modo, in hominibus exiſtebant; aut ſaltem multa involvebant, quæ merè contingentia erant, de quibus in iis, per quos illa eventura eſſent, nulli conceptus aut decreta exſtabant: aut non ij conceptus, nec ea decreta, quę ipſos actus externos immediatè attingerent, eorumque proxima cauſa eſſent, qualia ſunt illa propoſita voluntatis, quæ habet homo in inſtanti executionis, ac proinde certò præſcire non potuerunt, niſi decreta de iis ſaciendis vel non faciendis præcognoſcerentur. Efficitur ergo ex hoc loco, ipſa contingentia quæ fiunt, revera futura fuiſſe antequam fierent: neq; tantùm actus externos, ſed & internos futuros eſſe antequam fiant, ideoque omnia omnino contingentia, quæcunque tandem ſint, revera futura eſſe antequam fiant, & à Deo præcognoſci; cum non alia ratio ſit, aut eſſe poſſit unius contingentis, quàm alterius, cæteris paribus ut loquuntur: ac propterea Socinus, reſponſione ſuâ ad hoc illuſtre teſtimonium Eſa. nihil niſi σοφὰ φάρμακα attulit. Etenim res eſt valde per ſe perſpicua, plurima inter hæc ventura, de quibus Eſa. eſſe contingentia, cum ſint ea, de quibus Prophetarum ſcripta pleniſſima ſunt. Quis ignorat Prophetarum prædictiones comprehendere innumera, quę actiones humanas contingentes; humanorum conſiliorũ agitationes & motus involvunt, quapropter meritò Tertullianus affirmabat, *præſcientiam Dei tot habere teſtes,*

Pharmaca doctè elaborata.

teſtes, quot fecit Prophetas.. Inſpiciatur, perlegatur integra Apocalypſis: quid illa? revelatio ſanè rerum, quas oportet fieri cito. Quantus hîc humanarum actionum cumulus etiam hominum non natorum. Prædicit etiam ibi ſuas Deus, ſed nec illud poſſet, niſi humanas præcognoſceret: eſt enim hîc ſeries & implicatus nexus, qualis eſt inter cohærentia, quæ divelli non patiuntur.

Sect. 3, Si qui locum ad Hebr. attulerunt, ad hanc de quâ quęritur pręſcientiam, hoc non tã crediderim feciſſe, quaſi apodicticâ efficaciâ ex loco illo concludatur; ſed quia hæc verba generalia appoſitè ad hanc etiã Dei ſcientiam, revera Deo competentẽ accommodari poſſunt.

Sect. 4. Sive legamus cum vet. interprete. *notum à Domino à ſeculo eſt opus ſuum*; *ſive ut complutenſis editio habet* ἃ ἐστι γνωστὰ ἀπ᾽ αἰῶνος αὐτοῦ *vel cum vulgatis codicibus græcis: nota à ſeculo ſunt Deo, omnia opera ipſius*; quocunque *inquam* modo legamus, firmum manet argumentum, ex hoc loco deſumtum. Dico ergo primò, ad diſſolvendas reſponſiones ad hunc locum allatas, verbum cognitionis propriè accipiendum hic; agitur enim de propheticis prædictionibus, quarum certitudo confirmatur, à præſcientiâ prædicentis Dei. 2. Dato non conceſſo, cognoviſſe hic notare decreviſſe; efficietur nihilominus Deum eſſe præſcium, cum nullus etiam dubitet noſter, quin quicquid à Deo prædefinitũ, etiam præcognitum 3. cum communis Græcorum codicum lectio habeat γνωστὰ ἀπ᾽ αἰῶνός ἐστι τῷ θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ? quæ

quę latinè ita prælector reddidit. Nota à ſeculo ſunt Deo, omnia opera ipſius, meritò ex hoc loco, pro præſcientiâ omnium operum concluditur; cum hoc vel literaliter in ipſo textu ſit. Propoſitio enim generalis eſt, ſub qua hæc particularis veritas; de præſcientiâ; vocationis gentium cum annexis continetur, & ex eadem efficaciter infertur: quod enim rectè de genere affirmatur, rectè quoque de qualibet ejus ſpecie affirmatur 4. Poſito propoſitionem particularem eſſe, de operibus aut opere vocationis gentium, & articulum τὰ pronominis loco accipiendum, aut accipi poſſe; cum ſoleant Latini articuli vim exprimere pronomine ille, quando de certâ & inſigni perſonâ, aut re ſermo inſtituitur; non ſequitur ex eo, omnia Dei opera, à ſeculo illi non fuiſſe cognita, ſed quædam tantummodo, qualia erant, de quibus ibi verba fiebant, ut contendit Socin. ſed potius univerſalis Dei pręnotio, ex eo etiam confirmatur. Etenim à vocatione, gratia adoptionis, juſtificationis glorificationis, non ſejungitur, naturâ rerum ſic poſtulante. Dico naturâ rerum ſic poſtulante: quia decretum vocationis eſt decretum vocationis ad gratioſam adoptionem, juſtificationem glorificationem; nec vellet vocare Deus, niſi vellet adoptare, juſtificare, glorificare. Eodem etiam modo qui vult vocare gentes, vult etiam mittere, per quos vocet, ſicut ſcriptum eſt. *Quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantiũ bona* Rom. 10.15. Porro hæc enarrata Dei opera, plurima imò infinita alia ſecum ducunt neceſſariò,

ſariò, tum in regno gratiæ, tũ in regno potentiæ, quod ad regnum gratiæ dirigitur, quorum non potuit à ſeculo ignarus fuiſſe ſapientiſſimus Deus; & cum adminiſtratio hujus mundi, varios habeat reſpectus, ad adminiſtrationem regni Dei, & tota ad eam dirigatur, ut ex univerſæ ſcripturæ intuitu manifeſtum; neceſſe etiam unam & eandem, omnium operum Dei, præſcientiam eſſe. 5. Etſi textus loquitur, de prænotione operum divinorũ, valet tamen ad prænotionem humanorum factorum ſtabiliendam per legitimam ratiocinationem. Declaratur, ſi Deo opus gratiæ ſuæ pręcognitum, neceſſarium planè, Deo etiam futuras gentiũ iniquitates, præcognitas fuiſſe: quid enim quęſo eſt velle vocare gentes, quàm velle vocare, è ſtatu peccati & miſeriæ, ad communionẽ gratioſam juſtitiæ & vitæ, qui de reſtaurandis ruinis cogitat, ruinas nõ ignorat. Lapſus etiam & ruinæ tabernaculi, cujus erectio & reſtauratio, vaticinio Amos promittitur, non erant præſentes omni modo cum Prophetaret Amos, ſed & ratione poſterorum, qui nondum nati, adhuc aliquatenus futuræ. Patet ergo ex hoc loco, quod intendimus, præſcientia actionum humanarum contingentium.

Objicit in ſuis reſponſionibus, ad hunc locum de quo diſceptamus, *ſequi ſi Deo omnia opera ſua cognita, eſſe quædam ex iis, quæ nondum ſunt, quæ Deo, ſic non ſunt cognita.* Secundò ſi legamus, hæc Dei opera, effici ſimiliter, *quædam eſſe Dei opera, quæ Deo ſic non ſint cognita.* Summa objectionis eſt, verba hæc nihil operari,

enim partium colligitur totum; ita colligimus Deum omnia judicaturum, ex particulari recenſione ſingulorum. 2. Per hanc præſcientiam & præordinationem vocationis ſuæ Propheticis ſcrip. revelatam, norant ex gentibus vocati, vocationem ſuam à Deo eſſe. 3. Ne Judæi gentes tanquam impuras & pollutas, abominandas ducerent, ſed Dei & Prophetarum ſecutę authoritatem, in unum populũ coaleſcerent. Malè ergo infert ex eo, quod Deo à ſeculo cognita omnia opera ipſius, eſſe quædam, ex iis quæ nondum ſunt, quæ Deo à ſeculo non ſint cognita: etſi hîc dicitur, Deo omnia opera ſua eſſe cognita, agnoſcit tamen etiam noſter multa alia Deo eſſe cognita, illa alia autem tam opera humana, quàm quælibet res aliæ eſſe poſſunt. Jam verò cum hoc dicto non excludatur quodlibet aliud objectum à divinâ cognitione, non magis contra pręſcientiam unius, quàm alterius urgeri poteſt; nec ipſe etiam prælector conſtanter defendit, alia non nominata excludi à cognitione Dei; nam cum in fine paragraphi intuliſſet, ex Eraſmi & Tigurinorum translatione, Deum quædam tantummodo pręnoſſe, qualia erant, de quibus ibi verba fiebant, multa tamen alia à Deo pręcognoſci non diffitetur, quod vel paragrapho ſequente videbimus.

Sect. 6. Omnia Dei opera ſunt propriè opera Dei, in quantum Deus illa operatur. Secundò ſi illa ſunt opera Dei propriè, quæ à ſolâ voluntate ejus pendent; vocatio gentium, à Deo per intermedios Apoſtolos facta, non erit

opus Dei propriè. Tertiò ſi concedatur, locum agere de propriis Dei operibus ſic dictis ex ſenſu Prælectoris, de aliis divinis ex eo per conſequentiam inferetur. Quartò, ut ſuperius dixi, eſto vocatio gentium Dei opus propriè, hæc opera intelligantur, perſtat nihilominus concluſio noſtra ex hoc loco, pro præſcientiâ humanarum actionum facta.

Cap. X.

Loci ſacrarum literarum, rationeſque inde deſumptæ, ex quibus Deum quædam prænôſſe conſtet, unde colligi poſſe videatur, eum omnia ſcire, antequàm fiant, & ad eos reſponſio.

1. INter paucos quoſdam, quos allaturi ſumus, ejuſmodi locos, is erit primus, qui habetur, cap. 18. libri Gen. v. 17. 18. 19. ubi ſecundùm vulgatam editionem ſic ſcriptum eſt: *Dixitque Dominus, num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cum futurus ſit in gentem magnam & robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ. Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam, ut adducat Dominus propter Abraham, omnia quæ locutus eſt ad eum.* Ex quibus Domini verbis, ſatis conſtare videtur, ipſum de Abrahamo quædam prænoviſſe ex eorum numero, quæ minùs prævideri poſſe videantur, quæ ſcilicet ipſius hominis voluntatem requirunt, quale ſine dubio eſt factum iſtud præcipiendi filiis ſuis, &c.

Nam

Nam ſi ea ipſa, quæ hominis voluntatem omninò requirunt, prænovit Deus, quidnam evenire poteſt, quòd ille non prænoverit? Pro reſponſione animadvertendum eſt primùm, in iis quæ hominis voluntatem omninò poſtulant, diſtinguendum eſſe inter bona & mala. De malis poſteà videbimus. Bona autem ideò poſſunt ſæpè à Deo præſciri, quia nihil impedit, quominùs Deus certus auctor ſit multorũ bonorum, quæ voluntariè, id eſt, non coactè, quamvis neceſſariò ab homine fiunt: hoc enim eſt, Deum illorum eſſe auctorem. Locus autem de bonis manifeſtè loquitur. Deinde ſciendum eſt, perperam converſum fuiſſe à vetere interprete locum iſtum, quamvis ei Tigurini aſtipulentur. Non dicitur enim in Hebræo codice, *Scio enim, quod præcepturus ſit filiis ſuis, &c.* Sed ut Vatablus monet; *Novi enim eum, ut præcipiat filiis ſuis, &c.* Qui ſtatim ſubjungit quædam ſubaudienda: Nequaquam celabo eum, cùm noverim eum juſtum & pium, nequaquam, inquam, celabo eum, ut præcipiat filiis ſuis, &c. Quorum verborum ſententia, longè alia eſt ab ea, quæ ex vulgata editione colligitur, nec cum quæſtione noſtra aliquid commune habet, tantumq; abeſt, ut Dei preſcientia, de qua diſputamus, eo loco ſtabiliatur, ut potiùs labefactetur. Nam, ſi Deus cuncta certò prænoſſet, quid attinebat, eum ex eo, quod jam in Abrahamo erat, ſibiq; erat cognitum, id quod Abrahamus, ſi eum non celâſſet, &c. facturus eſſet, colligere, & quodammodo argumentari? Poſtremò, diligenter con-

ſiderandum eſt, etiamſi in textu non dicatur, Abrahamum Domini verba intellexiſſe, tamen veriſimile eſſe, ut is ea intellexerit; Deuſque, etiamſi dixiſſet, ſe ſcire, Abrahamum ea eſſe facturum, quæ ibi memorantur, tamen ita locutus fuerit, ut Abrahamum interim officii ſui admoneret, & obliqua ſed perquam accommoda & venuſta quâdam ratione eum doceret, quid ſibi ſuiſque faciendum eſſet, ſi ipſius Dei promiſſa conſequi vellent. Denique nulla cauſa eſt, cur Deus dicere non potuerit, ſe ſcire, quid facturus eſſet Abrahamus, etiamſi id certò non prænoverit. Inducitur enim Deus ſæpiſſimè humano more loquens, præſertim cum ea in re nihil eſt periculi. Solent autem homines affimare ſe ea futura ſcire, quæ planè veriſimile eſt futura eſſe, & quorum neceſſariæ cauſæ jam adſunt, licèt illæ, priuſquàm ea fiant, ceſſare poſſint: quemadmodum jam aderat, etiamſi ceſſare poterat, ſumma illa Abrahami pietas: quæ cauſa neceſſaria erat eorum, quæ ibi facturum eſſe Abrahamum (ſi ita libet) Deus affirmavit.

2. *Secundus* locus, qui nullo pacto ſilentio prætereundus videtur, eſt cap. 31. Deut. verſ. 16. & 20. ubi Deus diſertè Moſi prædicit futurum, ut populus ipſo mortuo fornicetur poſt Deos alienos, ſeque derelinquat, & irritum faciat fœdus, quod cum eo pepigerat. Hîc enim de futuris malis ſeu peccatis agitur, quę ideò Deo ita nota fuiſſe affirmare, quia futura omninò decreviſſet, impium prorſus videri debet, præſertim cùm ipſe minetur, ſe propter peccata

peccata illa graviter populum multaturum. Reliquum eſt igitur, ut idcircò ea prænoverit, quia cuncta quæ fiunt, ante cognita habeat. Reſponſio ex his colligi poteſt, quæ modo à nobis diſputata ſunt. Neque enim ideò peccata iſta Deus futura prædixit, quia ea certiſſimè futura nôſſet, ſed quia ſic planè veriſimile erat. Patet hoc ex eo, quòd infra idem Deus rationem reddens, cur ante non ſemel prædixiſſet populum peccaturum eſſe, ſic loquitur: *Nam cognovi figmentum*, (ſive imaginationem ejus) [&] *id quod ipſe facit hodie, antequàm introducam eum in terram, quam juravi* (ſubintellige me daturum illi) ſic enim eſt in Hebræo. Ex eo igitur, quod Deus videbat populum illum, dum ab ipſo Deo pendere planè debuiſſet, à quo videlicet promiſſam terram expectabat, cogitationibus pravis repletum eſſe, & corde ad idololatriam valdè propenſo, quemadmodum facta ipſa jam comprobaverant, colligit futurum, ut multò magis eâ cordis malitiâ ſint præditi, reque ipſa idololatræ evadant, cum jam promiſſam terram adepti fuerint, & jam quod ab ipſo Deo præcipuè expectabant obtinuerint. Nam Moſes quoq; inferiùs ſimili modo colligit & ait, ſe nôſſe contentionem & rebellionem ipſorum, id eſt, eorum ad iſta propenſionem, & quòd ſint duræ cervicis, & ait, ut eſt in Hebræo: *Ecce adhuc me vivente vobiſcum, hodie rebelles fuiſtis cum Jehova, & quantò magis poſt mortem meam?* Ex quo apparet, per hunc quoq; locum, quemadmodum per ſuperiorem, potiùs tolli quàm confir-

Verſ. 21.

Verſ. 27.

confirmari præſcientiam iſtam. Neque enim opus fuiſſet, Deum ratione iſta argumentari, ſi jam, quid illi facturi eſſent, infallibili cognitione prævidiſſet. Adde, quod, ut ſuperiùs dictum eſt, monere potiùs, quàm certò aliquid prædicare voluit Deus; & ſolemus nos, cum puerum ab aliquo errore committendo planè deterrere volumus, illi aſſeverare, ipſum omninò in errorem illum lapſurum eſſe, ut tantò diligentiùs ſibi caveat, ne duplici deinde pudore ſuffundatur, & quòd errorem commiſerit, & quòd licèt præmonitus ſibi non caverit, & in tacita quâdam cum præmonitore concertatione ſuccubuerit.

3. Gen. 15. 13. 14. *Tertium* locum faciemus eum, ubi Deus Abrahamo prædicit futurum, ut ejus poſteri annis quadringentis peregrinentur in terra aliena, affliganturque & ſervitute premantur. *Veruntamen* (inquit) *gentem, cui ſervituri ſunt, ego judicabo*. Jam verò gens iſta omninò peccatura erat, alioqui non dixiſſet Deus, ſe illam judicaturum, id eſt, puniturum. Igitur Deus ipſa peccata prænovit, & conſequenter alia omnia.

V. 24. 26. 28. &c. Reſpondeo, poſſe Deum & ſolere peccatis peccata punire, ut ex 1. cap. epiſt: ad Rom. inter alia ſacra teſtimouia, præcipuè conſtat. Quod ita tamen intelligendum eſt, ut Deus non ſit author culpæ, nec ejus rei unde culpa proficiſcitur, id eſt, malitiæ & perverſæ voluntatis, ſed ipſius facti ſive operationis duntaxat. Potuit igitur Deus (imò id certiſſimum eſſe debet) auctor eſſe ſervitutis & afflictionis populi

populi ſui, ut eâ ratione Ægyptios, ob idololatriam, quâ inter alia ſcelera, præ cæteris populis, ſemper infames fuêre, graviter puniret: non modò quia ipſũ turpiter peccare, ut Ægyptii faciebant, populum illũ innoxiũ affligendo, à cujus majoribus ingentibus beneficiis affecti fuerant, pœna eſt non levis, ſed etiam, ut inde eos eò graviùs puniendi occaſionem nanciſci poſſet: nec verò ipſe Ægyptiis malam illam mentem malumque animum indiderat, unde culpa ejus afflictionis, tanquàm peccati proficiſcebatur, ſed eam in ipſis invenerat, quâ ad judicium iſtud ſuum exequendum, quodammodo abuſus eſt. Itaque mirum eſſe non debet, ſi afflictionem iſtam Deus tanquam certiſſimè futuram, prædicere potuit, non quidẽ ex prænotione quâdam inexplicabili & incomprehenſibili omnium quæ fiunt, ſed ex decreto ſuo. Ubi tamen animadvertendum eſt, decreviſſe quidem ab initio Deum, ut populus ſuus ab una aliqua gente affligeretur, ſed ut ea gens Ægyptii ipſi forent, non ante decreviſſe, quenquam affirmare poſſe, quàm in Ægyptum populus tranſlatus eſt. Cæterùm, ſolere Deum ex eo facto, cujus ipſe ſit auctor, occaſionem quodammodo captare aliquem puniendi, oſtendit locus apud Hierem: cap. 25.11.12. qui huic noſtro eſt perſimilis. Prædicit enim ibi Deus futurum, ut populus ſuus ſerviat populo & regi Babylonio annis 70. deinde addit, ſe poſt 70. illos annos viſitaturum ſuper regem Babylonis & ſuper gentem illam eorum iniquitatem. Et tamen, ut ex omnibus

prophetis perſpicuum eſt, illius ſervitutis auctor erat ipſe Deus, ut populum ſuum caſtigaret. Nam ſi quis dicat, Deum non de iniquitate redigendi in ſervitutem Judaicum populum, ſed de aliis Babyloniorum iniquitatibus viſitandis verba facere, idem dici poterit de loco noſtro, nempe, verbum *Judicabo* non ad afflictionem illam, quâ populum Iſraeliticum Ægyptii preſſuri erant, referendum eſſe & accommodandũ, ſed ad alia Ægyptiorum ſcelera, quibus jam pridẽ commeriti fuiſſent, ut eos Deus puniret, & propter quæ eos dignos judicavit, quorum operâ ad affligendum populum ſuum uteretur. Sed de tota hac materia aliquid explicatiùs infra à nobis diſputabitur. Hæc, quod ad præſens inſtitutum attinet, ſatis erunt.

4. *Quartum* locum illum ſtatuemus 1. Sam. 13.13. unde ex Samuelis verbis conſtat, Deum niſi Saul peccâſſet, ejus regnum ſuper Iſraëlem, in perpetuum ſive in æternum ſtabilitutum fuiſſe. Nam ſi hoc verum eſt, neceſſe omninò eſſe videtur, ut Saulis peccatum multò ante à Deo præviſum fuiſſet, ſiquidem Deus jam inde ab eo tempore, quo Jacob filiis ſuis
Gen. 49. v. 8.9.10. ventura prædixit, aut decreverat, aut certè prænoverat, regnum in tribu Juda, ex qua Saul non erat, conſtituendum eſſe, & ſic neceſſariò à Saule ejuſve poſteris eſſe auferendum, quod tamen factum non fuiſſet, niſi Saul peccâſſet. Prævidet igitur Deus peccata, &c.

Poſſemus ad locum & ratiocinationem iſtã, Vatabli verbis reſpondere, qui ſupradicto loco, ad

cò, ad verbum *perpetuò* ſic annotat, id eſt, longo tempore. Vox Hebræa *Olam* propriè ſignificat tempus, quod eſt intermedium inter duo jubilæa, longo igitur tempore: nam regnum tribui Judæ debebatur. Verùm, quia ſignificatio vocis Hebrææ *Olam* mihi non parùm ſuſpecta eſt, videturque ea vox omninò vel æternum, vel nimis longum tempus ſignificare, idcircò crediderim ego rectiùs dici poſſe, perpetuitatem ſive æternitatem, aliam eſſe abſolutam, aliam verò non abſolutam. Abſolutam vocamus eam, cum aliquid æternum dicitur per ſe, id eſt, nullius alterius rei reſpectu, ut cum vita futura nominatur, quæ nobis promiſſa eſt. Ea enim æterna dicitur, non quidem alterius rei, ſed ſui ipſius tantùm reſpectu. Itaque niſi hyperbole aliqua in verbo ſubſit, intelligendum eſt, cum ejuſmodi æternitas nominatur, rem cui illa tribuitur nunquam omninò defecturam. Non abſolutam autem illam æternitatem vocamus, cum aliquid æternum dicitur non per ſe, ſed alterius rei reſpectu, ut cum, exempli causâ, David pſalmo 145. v. 1. 2. ait, ſe laudaturum nomen Domini in ſempiternum. Reſpicit enim iſta æternitas ipſum Davidem, qui æternus ipſe futurus non erat: & idcircò nihil aliud ſibi vult David, quàm ſe laudaturum nomen Domini, donec vita ſibi ſuppeditaverit, & ſic ſui reſpectu ſemper & perpetuò, donec (inquam) ipſe erit, ut pſal. ſequenti ſcriptum videmus: *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ero.* Alioqui ſi omninò in æternum ſe Pſal. 146. 2.

laudaturum Dominum dicere voluiſſet Dàvid, ſibi ipſi adverſatus fuiſſet, qui Pſal. 115, v. 17. & alibi ait, mortuos Dominum non laudare,& propterea non nunquam,ut Pſal.6. v.5.6. Deum orat, ut ſe ab imminente morte defendat & liberet: *Quoniam*, inquit, *non eſt in morte memoria tui, in inferno quis confitebitur tibi?* Cum igitur Samuel ait, niſi Saul peccâſſet,Deum ejus regnum ſuper Iſraëlem in æternum ſtabiliturum fuiſſe, dicimus, hanc eſſe æternitatem minimè abſolutam: nam ipſius Saulis, & poſteritatis ipſius reſpectu id dicitur, atque idem eſt hoc loco *in æternum*, quod, quàmdiu tu poſteritaſque tua fuerit.Potuiſſet igitur Saul non peccare, & ſic regnum ab ejus familia nunquam auferri, & tamen dari, non ita poſt longum tempus, regnum tribui Judæ, nempe quia Deo ita volente defeciſſet ejus poſteritas. Verùm,propter ejus peccatum factum eſt, ut ipſo adhuc vivente, David in regem unctus fuerit, & ipſo mortuo regnum poſſederit, quamvis ejus poſteritas non defeciſſet, ſed (ut ejus filios qui vel ex concubinis nati erant, vel celeriter poſt ipſius mortem interierant, reticeam) Mephiboſethus ejus nepos ſuperſtes eſſet,qui & diu vixit,nec poſteri ejus unquam defecerunt, ſed in numerum ingentem excreverunt, ut conſtat ex cap.8.&9.
1. Par. 8 34. & ſeq. 9. 40.&ſeq. lib.1.Paralip. ubi iſte Mephiboſethus Meribbaal appellatur. Sed jam ad alia tranſeamus. Quos huc uſq; attulimus & examinavimus locos, ex vetere Teſtamento ſumpſimus, nunc quoſdam paucos ex Teſt.novo proferre liber.

Quinto

Quinto igitur loco Chriſti prædictionem 5.
afferemus, cum Petro ait futurũ, ut antequàm Marc.14.30
gallus cantet bis, ter ipſum neget. Chriſtum enim negare peccatum eſt, & quidem maximum, cujus Deum auctorem facere, ſumma videtur impietas. Itaque neceſſe eſt ut Chriſti prædictio iſta, ex Dei prænotione illa, de qua diſputamus, omninò penderit.

Reſp. peccatum quidẽ eſſe Chriſtum negare, idq; maximum, ſed tamen Petrum propter temeritatem ſuam promeritum fuiſſe, ut in ejuſmodi ſcelus laberetur, & divinâ gratiâ, quâ ab ipſo abſtinere potuiſſet, prorſus deſtitueretur, ex cujus gratiæ ſubtractione, jam a Deo in Perti temeritatis & arrogantiæ pœnam decretâ, unde neceſſariò negatio iſta occaſione oblata conſecuta erat, prædicit illam Chriſtus, non autem ex aliqua alia Dei prænotione: nec alia prætereà re opus fuit, niſi ut occaſio Chriſtum negandi Petro daretur, id quod ipſum Deum curâſſe, id eſt, effeciſſe, ut ab ancilla illa aliiſque interrogaretur, & ex numero diſcipulorum & comitum Chriſti eſſe diceretur, nihil abſurdi continet.

Sextò tanquam locum unum afferre poſſu- 6.
mus prædictiones non paucas, quæ in novo Mat.24.5.
Teſtamento leguntur, de adventu falſorum Marc.13.6. Luc.21.8.
Doctorum & Prophetarum ut ipſius Antichri- Act.20.29.
ſti: quis enim negare poterit, ea quæ de 2.Theſſ.2.3 1.Tim.4.1.
ipſis prædicantur, gravia eſſe peccata & ſum- 2.Tim.3.1.
ma ſcelera? Pro reſponſione conſidera. Deum 1.Petr.2.1. Iud.v.4.
ſolere falſos Prophetas excitare, ut tentet atque exploret ſuos. quemadmodum colligi poteſt

teſt ex iis, quæ ſcripta ſunt Deut. 13. v. 3. id quod propter alias quoque cauſas ipſum facere declarant ſacræ literæ, & Paulus ad Theſſ. ſcribens diſertè ait, Deum iis qui pereunt miſſurum eſſe operationem erroris, ut credant mendacio. Igitur potuit Deus per divinos viros, perque ipſum Chriſtum, adventum falſorum Prophetarum prædicere, non quia id prævidentia inexplicabili pranôſſet, ſed quia ſic futurum decreverat. Quod ſi quis objiciat: in ejuſmodi prædictionibus, non rarò etiam prædictum fuiſſe, multos futuros, qui falſis illis Prophetis fidem adhibeant, jam Paulus, loco quem modo citavimus, pro nobis reſpondet, atque oſtendit, hocipſum Dei conſilio fieri: id quod intelligendum eſt, non quidem, quia Deus ratione quâdã prorſus incomprehenſibili multos futuros anteà noverit qui digni ſint, quibus efficacia illa erroris mittatur; verum quia cùm ejuſmodi homines ij ſint, qui veritati non obediunt, ut ibidẽ Paulus ait, ij verò qui veritati non obediunt, aut peſſimi quidam & perverſi ſint homines, aut ejusmodi, qui nimis negligentes in rebus divinis ſint, quorum ſemper ingens fuit & futurus eſt numerus, certum eſt non defuturos unquam, qui ea punitione Dei ſint digni.

2. Theſſ. 2. 10.11.12.

6. *Septimò*, ad prænotionem iſtam confirmandam videtur afferri poſſe id quod ſcriptum eſt, ad Rom. c. 8. v. 29. 30. de Deo. *Nam quos præſcivit & prædeſtinavit conformes imagini filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinavit, hos & vocavit: & quos vocavit,*

vit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, illos & glorificavit. De quo loco quoniam inferiùs agendum erit diligenter, hîc nihil aliud dicemus, quàm verbum προέγνω quod *præſcivit* reddidit vetus interpres, commodè *elegit* vel *ante elegit* reddi potuiſſe. Nam quod in eâdem epiſtola cap. 11. 2. ſcriptum eſt, *Non repulit Deus plebem ſuam, quam præſcivit*, in Græco eſt προέγνω, id eſt *ante elegit*, & jam pridem plebem ſuam eſſe voluit, Et in Pſal. 1. 6. ſcriptum eſt, Dominum nôſſe viâm juſtorum, id eſt, eligere atque approbare. Porrò verbum γινώσκω, ex quo προγινώσκω, unde προέγνω, decernere ac ſtatuere etiam ſignificat. Nam & apud Latinos verbum *Sciſco*, quod primariâ & antiqua ſua ſignificatione, ſciendi ſeu cognoſcendi ſenſu efferebatur, paſſim pro ſtatuo & decerno uſurpatur. Quocirca προέγνω non incommodè in loco noſtro, antecedens decretum, non autem ſimplicem prænotionẽ declarare poſſet. Cæterùm, quæ ſit loci ſententia, infra explicabitur.

Octavò, diligenter conſiderandum videtur, 8.
id quod ſcriptum 1. Petr. 1. 20. Chriſtum agnum eſſe præcognitũ, ante conſtitutionem mundi: ſive enim ipſum præcogniti nomen, ut quidem nos exiſtimamus, decretum ſignificat, ſive prænotionem declaret, omninò videtur ex Petri verbis colligi, ante conditum mundum jam certum fuiſſe, Chriſtum occidendum & mactandum fore, id quod ex multis aliis ſacrarum literarum teſtimoniis intelligi poſſe non pauci exiſtimant: Atqui Chriſtus ideò mortuus eſt, ut peccata noſtra tolleret: Igitur peccata

peccata noſtra ante mundi conſtitutionem Deo cognita erant.

Reſpondemus primùm, nec à Petro apertè dici, nec fortaſſe alibi legi, ante conditum mundum decretum fuiſſe, ut Chriſtus mactaretur. Petrus quidem nihil aliud affirmat, quã Chriſtum, qui mactatus fuit, ante mundi conſtitutionem præcognitum fuiſſe, quod nos etiam confitemur: ſed non tamen, tanquam mactandum. Deinde dicimus, ſatis ante conditum mundum decretum fuiſſe, ut Chriſtus mactaretur, ſi Deus decrevit, hominibus peccantibus Chriſtum mactandum tradere. Neque enim conditio decretum tollit, & adveniente conditione decretum fuiſſe ſimpliciter dici poteſt. Cùm igitur homines peccaverint, jam ſimpliciter dici poteſt, decretum fuiſſe ante orbem conditum, ut Chriſtus mactaretur, etiamſi ſub ea conditione decretum fuerit, videlicet, ſi homines peccâſſent. Atqui, ſi ſub ea conditione decretum factum eſſet, jam apertè conſtaret; noſtra peccata ante mundi conſtitutionem præviſa non fuiſſe. Itaque nihil ſoliditatis habet argumentatio iſta, ex eo ducta, quòd ante mundum conditum decretũ fuiſſet, ut Chriſtus mactaretur. Cæterùm, quia certum eſt, Deum ante mundum conditum de mittendo Chriſto decreviſſe, ne quis ex eo hominum peccata præviſa fuiſſe colligat, ſciendũ eſt, Chriſtum quidem, poſtquàm homines peccaverant, ad ipſorum peccata delenda veniſſe: ſed venturum tamen fuiſſe, etiamſi homines non peccâſſent. Venturus enim erat,

erat, ad immortalitatem nobis dandam, quâ, ut ſupra viſum eſt, ab ipſo creationis initio, primus homo caruit, quæ immortalitas, cum peccatorum reatu, aut ipſis peccatis, conſiſtere nullo modo poteſt. Propterea meritò dicitur, filium Dei apparuiſſe, ut diſſolveret opera 1. Ioh. 3. 8.
Diaboli, id eſt, peccatorum reatum, ipſaque peccata tolleret. Et hæc ſatis in præſentia eſſe volumus.

Multa alia ſunt teſtimonia ſacra, ex quibus prænotio iſta divina probari poſſe videtur, ad quæ omnia facilè reſpondebit, quiſquis quæ ſupra diſputata ſunt rectè perpenderit atque perceperit. Ex quibus hæ quatuor quaſi regu-
læ colligi poſſunt: Prima eſt. Quòd, ſi teſtimo- 1.
nium loquitur de bonis operibus certò prævi-
ſis, ſine dubio ea Deus ipſe decrevit. Secunda. 2.
Quòd, ſive de bonis, ſive de malis operibus loquatur, fieri poteſt, ut prædictio ſit ex planè veriſimibus tantùm, ob idque non certa, neq;
ex prænotione de qua quærimus. Tertia. 3.
Quòd monitio potiùs, vel boni faciendi, vel
mali vitandi, eſſe poteſt. Quarta. Quòd, ſi 4.
certa mali operis prædictio erit, ipſum quidem opus à Deo decretum fuerit, non autem
cordis malitia. De rebus indifferentibus hîc 5.
non loquitur, quas nemo non videt ideò prædici poſſe, quia decretæ fuerint: ſi quis tamen velit ex hoc quintam regulam conſtituere, poterit.

Refut. Cap. X.

Loci ſacrarum literarum, rationeſque inde deſumtæ, ex quibus Deum quædam prænôſſe conſtet, unde colligi poſſe videatur, eum omnia ſcire antequam fiant, & ad eos reſponſio.

SEct. 1. Prima Prælectoris reſponſio ad teſtimonium ex libri Geneſ. capite 18. v. 17. 18. 19, prolatum non contra ſententiam de præſcientiâ ex eo confirmatam facit, ſed pro eâ, aſſignans veram iſtius etiam præſcientię rationem: etenim ſi factum illud Abrahami, præcipiendi filiis ſuis, à Deo decretum fuit, aderat Deo ſufficiens principium ad cognitionem ejus: actus enim à Deo prædefinitus, evidenter & infallibiliter cognoſcitur ex vi illius prædefinitionis: adverſarius ergo in hac reſponſione ſuâ, non ſtat ex partibus eorum, qui negant, ſed qui defendunt præſcientiam? Hic etiam inter bona & mala diſtinguendum eſſe putat, quod ad Dei præſcientiam: bona à Deo ideo ſæpe poſſe præſciri, quia nihil impedit, quominus Deus certus auctor ſit multorum bonorum. Jam nulla adverſario abſurditas in his, actum eſſe bonum & ſimul præſcitum & decretum eſſe, quod hîc enuntiat, Deum illius auctorem eſſe: quod ſi verò actus, cujus Deus auctor & præſcius, poteſt nihilominus eſſe bonus, nihil impedit ſanè multa ad ſalutem ſpectantia, prius à Deo decreta & præſcita eſſe, cujus oppoſitum ſuis auditoribus

auditoribus Prælector hactenus inculcavit: neque etiam per decreta & præſcientiam Dei, virtuti & præmio locus adimitur, nt ſupra *cap. 7. prælegitur ſect.* 2. cum præordinata & præſcita actio bona eſſe poſſit, actio verò bona de quâ hic agitur, veræ virtutis, Dei judicio laudabilis & ad negotium æternæ ſalutis ſpectans. Deinde velim doceri quid impediat Deum omnium bonorum certum authorem eſſe, cum multorum eſſe poſſit, ratio enim ſolida pro diſparilitate non invenitur.

Secunda Socini ad hoc teſtimonium reſponſio eſt, locum iſtum à vetere interprete perperam converſum eſſe. Verba Hebræi codicis variè redduntur ab interpretibus, vocem Hebræi codicis *lemagan* alii exponunt per ut, in quo ſenſu vim cauſæ finalis habet; alij per propterea, & ſic vim cauſæ προηγουμένης habet ac ſi dixiſſet Deus, *non celabo eum, quia præcipiet filiis ſuis*: ita Franciſcus Vatablus, vocem illam interpretatione ſuâ reddidit, ut & verſio interlineata habet: alii per *quod* ita Chaldæus, Mercerus etiam per *quod* exponit, referens id tum ad juſtitiam Abrahami, tum ad hunc juſtitiæ actum; quo filiis & nepotibus ſuis, Dei cultum præciperet. Vatablus in annotationibus ſuis, ad locum, per vim cauſæ finalis *lemagan* exponit: ſic enim ait: *Novi enim eum ut præcipiat*, id eſt novi eum eſſe hominem pium juſtum ac docilem, non inquam celabo eum; ſequitur ratio ut præcipiat; ſed veterem interpretem cenſura dignum non cenſuit cum Socino, nam ſubdit alii vertunt, *novi enim eum quod*

Moventis.

P *præce-*

præcepturus eſt &c. & eſt ſecunda ratio, cur ſui conſilij participem facere velit, quia non fruſtra nec inutiliter facturum præviderat, ſed fideliter boni patrisfamilias officio functurum in ſuis docendis. Itaque nudam ſuam aſſertionem attulit Socinus pro demonſtratione in caſtigando vetere interprete.

Sic cum reſponderit ad hoc teſtimonium, & rationes à ſe pro præſcientiâ divinâ allatas, actoris ſibi partes ſumit, & ſententiam de præſcientiâ, ex hoc ipſo loco refellere aggreditur. Primò ait *ſi Deus cuncta certò pranoſſet, quid attinebat, eum ex eo, quod jam in Abrahamo erat, ſibique erat cognitum, id quod Abrahamus ſi eum non celaſſet & facturus eſſet, colligere & quodammodo argumentari.* Pro ſolutione eſt primum, ex translatione Vatabli per cauſam finalem, iſtiuſmodi ratiocinationem nullo modo colligi, cum dico non celabo ut præcipiat filiis ſuis, finis, non eventus indicatur; cum dico quod præcipiet, eventus indicatur. 2. Si Deus ex eo, quod in Abrahamo erat ſciebat Abrahamum præcepturum filiis ſuis, quemadmodum habet hæc argumentatio Prælector. Utique prænovit Deus, quod Abrahamus facturus ac proinde non efficitur ex eo, Deum cuncta non prænôſſe certo, ſed potius certò prænôſſe: novit enim res non tantùm in ſeipſis Deus, ſed & in cauſis ſuis, & res prout in ſe ſunt & inter ſe ordinatæ, ita etiam in intellectu & ſcientiâ divinâ repræſentantur, cum veritas cognitionis, nihil aliud ſit, quàm intellectus & rei intellectę conformitas. 3. In contextu verborum, ſcientia probi-

probitatis Abrahami non ponitur ut cauſa & ratio ſcientiæ ejus, quâ ſciebat Deus Abrahamum præcepturum filiis ſuis, ſed tantùm utraque affirmatur, ita tamen ut una non ponatur, ut ratio illativa alterius. 4. Dato Deum ex eo, quod erat in Abràhamo, humanitus loquendo collegiſſe, præcepturum filiis ſuis, ut viam Domini cuſtodirent, non ſequitur tamen eam Dei ſcientiam, quâ ſibi Abrahamum probè notum & planè perſpectum habebat, unicam & ſolam iſtius præſcientię certam & ſufficientem rationem eſſe; conſequenter ex hoc non efficitur, in Deo eam prænotionem non fuiſſe, antequam Abrahami juſtitia & pietas extaret, nihilo magis hoc inde efficitur, quàm ex eo quod Deus ex immolatione Iſaaci dicitur cognoviſſe, Abrahamum ſui timentem eſſe, quod manifeſtâ falſitate laborare, vel ex hoc loco apparere poteſt, in quo quemadmodum adverſarius contendit, dicit Deus, ſe noviſſe Abrahamum juſtum ac pium eſſe. Animadvertendum etiam eſt, Abrahami timorem, qui cognoſcebatur ex immolatione filij, non rem futuram fuiſſe, ſed præſentem; ac proinde ex confeſſione adverſarij, Deo prius certò cognitam, cum omnia præſentia & præterita Deo certò cognita eſſe concedat. Explorat & probat ſuos Deus per afflictiones 2. Cor. 8. v. 2. Jacob. 1. v. 3. 1. Pet. 1. v. 7, ante explorationem tamen ejuſmodi, arcana cordis Deo ſunt perſpectiſſima. Sic cum dicit Dominus Gen. 18. v. 20, *clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggravatum*

eſt nimis deſcendam & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me opere compleverint: annon eſt ita ut ſciam. Ex eo Dei examine & inquiſitione, nemò rectè intulerit, Deum ignarum fuiſſe ſcelerum, quæ erant à Sodomitis perpetrata.

Secundò ait, Deum ita locutum, *ut Abrahamum interim officij ſui admoneret, & obliquâ ſed perquàm accommodâ & venuſtâ quadam ratione eum doceret, quid ſibi ſuiſque faciendum eßet.* Verùm verba non admonitionem ſed prædictionem præ ſe ferunt; & quamquam Abrahamo ea verba ſtimulus eſſe potuerunt, ad officium ſuum cum alacritate peragendum, prædictionẽ certam ex infallibli præſcientiâ promanantem, hæc verba propterea non arguere minimè inde confirmatur: ratio eſt, quia præſcire officium & officij admonere non ſunt diſſentanea, ſed conſentanea. Probatur, actus poteſt eſſe bonus, & tamen præſcitus, ut habet prima adverſarij reſponſio ad hoc teſtimoniũ: Hoc conceſſo ita progredior; quod bonum eſt cadit ſub præceptum, in eo autem quod ſub præceptum cadit, admonitio ſuũ uſum habet, nihil impedit ergo actum præſcitum ſub admonitionem cadere, quod à me veriſſimè dici, docere nos poteſt locus 2. Sam. 7, ubi legitur *Davidem precibus ardentibus efflagitâſſe à Domino complementum promiſſionum divinarum per Nathanem illi ſignificatarum* v. 25. 26. 27. 28. 29. Vides ut promiſſiones & divinæ prædictiones, Davidem officij ſui admonuerint, & ad id obeundum maximo cum zelo impulerint. Chriſtus non ſemel Apoſtolos officij ſui admo-

admonuit, ſimul ex infallibili ſcientiâ prædicens illos id ipſum executuros Luc. 24.46.47.48.49. Actor. 1. 8.

Nondum manum de tabulâ tollit *nullam cauſam ſcribit eſſe, cur Deus dicere non potuerit ſe ſcire, quid facturus eſſet Abrahamus, etiamſi id rectè non prænoverit. Inducitur enim inquit Deus ſæpiſſimè humano more loquens.* Contra dico cauſam magnam eſſe, quia id poneret magnam in Deo imperfectionem & Deus inducitur, ignorantiis ac defectibus humanis ſubjectus, & conjecturalis in Deo ſcientia ſtatueretur. Etſi verò verum ſit, Deum ſæpiſſimè induci humano more loquentem, nunquam tamen hominibus aſſimilatur revera in prędictionibus ex veriſimilibus: probatur, quia ejuſmodi ſcientia & prædictio conjecturalis, errori valde obnoxia: & divinæ prædictiones nunquam falluntur: humanæ prædictiones, quia conjectura adhibetur, aut nullos ſæpe, aut contrarios exitus habent. Deinde prædictiones ex veriſimilibus fiunt cum formidine oppoſiti, talis autem formidinis & dubiæ anxietatis veſtigia, nec ſigna ulla, in divinis prædictionibus apparent uſquam.

Eſt & aliud inſigne præſcientiæ argumentum, in teſtimonio Moſaico, quod ſub manibns habemus, Abrahamus dicitur futurus in gentem magnam & robuſtiſſimam, & quod benedicendæ in illo omnes nationes terræ, quibns verbis prædicitur ſpiritualis generatio gentiū ex Deo, per converſionem ad Deum & obedientiam fidei, & ex eâ juſtificatio & ſalus; quod

quod confirmatur clariſſimâ authoritate Pauli ad Rom. 4. v. 16. 17. Gal. 3. v. 8. Et hæc erant talia ut voluntatem gentium requirerent.

Sect. 2. Ad locum Deuter. cap. 31. eadem fere ratione reſpondet, quemadmodum ad teſtimonium prius. Primò excipit *Deum ideo peccata iſta futura prædixiſſe quia ea certiſſimè futura nôſſet, ſed quia ſic planè veriſimile erat*, ſed jam ad iſtam exceptionem ſatis me reſpondiſſe arbitror: vir prudens & cordatus, ſummâ cum πληροφορίᾳ non affirmat quæ ſibi tantum veriſimilia videntur: hæc prædictio ſummâ cum πληροφορίᾳ enuntiatur. *Ecce inquit ita dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens, fornicabitur poſt Deos alienos.* Tum affirmativæ locutiones dubitantis aut conjicientis voces eſſe non poſſunt, niſi morbo temeritatis laboret.

Persuaſione

Prædictionem hanc tamen ex veriſimilibus procedere probat ex v. 21. hujus cap. quem citat, quia ex propenſione ad idololatriam quę Iſraelitis jurat, factis jam comprobata, colligit futurum Deus, idololatras futuros, cum terram promiſſam fuerint adepti. Simili modo Moſen etiam inferius collegiſſe ſcribit: ita putat hîc etiam potius tolli quàm confirmari præſcientiam. Pro ſolutione animadvertendum eſt. 1. Poteſt certa eſſe prædictio eorum quę ex certis principiis colliguntur; minimè ſequitur prædictionem idololatrię veriſimilem tantùm, quia colligitur ex idololatrico corde: poterat enim vel ex Socini ſententiâ, hoc idololatricum cor, cauſa neceſſaria eſſe idololatriæ:

nam

nam quemadmodum pietas Abrahami erat cauſa neceſſaria eorum,quæ facturus Abrahamus, ut ſupra audivimus, ita Iſraelitarum impietas,cauſa neceſſaria cultus idololatrici;iſtã verò impietatem ceſſare potuiſſe, ne quidem ex ſuis principiis affirmare poteſt Socin. cum admittat indurationem & excæcationem ob peccatum ex juſto Dei judicio. cap. 14. Prælect. non ergo ex hac collectione evincitur, prædictionem tantùm eſſe ex veriſimilibus, quod Socinus hîc actoris partes ſumens, demonſtrandum ſuſceperat. 2. Dato hanc rationem prædictionis eſſe,eam non veriſimilem, ſed certiſſimum prædictionis fundamentum eſſe dico, quia certa prædictio,qualis & divina omnis, ut jam oſtendi, non poteſt ex principio dubio & probabili tantummodo deduci. 3. Solutio ſit quarta ad antecedens data. 4. Cum Deus ita loquebatur Moſi, infallibili cognitione prævidebat, fornicaturos Iſraelitas poſt Deos alienos,niſi enim prævidiſſet ita locutus non fuiſſet: nec opus fuit,ut Deus eâ ratione ad ſui inſtructionem uteretur ut Socinus opinatur, ſed Moſi aliorum causâ id teſtatum eſſe oportuit. 5. Infallibili cognitione Paulus prævidebat ſervandos fideles per vitam Chriſti, & tamen iſta colectio non erat inanis, quâ ex reconciliatione noſtrâ per mortem ejus, id ipſum colligebat & demonſtrabat. Rom. 5. v. 10. Eadem infallibili cognitione providebat Paulus, cum Chriſto Deum nobis omnia gratificaturum; attamen ſupervacua non erat illa argumentatio Pauli, quâ idipſum, ex eo

quod proprio Filio non pepercerat, concludebat.

Jam quod ad Moſis in eodem argumento ratiocinationem attinet, dico aliam eſſe rationem prædictionum, quæ ex induſtriâ & ſagacitate ingenii ab hominibus proferuntur, aliam divinarum. 2. Vel dici poteſt Moſen per inſtinctum & ſuggeſtionem Spiritus Sancti ſic ratiocinatum, & ſic non conjecturalis, ſed infallibilis prædictio erit.

Poſtremò ait *monere potius, quã certò aliquid prædicere voluit*. At cum ex verbis judicanda ſit mens loquentis, non monentẽ ſed prædicentẽ Deum judicabimus; nã aut ſemper ſic excipere licebit, quotieſcunq; de futuris peccatis loquitur Deus, aut vana & eluſoria exceptio: poſito enim Deum voluiſſe prædicere, verbis magis appoſitis, id ſignificare non potuit, quàm ab eo hic indicatum eſt. Deinde cum monendo quiſpiam adhortatur ut fiat aliquid, aut dehortatur ne fiat; res ſæpe eventum monitioni contrarium ſortitur; at cum exactus & mirificus ſemper conſenſus ſit inter Dei prædictiones & eventus, non convenit prædictiones divinas in admonitiones transformare, magiſter ſpeculationis Socinus ita progrediens ex Prophetis levi operâ meros parajectas cuderet. In humanis quidem quandoque ita obtinet, ut cum aliquem ab errore committendo planè deterrere volumus, illi aſſeverare, ipſum omnino in errorem illum lapſurum eſſe; ſed in hujuſmodi locutionibus humanis manifeſtum eſt non prædictionem certam, ſed commonitionem

nem tantummodo intendi; ac propterea divinarum prædictionum ad iſtjuſmodi humanas commonitiones inepta comparatio eſt.

Sect. 3. Tertio loco objecit ſibi illuſtrem locum Gen. 15. v. 13. &c. ad quem varia movet. Primò probat illud Theologorum, *poſse Deum & ſolere peccatis peccata punire*, quod tamen malè intelligendum tantùm vult de actu externo peccati, non de internâ malitiâ & perverſitate voluntatis; cum tamen tam interna mentis & voluntatis perverſitas, pœna ſit & eſſe poſſit antecedentium peccatorũ: quàm actus operis externi, quod probatur ex judiciis divinis, quæ in ipſis impiorum animis exercet puta indurationis, excæcationis, traditionis in cupiditates cordium & mentem reprobam, ut in ſacris varia ejus rei exempla & teſtimonia habemus; in quâ doctrinâ rectè & ſanctè ex Dei verbo explicatâ facilè acquieſcent ii, qui ſenſus ingenii ſui eidem verbo ſubactos habent: neque hujus Theologici axiomatis explicatio difficilior eſt in internis mentis & voluntatis, quàm in externis actionibus; quę etiam tam culpæ expertem præſtare poteſt Deum, in internis, quàm in ipſis externis factis. Deinde admiſſa hæc diſtinctio peccatorum, quod ad rationem pœnæ, nihil virium adfert contra probationem præſcientiæ, ex hoc loco, niſi falſus judicii ſim. Afflictionem & ſervitutem à Deo ordinatam & decretam eſſe in pœnam idololatriæ & aliorum ſcelerum Ægyptiacæ gentis ſtatuit, & ita à Deo præcognitam fuiſſe: pœnæ etiam graviſſimæ Ægyptios jam tum ex certo Dei

judicio manebant, ut eſt in textu: *gentem cui ſervierint ego judicabo*, & ex Dei ordinatione ſecundum ſententiam Prælectoris; ita Ægyptij Dei populum afflixerunt, ut inde eos gravius puniendi occaſionem nanſciſi poſſet. Ex hiſce ſic argumentor. Si præordinatæ & pręſcitæ pœnę Ægyptiorum: ſi præordinata & præſcita afflictio & ſervitus populi, neceſſe planè præcognita fuiſſe Deo peccata, ob quæ ante quadringentos annos, tum pœnas illas tum afflictionem & ſervitutem præordinaverat. Neceſſe etiam, illi præcognitam fuiſſe perverſam Ægyptiorum indolem, quâ populum aliquando affligerent: qui inquam pœnam præſcit & præordinat, peccata quoq; præſcit, ſi nondum ſint: qui præordinat & præſcit opus malum, ille quoque malum animum, ſi nondum ſit, neceſſariò præcognoſcit. Dices idololatriam & alia ſcelera, jamtum, cùm hæc fieret prædictio, graſſata inter Ægyptios: ſed hoc argumentum factum non debilitat: pœna pręordinata & præſcita, non reſpexit tantùm ad peccata, quæ jam tum erant, ſed & ad ea quæ forent: noſſe autem peccata, quâ futura ſunt eſt præcognoſcere. Ad futura peccata etiam reſpexiſſe patet, quia Ægyptij illi, qui circa annum quadringenteſimum, idololatrica & ſcelerata gens eſſent, nondum erant nati, cum hoc prædiceret Deus. Et qui populum ſupra modum erant afflicturi, non erant jam tum maligni, cum nondum eſſent. Cæterum etiamſi jam tum exſtitiſſent Ægyptij, & revera omnes idololatræ & perverſi jam tum fuiſſent,

quos

quos pœnis atrocibus , cum populum ejus, tam durâ ſervitute preſſiſſent, afflixit Deus, nihilominus tamen neceſſe Deo conſtitiſſe, pertinaciter in idololatriæ ſordibus, & voluntatis iniquitate perſeveraturos, per tot annorum decurſus; nam alioquin pœnas non præordinâſſet Deus , niſi perſeveraturos vidiſſet in ſceleribus : nec afflictionem tam diaturnam præordinâſſet, niſi & diuturnam, fore & continuam perverſitatem optimè antea perſpectum habuiſſet. Itaque ut concludam dico , ſive perverſa voluntas habeat rationem pœnæ , ſive non, & ſive certa fuerit ex decreto juſtitiæ punientis, ſive ſecus, ad hanc de præſcientiâ controverſiam non facit; cum ex præordinatâ & præſcitâ afflictione , apodicticè inferatur, perverſam voluntatem Deo præcognitam fuiſſe, quod hic ſatis eſt.

Audiamus aliud , *dicit decreviſſe quidem ab initio Deum, ut populus ſuus ab unâ aliquâ gente affligeretur , ſed ut ea gens Ægyptij ipſi forent, non ante decreviſſe , quemquam affirmare poſſe, quàm in Ægyptum populus tranſlatus eſt.* Totũ hoc ſi concederetur, nihil proficeret adverſarius; ſit ita, hoc tamen manebit intactum & inconcuſſum , poſito à Deo præordinatum fuiſſe ut populus ſuus ab unâ aliquâ gente, & individuo vago affligeretur , præſcitum à Deo fuiſſe, peccaturam illam gentem & malignam fore, quod ſufficit ad juſtum robur argumenti pro præſcientiâ facti. Deinde ut & hanc reſponſionem falſi convincam , quamquam ut oſtendi , non eſt neceſſe ad præſens argumentum;

tum; dico planè ineptum eſſe & abſurdum, judicem pœnam decernere, & neſcire cui, hoccine poteſt in Deum ſapientiſſimum cadere? Secundò nec illud admitti poteſt, ſcire Deum fore ſceleratos & malos, & neſcire quinam ſint futuri; nulla enim poteſt excogitari ratio, propter quam credamus, Deum hoc prius ſcire, ſi neſciat poſterius. Deinde non condit Deus humano more ſucceſſiva decreta: *Nam nota ſunt Deo, ab omni ævo opera ipſius*: hæc ergo audax aſſeveratio non unius aſſis: ubi quæſo Scriptura indicavit, aliquamdiu neſcium eſſe Deum, quænam gens judicia ſua executura eſſet, ejus rei incertum fuiſſe diu multumque: aut Deum decreto deciſorio tum temporis ſe iſtâ fluctuatione mentis expediviſſe, cum populus in Ægyptum tranſlatus eſt.

Subdit *ſolere Deum ex eo facto, cujus ipſe ſit auctor, occaſionem quodammodo captare aliquem puniendi, ad quod profertur ab ipſo locus Hierem cap.* 25. At & hoc ἀπροσδιόνυσον· nihil enim facit ad infirmandum argumentum pro præſcientiâ ex hoc loco. Ejuſdem farinæ & illud *verbum judicabo, non ad afflictionem, quâ populum Iſraeliticum Ægyptij preſſuri erant, referendum eſſe & accommodandum, ſed ad alia Ægyptionum ſcelera*; nam eſto afflictionem illam, non eſſe cauſam iſtius judicij meritoriam, firmum manet nihilominus, Deo peccata iſtius judicij meritoria præcognita fuiſſe. Secundò dico falſum eſſe, pœnas ab Ægyptiis non exactas, quia Iſraelitas tam graviter afflixerant; ubi enim liberationis Iſraelitarum mentio fit & pœ-

Nihil ad rē faciens.

& pœnarum Pharaonis & Ægyptiorum, hujus afflictionis diſerta mentio fit, Exod. 2. v. 23. 24. & alibi. Quinimo cum in hoc teſtimonio dicitur, *gentem cui ſervituri ſunt, ego judicabo,* profecto cauſa judicij, ſervitus & afflictio indicatur, quid enim aliud hæc verba nobis ſuggerunt, quàm id quod Apoſtolus Paulus in ſimili causâ ſcripſit. 2. Theſſ. 1. v. 5. Quoties Dominus pœnam exegit de perſecutoribus, propter ipſas etiam perſecutiones exigere, nemo hactenus dubitavit: ita non niſi errando dici poteſt, ſervitutem illam quâ populus Iſrael regibus Babyloniæ miſerè ſubjectus fuit, judicia Dei ſeveriſſima in eoſdem non provocâſſe, cum hoc ipſum diſertè ſcriptum ſit. Hierem. cap. 50. v. 17. 18. & v. 33. 34.

Sect. 4. Quartum locum ſibi ſtatuit 1. Sam. 13. v. 13, verum non puto eſſe quod propter hunc locum dicam illi ſcribam. Et hæc quidem ſunt loca, quæ illi ex veteri inſtrumento proferre placuit, ſunt tamen & alia quàm plurima, quæ in hac causâ fortiſſima & invicta. Loca illa, quæ Judæorum rejectionem & Gentium vocationem prædicunt, totidem hujus præſcientiæ argumenta ſunt. Pſalm. 2. v. 8. Pſalm. 22. 28. Pſalm. 29. 1. 2. Pſalm. 45. 13. Pſalm. 47. 8. 9. Pſalm. 68. 32. Pſalm. 102. 23. Hoſe. 1. 10. Hoſ. 2. 23. Joel. 2. 28. Amos 9. 11. Mich. 4. 1. Eſaie. 1. 9. Eſaie. 5. 6. Eſaie. 6. 10. Hęc utramque paginam in ſcriptis V. Teſtam. faciunt. Totum cap. Gen. 49, præſcientiæ inſigne documentum eſt: iſtæ enim prophetiæ peccato-

peccatorum internorum prædictiones inter alia continent: pœnarum & maledictionis propter peccata ibi fit mentio, præordinatio autem & præſcientia pœnarum neceſſariò ſupponit aut includit præſcientiam culparum, ſi nondum ſint contractæ: vaticinatur Jacob de rebus ſingulis & univerſo ſtatu, non tam filiorum, quàm 12. tribuum, aut ſaltem non ſolùm. Ita Eſa. cap. 13. cap. 15. cap. 17. cap. 18. cap. 19. cap. 20. & 22. 23. prænuntiantur plagæ & pœnæ divinæ populis & gentibus impendentes & ſuperventuræ; iſtarum autem pœnarum prænuntiatio comprehendit in ſe non tantùm ſcientiam peccatorum jam perpetratorum, ſed & in poſterum perpetrandorum: nam per ſupervenientem peccatis reſipiſcentiam pœnæ avertuntur; quapropter pœnarum denuntiatio continuati peccati pertinaciam ſupponit. Nulla etiam exceptione ſolidâ retundi poteſt, probatio ducta pro hac Dei præſcientiâ, ex nobiliſſimis illis Prophetiis Danielis cap. 2. 7. 8. 9. 10. 11. capitib. Iſta profectò in extremas anguſtias conjiciunt præſcientiæ oppugnatores, quæ ſole meridiano clarius nobis conſpicienda exhibetur, in collatione paſſionum Chriſti cum Prophetiis, de iis, priſcis temporibus factis. Quid enim illa Tragœdia paſſionis nobis ob oculos ponit, quàm ſummam malitiam & impietatem gentis Judaicæ à Prophetis prænuntiatam.

Sect. 5. Miſſis igitur locis Veteris Teſtamenti; ex Novo Teſtamento primò profert prædictionem illam, quâ Petro lapſum & fu-

turam ſui abnegationem prædixit Dominus. Ad hoc reſpondet non negans Dei præſcientiam, ſed cauſam & fundamentum ejus aſſignans, pro ſententiâ ergo de præſcientiâ non contra eam facit reſponſio. 2. Omne quod fit, fit ſecundum determinatã ordinationem providentiæ divinæ antecedaneam ut ſupra oſtendi cap. 7. in quâ & ex vi cujus, quicquid fit, a Deo præcognoſci poteſt, & quemadmodum talis fuit ratio providentiæ divinæ circa labentem Petrum, ut ternaria ejus abnegatio, & omnia quæ ad eam efficiendam & occaſionandam concurrerent præſciri potuerint, & præſcita ſint: ſic omnis divina providentia ita ſe habet, ut in diſpoſitione ejus, omnis actio humana præcognoſci poſſit, ut poteſt colligi ex locis illis, in quibus de diſpoſitione providentiæ divinæ circa malum expreſſè agitur. 3. Ex hac reſponſione colligitur ἀσύστοιχα non eſſe, actum infallibiliter à Deo præſcitum eſſe, & eundem à libero arbitrio committi, virtuoſum aut vitioſum eſſe, præmio & pœnâ dignũ ſub præceptum & admonitionem cadere. 3. Si Petrus, divinâ gratiâ, quâ ab hoc peccato abſtinere potuiſſet, proſus fuit deſtitutus, tum non tantùm ore abnegatio, ſed & voluntate & corde neceſſariò commiſſa fuit; ac proinde non tantùm abnegatio oralis, ſed & voluntatis induit rationem pœnæ; conſequenter ſcitum illud Theologicum, *Deum peccata peccatis punire*, tam cordis & voluntatis opus immanens & elicitum, quàm actus externos corporis, à voluntate imperatos reſpicit, cujus oppoſitum

Conſociabilia eſſe.

poſitum tamen in reſponſione ad tertium locum hujus cap. auditoribus ſuis inculcavit. 4. Etſi non prius dominus Petro prædixit lapſum, quàm Petrus eſſet temerarius, tenendum tamen non ſcitam tántûm, ſed & præſcitam fuiſſe Petri temeritatem, antequam Petrus temerarius, imò antequam in rerum naturâ eſſet; quod rationabiliter colligitur ex eo, quia proditio malitioſa Judæ ſic cognita fuit, ut ſcriptum eſt Pſalm. 41. v. 10. Act. 1. v. 16. Hoc dictat profecto identitas rationis, quæ eſt in utroque ſcibili. Dicit prædictionem illam ortam ex decretâ gratiæ ſubſtractione; non autem ex aliquâ aliâ Dei prænotione; non nego; ſufficit, ad quæſtionem controverſam, pro nobis concludendam, Deum ſic eſſe pręſcium, etſi non ſit præſcius, ex aliquâ aliâ prænotione: neque ſanè qui præſcientiam tenent ullam aliam concipiunt, quàm rebus ut erunt in ſe, & in æternâ Dei diſpoſitione ſunt, congruam, etſi multa, magno molimine diſputentur in aſſignando fundamento & modo infallibilis præſcientiæ in omnibus, circa quod variant & ſudant ſcholaſtici, quod hîc notâſſe videtur pręlector per verba illa, *non ex aliquâ aliâ Dei prænotione*. Ad quod hoc tantũ hoc loco dicam, quidquid ſit de illâ aliâ Dei prænotione, quæ non fundatur in decreto divino, cogi Prælectorem eam admittere, cum hactenus oſtendere rem nî fallor, etiam ex ipſius hypotheſibus, admittendam pręſcientiam earum rerum, circa quas non admittit decretum aliquod divinum, ex quo ſufficiens ratio iſtius præſcientiæ deſumi poſſet.

Sect. 6. Nubem teſtimoniorum congerit, quâ prorſus oppreſſus, in caſſes inexplicabiles ſe induit. Reſpondens aut cauſam deſerit, & pro præſcientiâ dicit, aut arundines pro haſtis amentatis affert. Deum ſolere falſos Prophetas excitarę, tum ad tentandos & explorandos ſuos; tum propter alias quoque cauſas à Paulo 2. ad Theſſalon. 2. explicatas. At nihil hoc ad rem, nihil contra nos, οὐδεὶς hic λόγος eſt. Pergamus, potuit inquit Deus per divinos viros, perque ipſum Chriſtum, adventum falſorum Prophetarum prædicere, non quia id prævidentiâ inexplicabili prænôſſet, ſed quia ſic futurum decreverat. Hîc prævidentiam & decretum inter ſe committit. Quaſi præſcientia ex decreto non ſit τὸ κρινόμενον, cum tamen ipſe hanc diſputationem aggrediens, agendum ſibi ſumſerit, contra pręſcientiam infallibilem, ſive ex decreto, ſive aliunde proficiſcentem: videatur initium cap. 8. Prælect. & vera eſſe quæ dico lector fatebitur. Nodum ergo hoc non tangit, quod Deus falſorum Prophetarum adventum, non prædixit ex providentiâ inexplicabili, ut loquitur Prælector, hoc eſt in decreto non fundatâ. 2. Solutio reſponſionis ſit ſecunda ad antecedens teſtimonium. 3. Si falſorum doctorum & Prophetarum adventus, nondum etiam natorum & exiſtentium præſciri & prædici potuit, quid quæſo dari poteſt, quod infinitas divinæ præſcientiæ attingere non poſſit: & ſi præſciri poteſt peccatum falſi doctoris, ex vi decreti divini, quod non habet rationem pœnę ex mente prelectoris, reſpectu

Nihil hoc eſt.

Quod in quæſtione.

ejus qui perpetrat, quid tandē erit quod præſcire, & de quo ita ſtatuere ante non poſſit, abſq; ullo incommodo ut prę̨ſciat. Prę̨ſciri autem peccatum falſi doctoris, ex vi decreti, quâ prædicitur ejus adventus, quà talis, quod non habet rationē pœnæ ex mente ejus, patet; nam falſitas doctoris, aut prædicitur & decernitur ut pœnę rationem imbibens; aut ſecus: ſi prius dicatur, tum prædictio& decretum tale, ſupponit aliud peccatū, ut cauſam meritoriam præcognitam, de quo rurſum inquiritur, an pœnæ rationem habeat & ſic neceſſariò tandem devenitur ad peccatum aliquod præcognitum, quod non prędicitur, nec decernitur ſub ratione pœnæ. Sin poſterius dicatur habemus etiā quod intendimus. Cæterum quod ſi totū hoc negotium falſorum doctorum & Prophetarū, ut ipſius Antichriſti, pendere arbitratur ab ordine & diſpoſitione providentiæ & præſcientiæ divinæ, quia conducit ad exercenda judicia vindicatricis juſtitiæ, ſuoſque tentandos & explorandos, alioſque fines, quod in theſauris multiformis ſuę ſapientię reconditos habet Deus; ſcire debebat, nulla peccata eſſe, circa quæ providentia divina occupari non poſſit, in ſimilēs uſus & exercitium judiciorum gloriæ ſapientiæ, bonitatis, miſericordiæ, longanimitatis juſtitiæ, &reliquarum proprietatum, convenientium, & circa quæ ſe juxta doctrinam Script. ſacræ, & dictamen rationis ex eâ informatæ, ſic non explicet.

Poſt hanc reſponſionem, quam auditoribus ſuis, ponderandam dedit, objectionem ſibi formare,

t, quam parum fœliciter disjicit. Ob-
eſt hæc. *In ejuſmodi prædictionibus, non ra-*
m prædictum fuiſſe, multos futuros, qui fal-
s Prophetis fidem adhiberent. Reſponſio
c ipſum Dei conſilio fieri: ſed cum hoc
ilium ſit deliberatum propoſitum, de in-
ndâ pœnâ, præſcientiam peccatoris iſtâ
â digni, & peccati pœnæ meritorij requi-
Quæro ergo ulterius de hac præſcientiâ,
ad illud conſilium de pœnâ requiritur.
it conſilij fundamentũ non eſſe, *quia Deus*
one quadam prorſus incomprehenſibili, multos
uros antea noverit, qui digni ſint, quibus effica-
illa erroris mittatur. Quodnam ergo? Audi-
nus, *quia inquit, ingens ſemper fuit & futurus*
numerus hominum veritati non obedientium,
ales ſunt peſſimi perverſi, qui nimis negligentes
rebus divinis. At mi homo, pœnam Deus con-
lio ſuo non ordinat, quia ſunt futuri pœnâ di-
ni; ſed quia novit futuros pœnâ dignos: ra-
ionem enim conſilij eſſe, id quod ab intelle-
ctu non apprehenditur, nec cognoſcitur, eſt
impoſſibile. Deinde, ſi certum ut nos docet,
non defuturos unquam, qui eâ punitione digni
forent: quæro, quomodo id à Deo non præſci-
tum, cum firmiſſima conſequentia ſit, à certi-
tudine rei ad certitudinem præſcientiæ divi-
næ; quam conſequentiam admittit Prælector
ſect. 4. cap. 8. Inſtet quis adhuc, certum id
quidem eſſe Deo non defuturos unquam, qui
eâ punitione Dei digni ſint, non ex beneficio
præſcientiæ alicujus propriæ & Deo peculia-
ris, quam verbis illis, ratione quadam prorſus

ejus qui perpetrat, quid tandẽ erit quod præſcire, & de quo ita ſtatuere ante non poſſit, abſq; ullo incommodo ut prȩſciat. Prȩſciri autem peccatum falſi doctoris, ex vi decreti, quâ prædicitur ejus adventus, quà talis, quod non habet rationẽ pœnæ ex mente ejus, patet; nam falſitas doctoris, aut prædicitur & decernitur ut pœnȩ rationem imbibens; aut ſecus: ſi prius dicatur, tum prædictio & decretum tale, ſupponit aliud peccatũ, ut cauſam meritoriam præcognitam, de quo rurſum inquiritur, an pœnæ rationem habeat & ſic neceſſariò tandem devenitur ad peccatum aliquod præcognitum, quod non prȩdicitur, nec decernitur ſub ratione pœnæ. Sin poſterius dicatur habemus etiã quod intendimus. Cæterum quod ſi totũ hoc negotium falſorum doctorum & Prophetarũ, ut ipſius Antichriſti, pendere arbitratur ab ordine & diſpoſitione providentiæ & præſcientiæ divinæ, quia conducit ad exercenda judicia vindicatricis juſtitiæ, ſuoſque tentandos & explorandos, alioſque fines, quod in theſauris multiformis ſuȩ ſapientiȩ reconditos habet Deus; ſcire debebat, nulla peccata eſſe, circa quæ providentia divina occupari non poſſit, in ſimiles uſus & exercitium judiciorum gloriæ ſapientiæ, bonitatis, miſericordiæ, longanimitatis juſtitiæ, & reliquarum proprietatum, convenientium, & circa quæ ſe juxta doctrinam Script. ſacræ, & dictamen rationis ex eâ informatæ, ſic non explicet.

Poſt hanc reſponſionem, quam auditoribus ſuis, ponderandam dedit, objectionem ſibi formatt,

format, quam parum fœliciter disjicit. Objectio eſt hæc. *In ejuſmodi prædictionibus, non raro etiam prædictum fuiſſe, multos futuros, qui falſis illis Prophetis fidem adhiberent.* Reſponſio eſt hoc ipſum Dei conſilio fieri: ſed cum hoc conſilium ſit deliberatum propoſitum, de infligendâ pœnâ, præſcientiam peccatoris iſtâ pœnâ digni, & peccati pœnæ meritorij requirit. Quæro ergo ulterius de hac præſcientiâ, quæ ad illud conſilium de pœnâ requiritur. Dicit conſilij fundamentū non eſſe, *quia Deus ratione quadam prorſus incomprehenſibili, multos futuros antea noverit, qui digni ſint, quibus efficacia illa erroris mittatur.* Quodnam ergo? Audiamus, *quia inquit, ingens ſemper fuit & futurus eſt numerus hominum veritati non obedientium, quales ſunt peſſimi perverſi, qui nimis negligentes in rebus divinis.* At mi homo, pœnam Deus conſilio ſuo non ordinat, quia ſunt futuri pœnâ digni; ſed quia novit futuros pœnâ dignos: rationem enim conſilij eſſe, id quod ab intellectu non apprehenditur, nec cognoſcitur, eſt impoſſibile. Deinde, ſi certum ut nos docet, non defuturos unquam, qui eâ punitione digni forent: quæro, quomodo id à Deo non præſcitum, cum firmiſſima conſequentia ſit, à certitudine rei ad certitudinem præſcientiæ divinæ; quam conſequentiam admittit Prælector ſect. 4. cap. 8. Inſtet quis adhuc, certum id quidem eſſe Deo non defuturos unquam, qui eâ punitione Dei digni ſint, non ex beneficio præſcientiæ alicujus propriæ & Deo peculiaris, quam verbis illis, ratione quadam prorſus

incomprehenſibili inſinuâſſe videtur, ſed ſcientiæ, quæ ſuo modo, in hominibus etiam reperitur, longo uſu & rationis obſervatione; ut medicus morbum ingraveſcentem ratione providet; inſidias imperator, tempeſtates gubernator. Sed nec hoc ſubſiſtere poteſt, quia talis ſcientia fallax eſt. Hi ſæpe inquit cicero lib. 2. de divinatione, falluntur, qui nihil ſine certâ ratione opinantur; ut agricola cum florẽ oleæ videt, bacam quoque ſe viſurum putat; non ſine ratione ille quidem, ſed nonnunquam tamen fallitur: Dei autem præſenſio & prædictio, cum nunquam aberret, oportet, in eminentiori principio, incomprehenſibilis ſcientiæ, radicatam eſſe. Quid? Paulus, non Apoſtolus, ſed arte aut ratione, & rerum peritiâ pollens, è ſcholâ Gamalielis egreſſus, ſine Spiritus Sancti revelatione hæc prædicere potuiſſet? Eodem modo falſorum doctorum & Prophetarum adventus, humanæ induſtriæ, & non divinæ revelationis opus eſſe potuit. Quæ ſi vera ſunt, quantam Apocalypſis partem, humana peritia nobis recludere potuiſſet? Hæc ſine errore nemo conceſſerit; & ſi cum Diogene Stoico admiſero aliquid prędici poſſe, hæc ſanè nemo ſibi vendicaverit, qui Deo & Spiritui Sancto illibatam cupit ſuam gloriam.

Sect. 7. Ad præſcientiam confirmandam, placuit illi quoque in perſonâ objicientis adferre id quod ſcriptum eſt ad Rom. cap. 8. v. 29. 30. Ait verbum προέγνω quod *præſcivit, reddidit vetus interpres; commodè, elegit, vel ante elegit,*

elegit, reddi potuiſſe. Fateor, quamquam hæc vox, ex propriâ notione ſignificat rem cognoſcere, antequam ſit, hîc apud Apoſtolum Paulum innui eâ voce, gratuitam Dei dilectionem, qua ſuos πρὸ καταβολῆς κόσμου amplexus eſt, ex æterno ſapientiæ ſuæ conſilio, ita ut ſcientia intellectus divini ſuas etiam hîc habuerit partes. Deinde, ſive hanc vocem προέγνω ponamus inter actus merè intellectuales, ſive inter actus gratuitos voluntatis, & affectus benevoli, ſive inter eos qui mixti generis, id indifferens ad quæſtionem de præſcientiâ, hoc loco controverſam; quocunque enim modo ſumatur hæc vox, præſcientia inde confirmatur: nam ſi ſcientiâ intellectus cognitos, ante jacta mundi fundamenta prædeſtinavit, cognovit futuros peccatores antequam eſſent: peccatores autem per liberum arbitrium futuri: habemus ergo præſcientiam, de quâ agitur. Iterum ſi amore gratuito amplexus, ab æterno, & gratiâ prædeſtinationis dignatus eos, de quibus agit Paulus; novit etiam futuros peccatores: nam amor ille gratuitus & gratia prædeſtinationis, tendit in peccatores: & ſic etiam obtinemus intentum. Idem dicendum de actione mixti generis. Quapropter & hoc adverſario, ſine cauſæ noſtræ detrimento dare poſſumus γινώσκειν Græcis etiam eſſe diſcernere ac ſtatuere. Non reluctor id obvium apud Græcos ſcriptores, quemadmodum & apud Latinos, qui Græcos imitari & exprimere ſolent. Latinus enim ſermo Græci exemplum & imago. Verbum ſciſco quâ voce Ci-

Ante jacta mundi fundamenta.

cero & Plautus non ſemel eo ſenſu ſunt uſi, Cicero lib. 2. offic. & lib. 2. de legib. Plautus in curcul. hinc eſt quod plebs Romana ſecundâ ſeſſione à Patribus facta, ne eorundem legibus, ſemper obnoxia videretur, proprium jus conſtituerit rogantibus tribunis, id ex ſuo nomine plebeſcitum dixerit; unde populus rogationem ſciſcere dicebatur, cum legem eſſe vellet Cicero pro Flacco, quæ ſciſceret plebs, aut quæ populus juberet.

Sect. 8. Octavò profertur id quod ſcriptum eſt. 1. Pet. 1. v. 20. *Chriſtum agnum eße præcognitum, ante conſtitutionem mundi.* Nebulas offundit luci Socinus, quas ſole veritatis ſpero me diſcuſſurum. Negat primò Chriſtum ut mactandum præcognitum. Sentiunt quidam inter Scholaſticos, myſterium incarnationis prædeſtinatum ante præviſionem omnis peccati, idque ob ſuam intrinſecam perfectionem, ad abſolutam univerſi conſummationem: Hos ſecutus Socinus, ſed aliis motus, quas ſibi imaginatur rationibus, ut mox audiemus, reſpondet Chriſtum, non prædeſtinatum ex præviſione peccati, quia ſtatuit non prædeſtinatum ut mactandum: nam cohærent in opinione Socini, præſcientia peccati, & decretum de mactando Chriſto, ut tota ejus reſponſio ad hunc locum manifeſtè ſatis indicat. In hac quæſtione de præcognitione Chriſti ſi ſtemus judicio Scripturæ, eâ quâ decet fidei ſobrietate, tenendum, Chriſtum, ſi homo in ſtatu innocentiæ perſtetiſſet venturum non fuiſſe, quia nulla alia cauſa adventus ejus in ſacris aſſignatur,

ſignatur, quàm humani generis redemtio. *Jeſus vocatus quia ſalvaturus a peccatis* Mat. 1. v. 21. *venit quærere & ſalvum facere quod perierat* Mat. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10. *datus ex Dei dilectione in ſalutem credentium* Joh. 3. 16. *venit ad ſalvandos peccatores* 1. Tim. 1. v. 15. *Et ad opera diaboli diſſolvenda* 1. Joh. 3. v. 8. *& ad abolendũ per mortem, qui mortis imperium habebat* Heb. 2. 14. *Sani non opus habent medico*. Mat. 9. 12. Quare rectè gloſſa ſuper illud verbũ, Chriſtus venit in hunc mundum, ut peccatores ſalvos faceret. Nulla cauſa veniendi fuit Chriſto Domino, niſi peccatores ſalvos facere, tolle morbos tolle vulnera & nulla eſt medicinæ cauſa. Deinde Chriſtum ſaltem ex occaſione peccati prædeſtinatum fuiſſe ante conditum mundum, ſive ut mactandum, quod ſecundum rem idem eſt, amplius probatur. 1. Quia Chriſtus præcognitus quâ talis, hoc eſt ut Chriſtus eſſet; aut ſi dicat præcognitum eum qui Chriſtus eſſet, ante mundi conſtitutionem, & non quâ Chriſtum, doceat tũ quid iſta præcognitione de quâ Petrus agit, ſit conſtitutum: admittit ergo ni fallor, Chriſtum quà Chriſtum præcognitum, ut tota reſponſio ad hunc locũ inſinuat. Iam verò ſi præcognitus quâ Chriſtus aut ut Chriſtus eſſet, præcognitus etiam ut mactandus, ſequela probatur. 1. Quia talis Chriſtus præcognitus, ut ſcripturis Propheticis revelatus: at in iis revelatus ut mactandus 1. Pet. 1. v. 11. *Ubi docetur Prophetas prænuntiâſſe nobis Chriſtũ, per paſſiones glorificandum*. 2. Chriſtum oportuit pati hæc, & introire in gloriam ſuam Luc. 24. 26. 3. Qui præcogni-

tus eſt ante mundi conſtitutionẽ, ut verus noſter ſacerdos eſſet, prȩcognitus eſt tanquã mactandus, at Chriſtus prȩcognitus ſic, ergo. Major vera eſt, quia veri ſacerdotis eſt ſeipſũ offerre, offerri autem non poteſt niſi mactetur Heb.9.com.25.26. Minor ſimiliter certa eſt Chriſtum præcognitum ut ſacerdos eſſet, ratio eſt, quia prȩcognitus eſt ut Chriſtus eſſet, Chriſtus autẽ eſſe nõ poteſt, niſi ſacerdos ſit. 4. Qui præcognitus eſt, antequam mundus eſſet, in regem noſtrum, qui nos æternâ vitâ donaret, hoſtibus noſtris peccato & morte, abolitis, prȩcognitus eſt ut mactandus, at in talem regem præcognitus Chriſtus, ergo. Minor firmatur authoritate Pauli 1. Cor. 15. v. 25. Quo loco regnare dicitur, ad ſubjiciendos ſibi hoſtes noſtros. Major etiã patet quia talis rex, Chriſtus eſſe non potuit, niſi prius mactaretur Heb. 2. com. 10. ſecundò utor hac ratione ad confirmandam theſin principalem. Talis præcognitus Chriſtus, qualis patefactus: at patefectus per immolationem ſui Heb. 9. 2, ergo ſub iſtâ ratione etiam præcognitus. Talem autem præcognitum eſſe, qualis patefactus eſt, oſtenditur ex eo, quod Petrus his verbis magnitudinem beneficij redemtionis, ſanguine Chriſti peractæ, nobis exaggerare voluit: quæ tota vis perit, ſi admirabilis ille actus, hac Dei præſcientiâ prȩordinatus non fuit. Accedit, quod ſi prȩſcitus ſimpliciter, ad immortalitatem nobis dandam; patefactus verò ad expianda peccata, per ſanguinem ſuum, & immortalitatem, deſtructâ morte conferendam, toto cœlo hæc

patefa-

patefactio à præſcientiâ differret, cum contra contextus Petri inſinuet nobis patefactionem, quæ mera executio ſit ejus, quod Deus ante ſecula ordinatione ſuâ faciendum deſtinaverat. 3. Chriſtus deſtinatus eſt ante conſtitutionem mundi ſervator perfectiſſimus fideliū, eodem modo & fidelibus deſtinata vita, Smal. cap. 1. lib. de divinitate Chriſti ubi de prędeſtinatione Chriſti. Si Chriſtus conſtitutus Salvator fidelium; ſi deſtinata ſalus fidelibus, antequam mundus eſſet, ergo peccatum præcognitum; fides enim peccatum ſupponit, Chriſtus verò peccatoribus deſtinatus, mactandus deſtinatus aſtipulante Socino. Secundò reſpondet, *decretum fuiſſe ut Chriſtus mactaretur decreto conditionato, cujus conditio incerti eventus ante conditum mundum: hoc demum poſtquam homines peccaverunt in abſolutum tranſiviſſe.* Verùm hæc reſponſio diſſolvitur etiam per argumenta facta ad reſponſionem jam datam. Fabricatur Socinus quod libet, Chriſtus abſolutè illi deſtinatus ad dandam immortalitatem nobis, ante conditum mundum; Chriſtus mactandus decreto conditionato. Sed ſi quis eâ libidine & audaciâ utatur quâ ille, & neget ille, ullum decretum abſolutum ante conditum mundum de Chriſto fuiſſe, quibus iſtiuſmodi negans debellabitur machinis: nam tam erit illi in promptu reſpondere, Chriſtum nullo abſoluto, ſed tantùm decreto conditionato, ante mundum deſtinatum eſſe, quàm id Socino eſt, de Chriſto mactando reſpondere. Cæterum quod ait *certum fuiſſe, Chriſtum venturū etiamſi*

 homines

homines non peccaſſent, ad dandam immortalitatem, illud de ſuo adfert, omni Scripturæ authoritate & ſolidę etiam rationis præſidiis deſtitutus. Nuſquam enim novæ creationis opus, per Chriſtum peragendæ fundatur in imperfectione operis primę creationis; nec ullibi Chriſtus advenisſe dicitur, ut à primæ creationis mortalitate nos liberaret, atque ita ad immortalitatis ſpem & fruitionem promoveret.

Sect. 8. Nos per antitheſin, pro ſolutione reponimus, multa alia eſſe teſtimonia ſacra, ex quibus hæc præſcientia probetur, ad quæ ſolidè reſponderi non poſſe, haud difficulter videbit, quiſquis quæ hactenus diſputata ſunt, rectè & ſine præjudicatâ opinione perpenderit. Loca complura ex Novi Teſtamenti lectione, obſervari poſſunt pro nobis in hac quæſtione facientia Matt. 19. com. 30. Matt. 21. v. 42. Matt. 26. 31. Matt. 8. 11. Matt. 10. 17. 18. Integra pene Apocalypſis, de hac divinâ præſcientiâ teſtatur Jacob. 4. v. 14. De quatuor autem iſtis regulis, quid judicij faciendum ſit ex hoc diſputationis opere, de hoc argumento inſtituto patere poteſt.

Cap. XI.

Concluſio in hac de Dei præſcientia quæſtione.

1. CUm igitur nulla ratio, nullus ſacrarum literarū locus ſit, ex quo apertè colligi poſſit, Deum omnia quæ fiunt, ſciviſſe antequàm fierent, concludendum eſt minimè aſſerendam

eſſe

eſſe à nobis iſtam Dei præſcientiam: præſertim, cùm & rationes non paucæ, & ſacra teſtimonia non deſint, unde eam non planè negandam eſſe appareat. Quod ad rationes attinet, eæ majore ex parte ex iis colligi poſſunt, quæ ſupra diſputata ſunt: ſed inter omnes ea potiſſimùm attendenda eſt, quam ſolam hoc loco ſtatim explicabimus. Nam ſi Deus cuncta infallibili prorſus ſcientia nôvit, quæ ab hominibus fiunt, nulli dubium eſſe poteſt, quin omnia antequàm fiant jam in ſeipſis certa ſint. Quomodo enim Deus illa certò prænoviſſe poſſet, ſi ipſa incerta eſſent? Et ſanè omnes, qui prænotionem iſtam Dei aſſerunt, fatentur idcircò Deum aliquid certò prænôſſe, quia id certò futurum ſit. Jam verò, cum nullus effectus ſine ſua proxima cauſa ſit, quæro, quænam proxima cauſa ſit iſtius certitudinis? Homo ipſe profectò ejuſve voluntas eſſe non poteſt, cùm neque hæc neque ille adhuc ſit. Siquidem Dei prænotionem iſtam, & ſic rei futuræ certitudinem, non modò ortum hominis, qui eam rem facturus ſit, antecedere volunt, ſed ab omni æternitate eam fuiſſe contendunt. Oportet igitur aliam fuiſſe cauſam: ſi Deum fuiſſe dixeris, Deum omnium ſcelerum auctorem facies: ſin aliud quidpiam, aliud etiam principium præter Deum agens atque intelligens conſtitues: quorum utrumque planè impium ac blaſphemum eſt. Jam verò, quod ad ſacra teſtimonia rationeſque inde ſumtas attinet, illud tantùm monuiſſe volumus, plurimos eſſe locos, qui nullo pacto intelligi aut explicari queant, iſtâ 2.

præſcien-

præſcientiá admiſſâ: imò ſi ea admittatur, multa, quæ Deo in ſacris literis tribuuntur, vel falſò tribui, vel ipſum Deum ejus imprudentiæ, quæ ne in hominem quidem cadere, niſi planè dementem, poteſt, omninò coarguere. Quis enim unquam id intelliget aut explicabit, quod ſcriptum eſt Gen. cap. 6. 6. 7. Deum propter hominum iniquitatem, quæ in terra abundaverat, contriſtatum fuiſſe? Quis illud quod ipſe Dominus ait, eodem lib. cap. 22. 12. Se tum demum verè cognoviſſe Abrahamum Dei timore eſſe prædìtum, cum filium ſuum cariſſimum ſibi immolare non recuſavit? Quis item illud Eſaiæ cap. 5. 4. *Quid fieri potuit amplius vineæ meæ, & non feci ei? Quid exſpectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* (ſic enim ex Hebræo legendum eſt) & infra. v. 7. *Et exſpectavit* (Jehova exercituum) *judicium & ecce plaga: juſtitiam & ecce clamor.* Quis, inquam, hos locos & alios complures ſatis intelligere aut explicare poterit, ſi Deum infallibili ſcientia omnia noviſſe ſtatuamus, antequàm fiant? Porrò quomodo (exempli cauſâ) id vel verum eſſe poterit, vel Deo dignum, quod ſcriptum eſt ipſum dixiſſe, Num. cap. 14. 12. 22. 23. 28. 29. 30. &c. Se videlicet juràſſe, quòd introducturus eſſet in Chananæorum terram populum illum, & tamen propter ipſorum peccatum atque incredulitatē ſe ampliùs id non facturum? Quis enim ex ipſis hominibus ita amens eſt, ut ex animo juret ſe aliquid facturum, quod ſe facturum minimè eſſe, jam probè noverit, ſeu cauſas cur id nullo modo facturus ſit, jam exploraplora-

ploratiſſimas habeat? Aut quid Deo indignius, quàm ſe aliquid facturum jurare, non animo, ſed verbis tantùm? Breviter, neceſſe eſt compluribus in locis ſacras literas vel corrumpere ac depravare, ſeu mirabilibus quibusdã interpretationibus quaſi tenebris involvere, vel ad Dei ignominiam convertere, ſi quis Deum omnia quæ ab hominibus fiunt, antequàm fierent certò cognita atque perſpecta habuiſſe velit. Ubi animadvertendum eſt, nos eorum nomine quæ ab hominibus fiunt, non facta ipſa externa potiſſimùm, ſed conſummatã prorſus voluntatem, atque interiora (ut ita dicamus) facta intelligere. Hæc enim, ut ſupra viſum eſt, in hominis poteſtate à Deo poſita eſſe dicimus, illa verò minimè; & ex his, non autem ex illis, homo à Deo judicatur.

Refut. Cap. XI.

Concluſio in hac de Dei præſcientiâ quæſtione.

POſtquam Prælector ſatis ſuperque ſibi reſpondiſſe viſus eſt, ad ea, quæ pro affirmativâ ſententiâ de præſcientiâ attulit: hoc cap. opponentis provinciam in ſe ſuſcipit, multoſque Herculeos nodos pro negatione ejus, & inexplicabiles quæſtionum tricas, contra ejuſdem aſſertionem, ut quidem exiſtimat, nectit.

Primo paragrapho telum in nos vibrat ex variis rationibus contextum. *Si inquit Deus cuncta certò novit, neceſſe in ſeipſis certa eſſe: incerta certò prænoſci non poſſe, id apud omnes in*

confeſſo

confeſſo eſſe; Deum aliquid prænoſſe certò, quia id certò futurum ſit. Tranſeat hoc. Pergit ulterius, quærens, quænam ejus rectitudinis cauſa ſit: *cauſam ait eſſe vel hominem, vel Deum, vel aliud aliquod agens.* Hominem non eſſe cauſam nec aliud quoddam agens præter Deum conceditur. Neque verò etiam aſſertio præſcientiæ ita requirit aſſignationem cauſæ certitudinis ex parte objectorum, ut qui quæſtionem iſtam de cauſâ inextricabilem ſibi putat, legitimus præſcientiæ aſſertor eſſe non poſſit, res enim ſciri poteſt, & modus rei ignorari. Nominales fere omnes profitentur fide nos certò ſcire, Deum hæc futura contingentia cognoſcere, impoſſibile tamen eſſe declarare modum, quo cognoſcit illa. Ita Ocham in 1. diſtinct. 38. quæſt. 1. Gabriel quæſt. 1. artic. 2. alij. Sed revertamur ad id de quo dicere incepimus. *Si in Deo inquit, iſtius certitudinis cauſa ſtatuatur; trito illo & blaſphemo conſequente urgetur, Deum omnium ſcelerum authorem fieri;* ſi nempe tale aut decretum divinum, aut concurſus pravus, aut voluntas permiſſiva aſſeratur, ut ex vi ejus, actus non ſit incerti, ſed determinati eventus. Verùm iſtud conſequens, ſequi ex hoc antecedente nego. Deus eſt principium immutabiliter bonum: hòc confitentur omnes: probato ſimul ex ſcripturis, res futuras Dei decreto certas eſſe, non poteſt ſanè culpa actus humani, in Dei providentiam refundi; cum conſtet inquam Deum eſſe agens ſupremum, immutabiliter bonum, etſi per rationes demonſtrativas, hæc conciliari non poſ-

ſint:

ſint: hoc nobis ſaltem in hoc arduo argumento divinæ providentiæ, in malo culpæ conſtare poteſt. Primò competere Deo, liberam & irreprehenſibilem poteſtatem ita agendi, ut actio humana, reſpectu divinæ providentiæ ſit certi & infallibilis eventus: probato enim facto, juris probatio hîc non requiritur. Secundò cum Deus iſtâ ſuâ providentiâ, atteſtante Scripturâ, explicet theſauros multiformis ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, puniendo, ſalvando, benefaciendo, probando, caſtigando, exercendo, hoc totum autem cum intrinſecè virtuoſum, divinam providentiam, contra argutias Deo obloquentium, juſtificat, quæ res copioſè ſæpe, à magnis viris demonſtrata eſt, ideoque hîc vela contraham. Deinde agamus cum Prælectore ex propriis ipſius hypotheſibus; Deus punit, ut occaſionem gravius puniendi nanciſcatur. Deus ex facto cujus ipſe author, occaſionem captat puniendi cap. 10. Prælect. ſect. 3. Deus decernit ſubſtractionem gratiæ, ex quâ peccatum neceſſariò ſequitur ibid. ſect. 5. Falſi doctores, prophetæ & antichriſtus venerunt, quia Deus decrevit ibid. ſect. 6. Sed ne prolixi ſimus, legat cap. 14. Prælect. in quo complura hujus argumenti, inveniet lector. Jam dico, aut per has Prælector. poſitiones, culpâ peccati Deus involvitur, aut ſi innoxium putat, non eſt, quod Dei providentiam, quia ex eâ certitudo rerum futurarum derivatur, Deum omnium ſcelerum auctorem fieri conqueratur. Sed noſter nõ adeo abhorret ab hoc axiomate, Deum aucto-

auctorem peccati eſſe, ut propterea exiſtimare debeat, in Deo non eſſe hanc præſcientiam, cum Deum per providentiam ſuam, peccatorum auctorem palam profiteatur. Quicquid Deo decernente committitur, eſt illi Deo auctore committi cap. 7. Prælect. ſect. 14. Item quicquid neceſſariò fit ab hominibus, ejus Deus illi auctor cap. 10. Prælect. ſect. 1.

Sect. 2. Venit ad ſacra teſtimonia & rationes inde ſumptas. Primò ait plurimos locos, eâ admiſſâ explicari non poſſe. Profert locum Gen. cap. 6. v. 6. 7. *Ubi legitur Deum contriſtatum, propter hominum iniquitatem.* Sed eſto, hæreat hic ratio: non enim captus & apprehenſio evidens humanæ intelligentiæ, norma & menſura fidei: rectè & tutò poteſt credi id, in quo acies rationis deficit. Addo, etiam explicationem patitur locus, ſed quis tandem ita explicare poteſt Scripturas ut ſatisfiat omnibus: vanum hîc votum. Hoc me non ſine ratione, de hujus loci ſenſu, affirmare poſſe arbitror, eam interpretationem, quæ Deum præſcientiâ ſuâ ſpoliat, loci perverſionem eſſe: oſtendo ſic. Si vitia ſeneſcentis orbis, Deo non ignota, ut habetur Matt. 24. 38. 39. ſed priſcis temporibus diſertè prædicta, incredibile planè Deum, cum hominem conderet, parum gnarum fuiſſe ſcelerum, quæ pœnam Noachici diluvij induxerunt. Neque etiam hæc contriſtatio, præſcientiæ magis quàm omnipotentiæ obſtat. In loco Gen. 22. ab adverſario producto, non de re futurâ, aut tum demum præſente; ſed de eâ quę dudum antea,

in

in Abrahamo fuerat, agitur: quod ſi hunc locum inexplicabilem putat, admiſſâ præſcientiâ, ne rerum quidem quæ ſunt & fuerunt, Deo ſcientiam permittet. Sui hîc etiam, parum memor fuiſſe videtur; ſupra enim ſcripſit, Abrahami pietatem Deo fuiſſe cognitam, antequam offerret Filium, Prælect. cap. 10. ſect. 1. Illud enim quod Gen. 18. ſcriptum eſt, anteceſſit tempus immolati Filij. Ex loco Eſa. nihil etiam contra præſcientiam efficitur. Prædicti fuerunt mali fructus ejus, cujus boni exſpectabantur, ab ipſo Eſa. cap. 6. De vineâ judaicâ legatur Luc. 20. à v. 7. ad 19, ibi non diſſimilia reperias. Dicitur Filium ſuum miſiſſe Dominus, dicens reverebuntur Filium meum. Quid ergo, inexplicabilis hic locus? aut ut explicem dicam non præſciviſſe Deum, Filium occidendum à Judæis, cum toties illud per os Prophetarum prædixerit? Quin & ad hunc, & alios ſupra dictos locos, probi interpretes, ſalvâ Dei præſcientiâ, bonas & commodas quibus etiam ex ratione ſapientibus ſatisfieri fas eſt, attulerunt.

Magis adhuc urget, *etiam falſitatis & dementiæ reum, per hanc præſcientiam, teneri Deum.* Hic ſcrupulus eſt quomodo cum ſeriis & ſinceris Dei juramentis, poſſum addere invitationibus, promiſſionibus, minis, votis, aliiſque id genus actionibus, conſiſtere poſſit. Ajo hæc ἀσύςατα non eſſe, & ſimul ſtare poſſe, & utrumque fide tenendum eſſe; fides utrumq; docet. Deum præſcium jurare non poſſe, ſine amentiâ, quod ſe facturum minimè eſſe, jam probè

R noverit

noverit. Audio; at ſententiæ & leges Scripturæ, de iſtâ conſequentiâ ita judicantis, nullæ proferuntur: tantùm autem rationis noſtræ conceptus valere non debent, ut conſequentiis humanis contra apertas ſcripturas diſputemus. Sileſcat humana reſponſatio, ubi Deum loquentem audimus. Dicit Deus ſe omnia præſcire, prædixit: reſponderunt eventus; lego ejus juramenta. Utrumque profitebor. Nec tamen hic fucus aut fraus. Obſtat axioma firmiſſimum Deum quicquid agit, juſtè ſanctè ſapienter agere, nihil unquam, quod indecorum aut ſe indignum, hoc de Deo credendum eſſe fatentur omnes, ex fundamentis legis Moſis, & Chriſti doctoris noſtri, etiamſi ejus non habeantur demonſtrationes. Si ratio non penetrat, malo ignorantiam meam profiteri, quàm rationis conſequentiis ſcripturas diſſolvere. *Nos pravum ac debile vulgus, ſcrutamur penitus ſuperos*. Non aberro, ſi dixero, *Hinc nullam eſſe modeſtiam voti.* Præterea reſponderi poteſt, promiſſiones illas jurejurando ſancitas, de poſſidendâ terrâ Canaan, ad eos revera non pertinuiſſe, in quibus ſuum complementum non habuerunt. Poteſt etiam hæc δοκησισοφία adverſarij, ex ipſius confeſſione refelli. Si infallibili præſcientię convenire poteſt, cum pręceptis, minis, votis, promiſſionibus aliiſque id genus actionibus, etiam cum juramentis poteſt, at verum antecedens, ex confeſſione adverſarij, qui præceptis, monitis, minis, votis promiſſionibus divinis locum concedit, in induratis, excœcatis, gratiâ Dei, juſto Dei

Dei judicio deſtitutis, aut peccantibus ex ſubſtractione gratiæ; hoc ſaltem concedit, per conſequentiam legitimam; ex ſuis hypotheſibus derivatam. Iſtas Dei actiones, & hominum peccata cohærentia eſſe, non ſemel in ſuperioribus demonſtravimus. Non moveor argumento ab exemplo hominum petito, qui jurejurando ex animo non ſancit; quod ſe minimè facturum jam probè noverit. Humana exempla Deo legem non figunt. Deo juſta & licita eſt peccati permiſſio, non homini. Deus non tenetur, peccatum impedire, quantum quidem æquâ ratione poteſt, homo tenetur. Concurrit ut volunt ſcholaſtici, per influxum generalem, ad producendum actum peccaminoſum, ſine peccato tamen: homini verò nunquam jure licet, concurrere cum homine ad perpetrandum peccatum. Dices, concurſus divinus, abſolutè neceſſarius eſt ut homo agat, non humanus. Sed iſta reſponſio rationem factam non enervat, ſed tantummodo fundamentum diverſitatis oſtendit, non negat rem ipſam. Addo cum Deus concurrit, ut ſarta & tecta maneat homini libertas, quam legislatione circumſcripſit Deus; illud quod Deo eſt ratio concurrendi, poteſt etiam ſuo modo, cauſa eſſe homini, cum homine concurrendi, quando nempe homo ſine auxilio alterius ſibi non ſufficit ad peccatum conceptum conſummandum, Deus quoq; punit peccandi neceſſitate, excæcat, indurat, efficaciam deceptionis mittit; ſpiritum ſoporis immittit. Iſtos verò actus exercere homini eâ quâ poteſt ratione, homini fas non eſt, ſatius

eſt pallentibus umbris occumbere, quàm id committere. Denique Deo licet ita providentià ſuà occupari circa peccatum, ut dicatur mala, quæ ab hominibus & Satana fiunt, ipſe facere, homini verò nefas eſt, ita circa peccatum alterius verſari, ut meritò inde, hoc pacto denominetur. Claudunt ergo hoc argumentum ab hominum exemplo petitum. Cætera quæ adfert, quia aut meram tantùm, ſine probatione ullà affirmationem continent, & eàdem operà retorqueri poſſunt, quâ torquentur; aut obiter attingunt in ſuperioribus diſcuſſa, ſilentio prætereo & deſino.

CAP. XII.

De ſacris teſtimoniis, ex quibus colligi videtur, in hominis arbitrio nihil poſitum eſſe, & primùm de iis, in quibus id universè dici aut indicari videtur, eorumque explanatio.

Sequitur, ut examinatis tribus illis rationibus, quibus oſtendi poſſe videbatur, nihil prorſus in hominis poteſtate eſſe, quod ad ejus ſalutem aut condemnationem pertineat, nunc de ſacris teſtimoniis agamus, ex quibus eadem iſta ſententia elici poſſe credatur. Primùm autem de iis agemus, ubi aliquo modo universè id dici aut indicari videatur. Deinde, de iis videbimus, quæ ſingularia aliqua exempla continent, ex quibus idem à pleriſque hodie concludi ſoleat. Inſigniora tamen quædam duntaxat attingemus, quibus explicatis atque dilutis,

diluτis, perfacilè poterit unuſquiſque per ſe reliqua omnia intelligere, ad eaque convenientem reſponſionem accommodare.

Igitur primum prioris claſſis locum verbis illis dabimus, quæ moſes populo dixit, Deut. 29. in ipſo ferè initio: *Nec dedit vobis Jehova cor ad intelligendum, & oculos ad videndum, atq; aures ad audiendum, uſq; in præſentem diem*. Hic Moſes univerſum Iſraëlis populum alloquitur, qui peculiaris Dei populus erat, & tamen cauſam, cur non intelligat, non videat non audiat, ad Deum refert, quatenus iſta non conceſſit. Igitur in ipſius Dei populi poteſtate, nedum reliquorum hominum, non eſt, aliquid boni facere, ſed à Dei voluntate id omninò pendet, 1. Verſ. 4.

Reſpondemus, ſententiam verborum Moſis longè aliam eſſe, quàm nuda iſta verba intuenti, prima fronte videri poſſit. Ex iis enim quæ antecedunt, quæque ſequuntur, perſpicuum eſt, Moſen populo ſtupiditatem in divinis rebus, & negligentiam exprobrare velle, eumque monere, ne deinceps idem eſſe pergat, ſed reſipiſcat aliquando, Deumq; ſuum agnoſcat, eique obediat. Quæ exprobratio atque monitio nullum prorſus locum haberet, ſi benè agere nulla ex parte in hominis poteſtate eſſet, tantũ abeſt, ut id Moſen dixiſſe ſit veriſimile, atque eâ ratione, quidquid verbis ſuis ſignificare atque efficere volebat, labefactâſſe, & funditùs ſuſtuliſſe. Quinetiàm dicimus, ex iiſdem iſtis Moſis verbis ſatis conſtare, in populi manu fuiſſe, ut intelligeret, videret & audiret, nec per Deum ſtetiſſe, quominùs id eſſet,

 imò

imò ut id fieret, nihil quodãmodo ab eo prætermiſſum fuiſſe. Iſtorum enim verborum ſenſus eſt, quemadmodum (ut diximus) ex antecedentibus & ſubſequentibus patet: Quamvis Deus tot miranda opera, in populi conſpectu ejus cauſà in Ægypto primùm, deinde in deſerto feciſſet, quibus eos homines erudire, ad ſeque ex animo colendũ ſibique confidendum adducere curâſſet, illos tamen & ſtupidos & contumaces & incredulos perſtitiſſe, nec dum ſapere voluiſſe. Sciendum eſt enim, rectiſſimè dici illum non dare, qui accipientem non invenit; ſeu verbum dandi, propria ſignificatione non voluntatem & curam, ſed eventum effectumque ipſum ſignificare: ſi quis alicui pecuniam ex animo offerat, qui eam non accipiat, dare quidem voluiſſe & curâſſe dicetur, non tamen dediſſe. Atque hoc ſenſu proprio, ut dixi, hujus verbi, videtur Paulus illud uſurpaſſe. 2. Tim. 2. 25. *Si forte*, vel *ſi quando Deus det illis pœnitentiam*, id eſt, ſi quando per Dei gratiam pœnitentiam agant: non autem ſimpliciter, ſi quando Deus velit, ut pœnitentiam agant. Hoc enim ordinaria voluntate ſemper vult Deus, 2. Petr. 3. 9. Itaque de ipſo eventu, déque à Deo dandæ pœnitentiæ effectu ibi loquitur Paulus. Quocirca hîc quoq; cum dicitur, *Nec dedit vobis Jehova* &c. omninò intelligi & poteſt & debet, non de voluntate, ſed de effectu dandi ſermonẽ eſſe.

2. *Secundo* loco dignum quod examinetur videtur illud quod ſcriptum eſt 1. Sam. 10. ad finem, cum ſcilicet Samuel, Saulem jam à ſe

Dei

Dei juſſu inunctum, eidem populo regem declarâſſet, atque ut rogatus ab illis fuerat, regem ipſis præfeciſſet, populi partem Saulem poſtmodùm abeuntem comitatum fuiſſe, partem verò id facere renuiſſe, eumque contempſiſſe. Hos autem ſcriptor appellat filios Belial, illorum verò Deum cor tetigiſſe ait. Ex quo conſtare videtur, quod rectè agamus, id omninò ex Dei voluntate pendére, adeò ut cujuscunque Deus cor tangat, is rectè agat; cujuscunque verò non tangat, is ut malè agat neceſſe ſit. Reſponſio primùm ex iis colligi poteſt, quæ modò dicta ſunt. Aliud enim eſt tangere cor, aliud velle tangere. Voluit Deus per Samuelis orationem totius populi cor tangere, id eſt, univerſum populum ad Saulem pro rege ſuo agnoſcendum & colendum inducere, quemadmodum par erat ut facerent, non induxit tamen, & ſic cor eorum reverâ non tetigit, niſi partis eorum. Cujus rei cauſa fuit, quòd reliqui filij Belial erant, hoc eſt, improbi & mali, ut ibidem ſcriptum eſt. Unde ſatis intelligi poteſt, eos qui Saulem comitati ſunt, nec improbos nec malos fuiſſe, & inde factum eſſe, ut Deus per orationem Samuelis eorum cor tetigerit. Sic Act. 16. 14. dicitur Deus Lydiæ purpuræ venditricis cor aperuiſſe, ut attenderet iis, quæ à Paulo dicebantur, id eſt, ut ex ſequentibus colligitur, iis fidem adjungeret, non quidem, quia Deus fœminę illius magis quàm aliorum qui aderant cor aperire voluerit, ſed, quia reverâ per Pauli prædicationem aperuit, quod in multis fortaſſe non

V. 26. 27.

contigit, quia mali & improbi erant, aut certè non pij. At de Lydia ibidem affirmatur, quòd jam Deum coleret. Hæc igitur Lydiæ pietas in cauſa fuit, ut Deus reipsâ illius magis quam aliorum cor aperiret. Nam qui animo eſt pio, facillimè vel potiùs omninò Dei verbis aſſentitur: contra verò qui aliter eſt comparatus, ut poſteà latiùs explicabimus. Deinde dico, locutionem illam, *Deus tetigit cor*, ita accipi poſſe, ut nihil aliud ſignificet, quàm Dei timorem, quo aliquis ſit præditus. Certè in magnis Bibliis Roberti Stephani verba illa, *Quorum Deus tetigerat cor*, ad hunc modum explanantur: aliquorum, qui timebant Dominum; idemque ſenſiſſe videtur Chaldæus Paraphraſtes à Vatablo citatus, licèt de mittendo in cor à Domino timore ſui ibi mentio fiat: namque id ex ratione paulò ante à nobis expoſita intelligi poteſt. Poſtremò animadvertendum eſt, apud eos etiam, qui liberum hominis arbitrium aſſerunt, in omnibus fortaſſe linguis receptum eſſe, ut id à Deo fieri dicatur, quod ſecundùm ejus voluntatem fit: quemadmodũ à Diabolo id dicitur fieri, quod ejus voluntati eſt conſentaneum, nec immeritò. Nam ſicut Diabolus, ad ea quæ ſibi placent commitenda, continenter homines quacunque poteſt ratione inſtigat: ita Deus, ad ea quæ ſibi probantur facienda, perpetuò idque variis rationibus, hominum animos movet atque impellit. Sed ita tamen, ut quemadmodum Diabolus nemini vim planè affert, quia non poteſt: ſic Deus nemini vim afferat, quia non vult. Itaque Deus

idcircò

idcircò iſtorum cor tetigiſſe dicitur, & ſic factum illud operationi divinæ tribuitur, quia nimirum id factum Deo probabatur, ejuſque voluntati conſentaneum erat.

Tertiò, nullo pacto prætermittendum eſt illud, quod à Salomone ſcriptum eſt, Pro. 16.4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, ut in vulgata edione habetur. Jam ſi *D*eus, ut hæc verba dicere videntur, ipſum impium creat, & pœnis ad ſui gloriam deſtinat, quid in hominis poteſtate ſitum eſſe queat, in iis quæ ad ipſius ſalutem aut condemnationem ſpectant? 3.

Mirabilis ſanè eſſet locus iſte, ſi ex eo ſententia iſta elici poſſet, & univerſis ſacris literis planè contrarius, in quibus ubique teſtatum legimus, Deum impietatem & iniquitatem odiſſe, & peccata facilè condonare. Primùm igitur animadvertendum eſt, ut Vatablus annotavit, poſſe locum ex Hebræo ſic converti, *Et etiam impius* [decidet] *in diem afflictionis*, id eſt (pergit Vatablus) peribit, ut ſcilicet cognoſcatur ira Dei. Tum verò ſciendum eſt, verbum operari, ſive etiam *Paal* Hebræum, quo ibi utitur Salomon, multò commodiùs ad divina judicia, quàm ad creationem aliquam referri poſſe. Nam quòd præterito tempore verbum illud enuntiatum fuerit, hoc nihil eſt, cùm apud Hebræos præteritum tempus pro præſente uſurpari adeò tritum ſit, ut nihil magis. Ait igitur Salomon; Dei facta in mundi gubernatione omnia ad ipſius gloriam tendere, ab ipſoque in hunc ipſum finem dirigi, nec

alia modò, ſed hoc ipſum etiam, quòd impium ad diem malum, hoc eſt, pœnarum adducit. Neque enim, etiamſi vox impii non primo ſed quarto caſu legatur, eſt ea nuda & per ſe cum verbo operandi conjungenda, quaſi dicere voluerit Salomon, Deum operari, id eſt, creare vel facere impium: ſed totum orationis poſterius membrum, cum verbo illo antecedente conſtruendum eſt, & aliquid ſubaudiendum, hoc pacto: Omnia operatur Jehova propter ſeipſum, atque hoc etiam propter ſeipſum operatur, quòd impium ad pœnarum diem adducit, id eſt, Deus, cum impium punit, tunc quoque gloriæ ſuæ rationem habet: ut confirmet Salomon, Deum, non minùs calamitatum noſtrarum, poſtquàm impij evadimus, auctorem eſſe, quàm felicitatis, cum eum colimus: eſtque hic locus non paucis aliis ſimilis, præſertim illis, Deut. 32. 39. 1. Sam. 2. 6. 7. Amos 3. 6.

4. *Quartò*, non gravabimur Hieremiæ verba illa non nihil expendere, quę ſcripta ſunt apud
Verſ. 23. ipſum cap. 10. non procul à fine: *Scio Jehova, quod non eſt hominis via ejus, nec viri* ſive *alicujus ut eat & dirigat greſſum ſuum*. Quamvis enim locus planiſſimus ſit, & ab Eraſmo, potiſſimùm in ſua diatribe, oſtenſum fuerit, eum nihil ad rem facere, tamen, quia multi eo adhuc abutuntur, ſilentio prætereundus non fuit. Dicimus igitur in loco iſto, non eſſe ſermonem, de via & greſſu hominis quod attinet ad mores, ſed de via ipſarum actionum, & de aliqua re efficienda, quam quis animo deſtinaverit.

rit. Loquitur enim propheta, ut antecedentia verba demonſtrant, de futura Judææ vaſtitate per Nabuchodonoſorem, quamvis ille aliud facere decreviſſet. Quamquam poteſt etiam totus locus ſic explanari, & παραφραστικῶς converti. Etiamſi ô Jehova, Nabuchodonoſoris minas & potentiam rectè noverim, videamq; te propter ſcelera populi hujus docreviſſe, eum per ipſum Nabuchodonoſorem punire, tamen ſcio etiam hominem iſtum nihil facturum, niſi id quod tu volueris, cùm nec in ipſius nec in ullius hominis arbitrio ſit, ea facere quę facienda ſibi propoſuerit. Tu enim perpetuò cuncta moderaris, nihilque te invito fieri poteſt. Quare obſecro te, ne punitio iſta quam decreviſti ſit planè intolerabilis, nevé nos iſtius arbitratui vexandos & perdendos prorſus dimittas.

Quintò, celebris Eſaiæ locus excutiendus eſt. Is enim, ſuæ vaticinationis cap. 6. 9. 10. ait, ſibi ad populum legato divinitùs deſtinato dictum fuiſſe: *Vade & dicito populo iſti: Audiendo audite, & ne intelligatis: & videndo videte, neque cognoſcatis. Craſſum reddito cor populi hujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus obline, ne fortè vel oculis ſuis videat, vel auribus ſuis audiat, vel corde intelligat, quò converſus ſaluti reſtituatur.* Sic autem hunc locum Tigurini ſunt interpretati. Jam verò, cum ex his verbis ſatis conſtare videatur, non modò Deum velle, ut populus non intelligat, ſed etiam id curare, ne convertatur & ſanetur, nullum dubium eſſe videtur, quin ij qui pereunt, voluntâte ac decreto

creto divino pereant, & ideò non convertantur, quia Deus eos converti nolit: ex quo conſequi omninò videtur, in iis quæ ad ſalutem aut condemnationem pertinent, nihil in hominis poteſtate eſſe.

Reſpondendum eſt, iſtius loci ſententiam atque explicationem ex compluribus novi Teſtamenti locis petendam eſſe, ubi is ſive tacitè ſive apertè in teſtimonium vel ab ipſo Chriſto vel ab ejus Apoſtolis adducitur. Matt. 13.14. 15. Mar. 4. 12. Luc. 8. 10. Joh. 12. 40. Act. 28. 26. 27. & Rom. 11. 8. Ex quibus omnibus ſimul junctis & inter ſe collatis, apparet locum iſtum, licèt de populo universè in eo verba fiant, tamen inter eos recenſendum eſſe, ubi de aliquo Dei ſingulari decreto agatur, quod in conſequentiam (ut ajunt) trahendum non ſit, quemadmodum poſteà videbimus. Apparet, inquam, populum iſtum cæcitate, ſurditate, ac ſtupiditate ſua, in quam ſuo vitio inciderat, commeritum fuiſſe, ut Deus illi aliqua ratione tantam rerum divinarum ignorationẽ injiceret, ut reſipiſcere non poſſet, ſed pœnas ſibi jam pridem decretas ſubiret. Quod ſi nihil aliud haberemus, quàm id, quod apud Matthæum legitur, ſatis inde doceri poſſemus, quænam loci iſtius ſententia ſit, nempe ea quam modò diximus. Ibi enim Chriſtus mani-
Verſ. 13. feſtè ait, ſe idcircò per parabolas populo loqui, quia jam ipſi videntes non vident, & au-
Verſ. 12. Verſ. 14. dientes non audiunt, nec intelligunt. Dixerat enim anteà, ab eo qui nõ habet, etiam id quod habet ablatum iri: & poſteà ſubjicit, eà ratio-

ne

ne in ipſis compleri prophetiam Eſaiæ. Ex quo intelligi poteſt, excæcationem illam, cujus auctor, ſive apud ipſum Eſaiam, ſive apud quemvis alium ex prædictis ſcriptoribus, videtur fieri ipſe Deus, nihil aliud eſſe, quàm cæcitatem, quam populus jam culpâ ſuâ contraxerat, non removere, ſed potiùs per miniſtros ſuos ita cum illis loqui, ut ipſis in ſua cæcitate perſeverandi occaſio & cauſa major daretur, & ſic externis rebus illos penitùs excæcare, quod certè fieri non potuiſſet, niſi jam ipſi interiore cæcitate ſua ſponte laboráſſent, tantùm abeſt, ut Deus eam illis priùs immiſerit.

Sextò loco ea examinanda ſunt, quæ leguntur apud Ezech. cap. 36. 26. 27. Ibi enim Deus pollicetur, ſe populo ſuo cor novum daturum, & novum Spiritum in eorum præcordiis poſiturum, ablaturum, inquam, eis cor lapideum, & cor carneum daturum, effecturumque ut in ſuis ſtatutis ambulent, & judicia ſua cuſtodiant & faciant. Certè ex his ſatis conſtare videtur, hominem ne voluntatem quidem benè faciendi ſecundùm præcepta Dei ex ſe habere, ſed ex Deo tantùm, qui cor ipſius pro arbitratu ſuo planè immutet, atque cum ſibi libuerit, ut neceſſariò ſibi obediat, vi quâdam interiore efficiat. Similem locum habes apud Hieremiam cap. 32. circa finem. 6.

Verſ. 39. 40.

Hunc Ezechielis locum ſatis commodè explicat Eraſmus in ſua diatribe, dicens in eo contineri uſitatam figuram loquendi, quâ cura in altero aliquid efficiendi ſignificatur, illius operâ

operâ minimè excluſâ, ac ſi quis, inquit, præceptor diſcipulo ſolœcizanti diceret, Eximam tibi linguam iſtam barbaricam, & inſeram Romanam, nihilo ſeciùs tamen requireret à diſcipulo induſtriam; tametſi citra præceptoris operam mutare linguam diſcipulus non poſſit. Hœc ſunt ferè ipſius Eraſmi verba. Quibus adde, ex loco ipſo ſatis apparere, nullam neceſſitatem Deum significare voluiſſe; ſed neque ullam vim interiorem, cùm non alia ratione, ea quæ ibi pollicetur, ſe effecturum oſtendat Deus, quàm beneficiorum multitudine, quibus affecturus erat populum, ejuſque cor & animum emolliturus, in eoque voluntatem & alacritatem ſibi obediendi ingeneraturus quodammodo & creaturus. Namque hoc eſt, quod ait, ſe Spiritum ſuum daturum in præcordia ipſorum: Spiritus enim Dei eſt Deo obedire velle, & ad ejus normam voluntatem ſuam conformare. Legantur quæ Deus ibidem ante & poſt pollicitationem iſtam ſe facturum promittit, præſertim verò ea quæ poſt, ubi etiam ea dicit, unde conſtet, ex beneficiis quæ populo facturus erat, futurum, ut illi iniquitates ſuas agnoſcant ac deteſtentur; ſeque dignos omni ſupplicio judicent, atq; ut apertiùs ſcriptum eſt apud eundem prophetam in fine
V. 61. 62. 63 cap. 16. eos planè pudeat, cum viderint Deum ſibi, licet iniquis, ita propitium eſſe. Joſephus Patriarcha Gen. 41. 51. ait, Deum effeciſſe, ut ipſe oblivisceretur cuncti laboris ſui, & univerſæ domus patris ſui. Quomodo verò id effecerat Deus nempe, ut apertiſſimum eſt, eum bonis

bonis multis cumulando, & in Ægypto principem poſt regem efficiendo. Ex quo liquet, Deum externis rebus aliquid interiùs in nobis ingenerare ſolere, & id dici ab eo in animo noſtro effici, quod ejus facta, quamvis ipſa animum noſtrum non ingrediantur, in ipſo efficiunt. Hinc (ut multos locos ſimiles ſimul explicemus) perſpicuum eſſe poteſt, quid ſibi velit Hieremias, cum cap. 31. 18. Ephraim ita loquentem inducit: *Converte me & convertar, quoniam tu es Jehova Deus meus*, &c. Convertit enim nos Deus, cum ex calamitatibus noſtris nos liberat, tuncque nos ipſos (ut ibidem ſcriptum eſt) ut cognoſcamus efficit, cum licèt immerentes nos beneficiis afficit, quemadmodum eum Ephraim rogabat. Propterea cap. quoque 5. Lament. v. 21. in precatione illa ſua ait Hieremias: *Converte nos ad te Jehova & convertemur*, quod idem eſt acſi diceret: Si tu Domine benignè nos reſpexeris, & ex calamitatibus, in quibus ſumus, ereptos, in priſtinum ſtatum reſtitueris, nos quoque ad te ex animo reſpiciemus, & ex iniquitatibus noſtris emergentes, ad ſanctè vivendum, tibique uni ſerviendum aſpirabimus. Vide de converſione iſta, quâ Deus nos convertit Pſalm: 80. v. 4. 8. 15. 20. & 85. 5. 7. 8. Eſt autem animadvertendum, quòd, ut ſupra dictum eſt, in pollicitationibus illis divinis, quales ſunt illæ, Ezech. 36. 26. 27. nulla neceſſitas ſignificatur, nec effectum certò futurum eſſe dicitur, ſed tantummodò per Deum non ſtaturum, quominùs effectus planè conſequatur, id eſt,

Deum

Deum omnia facturum, quæ fieri poterunt, ut populus liberè improbitate relicta, probitatem veramque pietatem ſectetur ac colat. Nam ſi de effectu ipſo omninò ſecuturo Deum loqui velimus, in labyrinthos difficultateſque inextricabiles nos conjiciemus, & complura divina oracula vel pervertemus, vel certè perperam interpretabimur. Conſideremus, obſecro, quæ Deus ſe facturum pollicetur, tum cum novum Fœdus cum populo ſuo panget, ut ſcriptum eſt, Hier: cap. 31.31.33.34. Certè ſi de ipſo effectu, qui planè ſecuturus ſit, eum loqui velimus, neceſſe erit in eum errorem incidere, in quem hodie non pauci inciderunt, ut dicamus novum Teſtamentum adhuc non eſſe, nec futurum, niſi cum major pars hominum Deum ex animo coluerit, aut ea ſaltem pars ferè univerſa, cui Deus voluntatem ſuam ſeque ipſum patefecerit, nempe, quia in prædicto loco ea verba ſcripta ſunt, *Dabo legẽ meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Nam, cùm hoc repsâ nondum factum fuiſſe, niſi minima ex parte, inter omnes conſtet, videtur omninò novum illud fœdus, quod hac re potiſſimùm, ut ibidem ſcriptum eſt, continendum erat, nondum extitiſſe. Verùm, ut diximus, error eſt, iſque valdè inſignis ac perniciosus, affirmare vel exiſtimare, novum Fœdus à Deo cum populo ſuo pactum adhuc non fuiſſe. Nec ſanè quiſquam id affirmare poteſt, quin ſimul novi Teſtamenti ſcripta pro nihilo ducat, in quibus paſſim aut tacitè aut apertè, per Jeſum Chriſtum illud pactum fuiſſe, ejuſque ſangui-

ne confirmatum, dicitur & inculcatur. Et ne quis cauſetur, aliud eſſe novum Fœdus, ſive alio modo acceptum, id de quo loquitur Deus apud Hieremiam, quàm illud ſit, de quo novi Teſtamenti ſcripta loquuntur, legantur ea quæ ſcribit auctor epiſtolæ ad Hebræos cap. 8. 6. 7. 8. &c. Nam inde apparet manifeſtè, Fœdus illud novum, de quo apud Hieremiam, jam fuiſſe ſancitum, atque illud ipſum eſſe, cujus mediator Jeſus Chriſtus jam fuit. Itaque cum Deus dicit, ſe daturum legem ſuam in viſceribus eorum &c. Nihil aliud intelligendum eſt, quàm Deum ea facturum, per quæ planè veriſimile ſit, legem ſuam in hominum cordibus inſcriptum iri, idque ut fiat, quàm diligentiſſimè curaturum. Quid verò Deus per Chriſtum non fecit, ut legem ſuam in hominũ cordibus inſcriberet? Prædicit Paulus cap. 11. ad Rom. v. 25. 26, futurum, ut poſtquàm plenitudo gentium advenerit, totus Iſraël ſervetur, quod utique non ita intelligendum eſt, quaſi Paulus dicere voluerit, futurum omninò, ut reipsà omnes, qui genere Iſraëlitæ fuerint, ſerventur: ſed fidei oſtium, quod illis jam tum Dei juſto judicio clauſum erat, ejuſdem Dei benignitate illis denuò apertum iri, ita ut, ſi velint, omnes prorſus ſervari poſſint. Niſi hujuſmodi ratione alij ſimiles in ſacris literis loci explicentur, neceſſe eſt in ſumma divinorum conſiliorum, quę ad ſalutem noſtram ſpectant, ignoratione verſari. Et hæc ſatis fuerint, quod ad teſtimonia attinet, ex vetere Teſtamento petita: itaq; ad Teſtam. novi locos veniamus.

S *Septimo,*

Septimo igitur loco, de iis Pauli verbis agemus, quæ ſcripta ſunt 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Nam etſi hæc Pauli verba nihil omninò ad propoſitam quęſtionem judicio meo pertinere poſſint, tamen, quia plerique adverſariorum illis haud leviter niti videntur, prætereunda non cenſui.

Dico igitur, Paulum eo loco non agere de voluntate quam Corinthij haberent Deo per Chriſtum obediendi; ſed neque de ipſa obedientia, aliavé re ulla, quæ huc ſpectare poſſit: ſed de ſpiritus ſancti donis, aliiſque chariſmatis, quæ tunc temporis iis à Deo concedebantur, qui Euangelicæ voci aſſenſi fuiſſent, quales erant Corinthij illi, qui, ut idem Paulus ibidem deinde teſtatur, & in ipſo fermè epiſtolæ initio dixerat, præclaris ac multiplicibus donis ditati fuerant, quibus illos ſeſe nimis efferre ac ſuperbire vetat, quaſi à Deo illa omnia non accepiſſent. Quod ſi quis eſt, qui nihilominùs, contra id quod ipſe locus planè ſuadet, velit Pauli verba universè prorſus accipienda eſſe, quid aliud tandẽ ex ipſis colligetur, quod ad propoſitam quęſtionem faciat, niſi voluntatem ipſam Deo obediendi, ab ipſo Deo in nos proficiſci? Hoc autem nos, ſi rectè intelligatur, neutiquam diffitemur, ſcientes Deum omnium bonorum quæ in nobis ſunt, fontem atque auctorem eſſe, eoq; ipſius etiam voluntatis, quã habemus, illi obedientiam præſtandi. Verùm, non idcircò ſequitur, nos ea in re nihil liberè efficere, quemadmodum poſteà explicabimus.

1Cor.1.4.5.6.7.

Octavò,

Octavò, non pauci ſunt, qui magnam vim in ejuſdem Pauli verbis eſſe arbitrentur, quæ leguntur 2. Cor. 3. 5. *Non quòd ſufficientes ſimus a nobis ipſis aliquid cogitare, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt,&c.* Sed miror primùm, iſtos non animadvertere, qua de re Apoſtolus loquatur. Loquitur autem, ut manifeſtum eſt, de miniſterio ſuo, quo factum fuerat, ut Corinthij illi Chriſti epiſtola dici poſſent, ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, hocque quamvis non ſine ipſius opera, à Deo tamen planè profectum eſſe ait, ſe enim in ejuſmodi rebus ne cogitare quidem aliquid poſſe, tanquam ex ſeipſo. Non igitur universè prorſus, ut ſonant, Pauli verba accipienda ſunt, ſed ad ejus inſtitutum atque ſubjectam materiam accommodanda. Deinde illud animadvertendum cenſeo, verbum *aliquid*, quod τι eſt Græcè, non quidpiam ſimpliciter, qualecunq; tandem id ſit, ſignificare, ſed quidpiam quod magni alicujus ſit momenti: hoc enim ſenſu pronomen illud in novo Teſtamento uſurpari ſolet, ut cùm idem Paulus 1. Cor. 3. 7. ait, neque qui plantat eſſe aliquid, neque qui rigat, ſed Deum, qui incrementum dat. Non enim intelligit iſtos planè nihil eſſe, etiam ea ipſa in re de qua ſermo erat, alioqui ſibi ipſi contrarius eſſet, qui paulò poſt affirmat, eoſdem iſtos eſſe coadjutores Dei, & alia dicit, ex quibus conſtat, & eum qui plantat, & eum qui rigat aliquid eſſe: ſed eos aliquid eſſe negat quod magni alicujus momenti ſit, præſertim, ſi cum Deo, qui incrementum dat, comparentur.

8.

verſ. 9.

parentur. Idem Paulus ſimiliter eâdem epiſtola cap. 10. 19. negat ſe affirmare, idolum, vel id quod idolis ſacrificatur, aliquid eſſe, non quòd nihil omninò ea eſſe dicere velit, ſed nihil quod magno æſtimandum ſit, adeò ut quis ab illis, tanquam ab illis, aliquid mali metuere debeat, quo ſenſu cap. quoque 8. 4. dixerat, nihil eſſe idolum in mundo. Ad Galatas quoque ſcribens cap. 6. 3. ait, ſi quis aliquid videatur ſibi eſſe, cùm nihil ſit, iſtum ſe ipſum decipere, ubi ſine dubio *aliquid* pro aliquid magni momenti dixit. Et Gamaliel Act. cap. 5. 36. dicebat, Theudam illum affirmâſſe, ſe eſſe aliquem, id eſt, aliquem magnum, ut expreſsè legitur in Complutenſi editione, ubi non ſimpliciter τίνα ἑαυτὸν, ut in aliis, ſed τίνα ἑαυτὸν μέγαν ſcriptum eſt. Cum igitur Paulus ait, ſe & ſocios ſuos in Euangelico miniſterio, aliquid tanquam ex ſeipſis cogitare non poſſe, non eſt intelligendum, eos ex ſeipſis nihil prorſus cogitare poſſe, ſed nihil quod alicujus magni momenti eſſe poſſit.

Complutenſis & regij duo ſic legunt.

9. *Nonò*, celebris ille locus expendendus eſt, apud eundem Paulum Phil. 2. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Nam profectò ſi Deus eſt, qui efficit in nobis, ut velimus, non tantùm ut perficiamus, idque pro ſua voluntate, nihil nec quod ad voluntatem quidem ipſam attinet, in noſtra poteſtate erit.

Reſpondeo, me, ut ſupra dictum fuit, non dubitare, quin Deus ipſius etiam bonæ voluntatis noſtræ auctor dici debeat: ſed tamẽ nego,

propte-

propterea ſequi nos ea in re nihil liberè efficere, idque vel ex ipſo hoc loco manifeſtum eſt: quando quidem ante modò recitata verba ſcriptum eſt. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operemini*, cujus adhortationis ratio, in ipſis de quibus quærimus verbis ſtatim redditur. Ex quo intelligi debet, & aliqua ex parte in Philippenſium illorum poteſtate fuiſſe, aliquid in ſalute ſibi comparanda efficere, & non ita in illis Deum & velle & perficere operatum fuiſſe, ut illi intereà ea ipſa in re nihil liberè agerent, ſiquidem ſine voluntate & perfectione iſta ſalus nullo modo comparari poteſt. Diligenter igitur conſiderandum eſt, ut ex antecedentibus patet, Apoſtoli ſcopum eſſe, Philippenſes ad humilitatem & ſui ipſorum demiſſionem adducere: Quare monet illos, ne ſe de via ſalutis, quam ingreſſi fuerunt, jactent, néve propterea ſuperbiant, quaſi non id omne à Deo profectum ſit, qui prædicatione Euangelij ſui, promiſſiſque ampliſſimis in ipſo contentis, & mirandis præterea operibus ad ejus confirmationem per Apoſtolos patratis, in eis & voluntatem & perfectionem ingeneraverat & operatus fuerat, quod & facere eâdem ratione pergebat, idque pro bona voluntate ſua, id eſt, quia benignitate illa erga ipſos uti ſibi placuerat, non autem quia ipſi commeriti id fuiſſent. Operatur igitur Deus in nobis voluntatem & perfectionem potiſſimùm verbo ſuo, per quod etiam regenerari & novæ creaturæ fieri dicimur. 1. Pet. 1. 23. & Jacob. 1. 18. Quod verbum etiam poſt ipſam prædica-

Verſ. 12.

tionem, in iis qui crediderunt agere dicitur. 1. Theſ. 2. 13. Nam etſi in vulgata editione ejus loci verba, non ad Dei verbum, ſed ad ipſum Deum referuntur, tamen certum eſt, ex vi Grammaticæ, in Græco codice ad Dei verbum referri poſſe; ex vi autem ſententiæ id fieri debere unuſquiſque confitebitur, qui locum attentè legerit. De verbo enim Dei ſermo eſt, non autem de ipſo Deo: adſtipulanturque ſententiæ noſtræ & Caſtellio & Beza in ſuis interpretationibus. Ubi etiam eſt conſiderandum, eodem verbo uſum eſſe Paulum cum ait, Deum operari in Philippenſibus velle & perficere, & cum dicit, Dei verbum ſive ſermonem, qui jam illis annuntiatus fuerat, in Theſſalonicenſibus qui crediderant, agere. Ibi enim de Deo ſcriptum eſt, ἐστιν ὁ ἐνεργῶν, hic verò de Dei ſermone, ὃς καὶ ἐνεργεῖται. quod ſi quis nolit Paulum, cum monitione & adhortatione illa quâ ad Philippenſes utitur, ad humilitatem in ipſis ingenerandam reſpexiſſe, & univerſam eorum verborum ſententiam per ſe ipſam cōſiderare velit, non autem ad antecedentia accommodare, hic ſenſus erit verborum ejus: Debere Philippenſes omni curâ & diligentiâ in inſtituto opere perſeverare, propterea quòd non humana figmenta eſſent, ea quæ illis à ſe & ab aliis de Jeſu Chriſto propoſita fuiſſent, ſed divina myſteria, quibus eorum ſalus contineretur; Deiq; conſilio & operâ factum fuiſſe, ut ea voluntate iiſque factis eſſent præditi, non autem humanâ curâ atq; induſtriâ, id eſt, ſe & alios, qui Chriſtum Jeſum illis annuntiaverant,

verant, à Deo miſſos fuiſſe, & ſecundùm Dei voluntatem locutos eſſe, non autem, vel ſua ſponte veniſſe, vel ex proprio capite quæ prædicaverant confinxiſſe. Nam verba illa *Cum metu & tremore*, idem ſignificare poſſe, quod ſummâ curâ & diligentiâ, docere poteſt id, quod ſcriptum eſt Eph. 6.5. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore.*

Decimò, ad probandum nihil eſſe in hominis poteſtate eorum quæ ſalutem attinent, ſatis eſſe videtur, quod fides, ſine qua nemo poteſt placere Deo, in hominis poteſtate non eſt. 10.
Probari videtur id primùm, quia ſcriptum eſt à Paulo, 2. Theſ. 3.2. non omnium eſſe fidem. Deinde, quia ab eodem fides Dei donum eſſe dicitur. Eph. 2. 8. Phil. 1.28. & 29. Reſpondemus primo loco, teſtimonia allata de fide in Chriſtum loqui, quam fatemur in hominis poteſtate non eſſe, quatenus, niſi Deus per inſtrumenta aliqua Chriſti notitiam largiatur, non poterit quiſquam in Chriſtum credere. Deinde verò, quod ad locum illum attinet 2. Theſſ. 3. v. 2. dicimus, non omnium eſſe fidem, non ſignificare, non omnes poſſe credere, ſeu non omnibus datum eſſe, ut credant, ſed, ut verba ipſa ſonant, non omnes credere. Cum enim hortatus eſſet Paulus Theſſalonicenſes, ut Deum rogarent, ut ſermo Dei curreret & clarificaretur, ipſeque & ipſius ſocij à malis & importunis hominibus liberarentur, ut rationem redderet, quare ita locutus eſſet, inquit. *Non enim omnium* eſt *fides*, id eſt, non omnes ex animo Euangelio aſſentiuntur.

Videtur enim de ſalſis fratribus potiſſimùm loqui, quos Euangelii curſum maximè tunc temporis impedire conſueviſſe certum eſt; & à quibus ipſe ſibi cavere, ſine ſingulari Dei ope, non poterat. Idem autem ibi eſſe, non omnium eſt fides, quod non omnes fideles ſunt, declarant prætereà verba, quæ ſtatim per antitheſin adjuncta ſunt, *Fidelis autem dominus eſt, &c.* Jam quod ad alios locos pertinet, in quibus fides Dei donum eſſe dicatur, fatemur id ita ſe habere: ſed nihilominùs tamen affirmamus, poſtquàm homini Chriſtus Jeſus Dei benignitate annuntiatur, in ejus poteſtate eſſe ut in illum credat, ſi velit: & ſi nolit, non credat. Quod niſi ita ſe haberet, profectò ii, qui Euangelio ſibi annuntiato non credunt, nequaquam reliquis omnibus graviùs punirentur, ſicut intelligi poteſt, ex iis quæ Chriſtus ait, Mat. cap. 10. 15. Mar. 6. 11. Item Luc. cap. 10. 12. ubi mitiùs cum Sodoma & Gomorrha, quàm cum iſtis, in judicii die actum ire pronuntiat. Neque enim Dei donum fides non erit; etiamſi in hominis poteſtate ſit credere, id eſt, fidem ſibi per Euangelii prædicationem à Deo oblatam accipere: quemadmodum ſi ego cuipiam, cui nihil prorſus debeam, pecuniam donare velim: nulla ex parte minueretur liberalitas mea, etiamſi in illius poteſtate ſit, eam pecuniam accipere, vel non accipere. Et quemadmodum, ſi is pecuniam libera voluntate acceperit, non idcircò donum meum non erit: ſic, quamvis nos annuntiato Euangelio libera voluntate credamus, atque ea

ratione

ratione fidem nobis oblatam accipiamus, non tamen fides noſtra Dei donum non eſt. Deus nemini quidquam debet, niſi ex promiſſo; nec ii, quibus Chriſtus annuntiatur, aliquid in ſeipſis habent, quo tantam Dei benignitatem & largitatem commeruiſſe potuerint. Quocirca planè Dei donum eſt, ut in Chriſtum credant: id enim ſine ipſius Chriſti annuntiatione fieri nullo pacto poteſt. Fidem autem in Chriſtum, ideò Dei donum dici, quia donatur nobis à Deo ut in Chriſtum credere poſſimus, declarat locus ille Phil. 1. 29. Namque ex eo colligitur, in Philippenſibus ita fidem in Chriſtum Dei donum fuiſſe, ſicut in iiſdem Dei donum erat pro Chriſto pati. Verùm Paulus, ut ex ipſo loco perſpicuum eſt, non vult dicere, Philippenſes jam pati pro Chriſto, (quippe qui illos, ut id faciant, moneat) ſed illis datum eſſe, ut pati pro Chriſto poſſint, id eſt, adverſariorum vexationes à Deo ipſis immitti, quæ propterea ipſos terrere non debeant, ſed potiùs alacriores reddere. Quare donatum illis eſſe, ut in Chriſtum credant, nihil aliud ſimiliter ſignificat, quàm per Euangelii prædicationem illis à Deo conceſſum fuiſſe, ut in Chriſtum credere poſſent.

Undecimò, explicandus eſt locus ille celebris Joh. 6. 44. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui me miſit traxerit eum, &c.* Hinc enim ſatis conſtare videtur, tum demum fieri, ut ad Chriſtum eamus, ejus verbis fidem adhibeamus, & proinde ſalutem conſequamur, cum Deus nos trahit, id eſt, nos Spiritu ſuo rapit, 11.

 atque

atque ut ad Chriſtum ire velimus,efficit. Unde intelligi poteſt, omnia in ſalutis noſtræ negotio, ex Dei voluntate pendére, noſque in ea re nihil planè efficere.

Ut magis perſpicuum ſit, locum iſtum adverſariorum ſententiam nullo modo confirmare, animadvertendum eſt,quòd etiamſi iſta (ut ita dicam) Dei tractio, nihil aliud eſſet, quàm Dei vis quædam interior, quæ non omnibus externum verbum audientibus concederetur,non tamen inde concludi poſſet,in hominis poteſtate, quod attinet ad aſſenſum externo Dei verbo præbendum,nihil ſitum eſſe. Neque enim ait Chriſtus, omnes, qui à Patre ipſius trahuntur,ad ipſum ire,ſed neminém ire poſſe,qui non trahatur. Itaq; nihil cum Chriſti verbis pugnat, quòd quis à Patre trahatur, & tamen ad ipſum Chriſtum non eat, quia videlicet ire nolit, & ſic quod in ejus poteſtate ſit, poſtquàm à Deo quâdam vi interiore, non omnibus conceſſa, ad Chriſto credendum incitatus fuerit, illi credere, aut non credere. Nam quòd quidam ſint inter eos, qui verbum Dei audiunt, quibus vis illa interior, ſine qua credere non poſſunt, à Deo non concedatur, id ex ipſorum ſceleribus antecedentibus proficiſci poteſt,quatenus Deus in ipſorum pœnam nolit eos poſſe reſipiſcere, & ſalutem conſequi. Atque hac ratione & ſalus & condemnatio, non ſoli Dei decreto,ſed hominis quoque aut bonæ aut malæ voluntati adſcribenda erit. Et profectò,ſi Chriſtus ad ſolum Dei decretum omnia retuliſſet, fruſtrà locutus eſſet, nec ſuis

verbis

verbis aliquid effeciſſet; niſi quod auditores ab omni conatu veniendi ad ipſum deterruiſſet, & excuſationem incredulitatis eorum, qui ipſi fidem non adhibebant, ipſe attuliſſet: cùm tamen planè veriſimile ſit, eum potiùs, ut alibi ſæpe facit, cauſam cur non crederent, ad ipſorum improbitatem referre voluiſſe. Mens igitur Chriſti in verbis illis eſſe videtur, confirmare doctrinam ſuam eſſe divinam atque cœleſtem, cui ſi quis fidem non adhibeat, id propterea fieri, quod ille rebus divinis ac cœleſtibus non trahatur, nempe propter improbitatem ſuam. Murmurabant enim Judæi de ipſo, quòd dixiſſet, ſe eſſe panem qui de cœlo deſcendiſſet, quibus Chriſtus dixit: *Nolite murmurare invicem: Nemo poteſt veniri ad me, niſi Pater qui me miſit traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* Quod dixi me de cœlo deſcendiſſe, & panem eſſe, qui dat vitam mundo veriſſimum eſt. Nam doctrina mea divina eſt ac cœleſtis, adeò ut, quiſquis eam ex animo amplectitur, divinitùs, id eſt, Deo ipſo id curante tractus dici debeat; nec quiſquam ſit, qui eam rejiciat, niſi is, qui non tractus fuerit à Deo, non quòd ipſum Deus trahere noluerit, ſed quòd is per prædicationem meam trahere volenti Deo aſſenſus non fuerit, & ſic reipsâ à Deo non fuerit tractus. De ipſo enim pleno trahendi effectu loquitur Chriſtus, non de ſola voluntate: quemadmodum in loco illo, quem ſupra examinavimus. Deut. 29. 4. *Non dedit vobis Dominus*, &c. id eſt, reipſa non dedit, ſive ita ut vos acceperitis, non autem, quòd non

non voluerit dare. Patet autem rem ita ſe habere, ex iis quæ ſtatim conſequuntur. Pergit enim Chriſtus & ait, v. 45. *Eſt ſcriptum in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei*, (ſive docti à Deo) *omnis igitur qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me*, &c. Oſtendit Chriſtus his verbis, tempus illud adveniſſe à prophetis prædictum, in quo omnes à Deo docendi erant, id eſt, curandum à Deo erat, ut docerentur, & quantùm in ipſo erat, hominis libera voluntate manente, efficiendum, ut planè addiſcerent. Verùm neceſſe erat præterea, ut ipſi homines doceri vellent, & ſic reipsâ addiſcerent, propterea ait, *Qui audivit à Patre, & didicit.* Non ſatis eſt audiviſſe à Patre, & ſic Deum docentem habuiſſe, ſed didiciſſe opus eſt: non ſatis eſt patrem trahere voluiſſe, ſed ut reipsâ traxerit eſt opus. Quanquam autem Deus & Pater, prædicatione ipſius Chriſti, ad hæc in populo efficienda, uteretur, tamen poſt prædicationem vis præcipua in audientium probitate conſiſtebat, quæ per prædicationem quodammodo excitabatur. Nam qui probitate aliqua, quæ ſecundùm Deum eſſet, erant præditi, Chriſti prædicationem pro divina agnoſcebant, eique aſſentiebantur, & proinde facilè fiebat, ut ad Chriſtum irent, id eſt, ſe ei totos dederent, atque ex animo ejus doctrinam amplecterentur. At verò qui improbi erant, doctrinæ illi divinæ ſuis moribus & inſtitutis prorſus contrariæ, aſſentiri non poterant, & propterea nec ad Chriſtum ire. Tacitè igitur, ſed ita tamen, ut intel-

intelligi perfacilè poſſit, quòd Judæi ſibi fidem ex animo non adhiberent, cauſam eorum improbitatem eſſe ait, non autem, vel doctrinæ ſuæ falſitatem, vel aliud quidpiam, quod ex Dei parte faciendum reſtaret: tantum abeſt, ut eorum incredulitatem, Dei decreto, aut cuipiam ulla ratione ipſis injectæ neceſſitati, attribuat. Idem Chriſtus apud eundem Johannem cap. 7. 17. ait. *Si quis voluerit voluntatem ejus, qui miſit me, facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar.* Et cap. 3. 19. *Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: erant enim eorum opera mala.* Et cap. 8. 47. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Ex quibus & aliis ſimilibus locis apparet, hominis improbitatem potiſſimam aut ſolam cauſam eſſe, cur quis Chriſti Euangelio non aſſentiatur. Nam in poſtremo trium iſtorum locorum, *ex Deo eſſe*, idem ſignificare quod probum eſſe, atque earum rerum quæ Deo placent amantem, probat antitheſis illa ſuperior v. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.* Certum enim eſt, his verbis nihil aliud Chriſtum ſignificare voluiſſe, quàm Judæos illos eſſe improbos, & iis rebus, quæ Diabolo placent, delectari. Id ipſum probant apertè loci plures, in epiſtola prima Johannis, in quibus hæ phraſes leguntur, *eſſe ex Deo, non eſſe ex Deo, eſſe ex Diabolo, eſſe ex maligno.* Atque hinc intelligi poteſt, quid ſibi velit Chriſtus, cum prædicto capite ſexto inferiùs

ſeriùs ait. v. 65. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum a Patre meo*. Nam in Græco non eſt, *à patre meo*, ſed *ex Patre meo*. Intelligi, inquam, poteſt, eum nihil aliud dicere, quàm neminem ipſi confidere poſſe, niſi probus ſit, ejuſque probitate fiat, ut Euangelio aſſentiatur. Et quia ex Chriſti verbis conſtat, eum ſupra idem dixiſſe quod hîc dicit: inquit enim *propterea dixi vobis*, *Nemo poteſt* &c. nihil autem ſupra dixerat, quod idem planè cum hoc videatur, niſi illud de quo quærimus, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui me miſit traxerit eum:* idcircò certiſſimum eſſe debet: hæc verba id potiſſimùm ſignificare, neminem poſſe Chriſti doctrinam ex animo amplecti, qui in improbitate perſiſtat, unde fit, ut à Deo per Chriſti prædicationem eum trahere volente, minimè trahatur, quemadmodum anteà expoſitum fuit.

12. *Duodecimò*, ea conſideranda ſunt, quæ Chriſtus de ſuis ovibus latè diſſerit, Johan. cap. 10. Videtur enim omninò ex ejus verbis colligi poſſe, eos qui Chriſti ſunt tales eſſe, quia ut tales ſint omninò decretum fuerit, nec fieri poſſe, ut Chriſti eſſe deſinant. Nam de decreto ſatis inde apparere videtur,
verſ. 16. quòd Chriſtus ait, ſe habere alias oves, quæ non eſſent ex ovili illo, quaſque ipſe adducturus eſſet: fieri autem non poſſe, ut qui Chriſti ſunt, ejus eſſe deſinant, videntur demonſtrare verba illa: v. 28. *Et non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea*. Adde, quod ex eodem Chriſti ſermone intelligi videtur,

detur, eos qui ipſi fidem non adhibent, idcircò non adhibere, quia de iis decretum non fuerit, ut Chriſti ſint. Inquit enim v. 26. *ſed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.*

Ut totum hunc locum breviter explicemus, & nihil adverſariorum ſententiam juvare oſtendamus, dicimus, ovium nomine in Chriſti verbis eos intelligi, qui vel jam ejus doctrinam ex animo ſunt amplexi, vel propter probitatem aliquam, quæ in ipſis ſit, ad id faciendū apti ſunt atque accommodati. De illis loquitur Chriſtus, cū ait v. 28. oves ſuas perire nō poſſe: de his verò, cum dicit, v. 16. & 26. ſe habere alias oves, & Judæos non eſſe ex ovibus ſuis. Ubi notandum eſt, id Judæis Chriſtum exprobrâſſe, & tanquam id dixiſſe, ex quo eorum in ſe non credendi peccatum appareret. Non igitur, cum negavit eos eſſe ex ovibus ſuis, intelligere aut ſignificare potuit, de ipſis nullo modo fuiſſe decretum, ut ſui eſſent: hoc enim ad excuſandos eos potiùs valuiſſet, atq; oſtendendum, nullum eorum peccatum eſſe. Quocirca vel ex verbis iſtis perſpicuum eſt, quid in toto eo ſermone ovium ſuarum nomine Chriſtus intelligat, nempe eos quos ſupra diximus, ex quorum numero Judæi illi non erant, quippe qui propter improbitatem ſuam, non modò Chriſti doctrinam amplexati non fuiſſent, verùm etiam ad eam amplectendam apti non eſſent. Eſt autem ſciendum, nos, cum in Chriſti ovibus conſtituendis divinum decretum excludimus, non omne divinum decretum intelligere, ſed ejuſmodi decretum, quo antequàm

quàm quidquam boni aut mali egerint homines, nominatim Jeſu Chriſto certiſſimæque ſaluti deſtinati fuerint. Cæterùm, cum eos Chriſti oves appellari dicimus, qui ad ipſius doctrinam ex animo amplectendam ſunt accommodati, non omnes prorſus ejuſmodi homines intelligimus, ſed eos, quos jam Deus decrevit per Euangelii prædicationē ad Chriſti cognitionem vocare. Oves igitur ſuas appellat Chriſtus, eos etiam ex gentibus, qui in ipſum per Apoſtolorum prædicationem credituri erant: hac ſiquidem ratione oves iſtas ipſe erat adducturus. Atque idem Dominus Act. 18. 10. Paulo dicit, ſe multum populum Corinthi habere, id eſt, multos in ea urbe eſſe, qui Euangelio audito, quod ipſis annuntiari volebat, in ipſum credituri eſſent. Nam cùm Chriſto omnes humanorum cordium cogitationes pateant, rectiſſimè citra ullum aliud decretū id affirmari potuit. Perinde eſt enim acſi dixiſſet, multos probitate prędítos Corinthi eſſe, ubi nomen ſuum annuntiari volebat. Porrò hac eâdem ratione explicandi ſunt alii loci, ſi qui ſunt ſimiles. Itaq; cum Chriſtus ibidem ait, v. 8. oves non audiviſſe eos, qui ante ipſū venerant, oves illos vocat, qui jam tum cum illi venerant, probitate erant prædíti, ſimulque Euangelicæ prædicationi erant deſtinati. Jam verò cum Chriſtus ait, v. 28. oves ſuas perire non poſſe, nec quenquam rapturum eas de manu ſua, nullo pacto eſt intelligendum, eos qui Chriſti ſunt, Chriſti eſſe deſinere nulla ratione poſſe. Nam certè poſſunt, ſi fidem abjicere

ſcere velint, ſive in Chriſti mandatorum obedientia non perſeverare: (neque enim in illis Chriſti verbis de eo ſermo eſt, quod ipſæ oves contra ſeipſas facere poſſint, & ſua ſponte vel propriâ culpâ aliquo modo pati: ſed de eo quod alii poſſunt facere adverſus ipſas, deque damno, quod aliunde illis invitis inferri poſſit) ſed intelligendum eſt, homines pios & Chriſto fidentes, à morte æterna tutos eſſe, nec ulla ratione fieri poſſe, ut Chriſtus qui eos ſervare decrevit, quicquid contra univerſus orbis moliatur, eos etiam reipsâ non ſervet. Oves igitur Chriſti nunquam perituræ, non aliqui ſunt nominatim, idque ab æterno ſaluti neceſſariò deſtinati, ſed ii qui Chriſto confidunt. Hos alibi dicit ipſe Chriſtus à Patre ſi- Ioan. 6. 39.
bi datos eſſe, non autem datorum ſibi à Patre & 17. 2. 6 7
nomine, aliquos prædicta ratione ſaluti deſti- 9. 11. 12 24
natos intelligit. Vide locum Joh. 6. 37. & deinceps, ubi tandem ita concludit, v. 40. *Hæc eſt autem voluntas Patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* In his enim verbis Chriſtum explicare, quinam ſint illi, quos ante ſibi datos à Patre dixerat, unuſquiſque prævia hac monitione noſtra, nunc clariſſimè perſpiciet.

Tertiodecimò, offert ſeſe nobis locus ille in- 13.
ſignis Act. 13. 48. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, de quo loco, cùm eum in diſputatione noſtra de Jeſu Chriſto Servatore diligentiſſimè explicaverimus, (unde ea quæ hîc omittentur, quæ etiam cui-

que vel moroſiſſimo ſatisfactura putamus,peti poterunt) pauca tantummodò quædam diſſeremus. Primùm igitur (quanquam hoc non adeò magni momenti videri poteſt) animadvertendum eſt, ex Græco non *præordinati*, ſed *ordinati* legendum eſſe: eſt enim ibi τεταγμένοι, non autem προτεταγμένοι. Deinde eſt conſiderandum, neminem nominari, à quo iſti ad vitam æternam ordinati fuerint, ſed ſimpliciter ordinatos fuiſſe dici. Itaque non eſt, cur ordinationem iſtam ad Deum omninò referri debere dicamus, atque inde colligamus, eos qui non credunt, propterea non credere, quia Deus ad vitam æternam eos minimè ordinavit, neminem autem eſſe, quem Deus ad vitam æternam ordinaverit, qui etiam non credat. Verbum enim *ordinati erant*, ita accipi poteſt, ut accommodationem & aptitudinem quandam à nemine factam, ſed ex re ipsâ provenientem declaret, perinde ac ſi dictum fuiſſet, Apti atque accommodati erant. Supra autem diximus, eos ad Chriſti doctrinam amplectendam aptos & accommodatos eſſe, qui probitate ſunt præditi. Quare, cùm ex Chriſti doctrina amplectenda vita æterna conſequatur, rectè hos ad vitam æternam quoque aptos atque accommodatos eſſe dicemus. Idem igitur apud Lucam erit, *Ordinati ad vitam æternam*, quod, probitate præditi. Quod ſi omninò perſonam hîc aliquam agentem, ut vocant, ſubaudiri velimus, iſtos à ſeipſis ordinatos fuiſſe intelligemus, (id quod in hoc eodem verbo τάττομαι Græci ſermonis conſuetudinem ferre

certum

certum eſt) id eſt, ſeipſos ad vitam æternam capeſſendam parâſſe atque accommodaſſe, cùm ſcilicet probi eſſe voluerint, non quidem quia ipſi de vita æterna tunc cogitarent, quæ perEuangelii prędicationem offertur: ſed quia eventus talis fuit, quemadmodum etiam ſupra ſcriptum eſt, Judæos verbum Dei repellendo, indignos ſe judicâſſe vitâ æternâ, non quòd illi ea de re cogitarent, ſeque ipſos conſultò à vita æterna excluderent, ſed quia talis fuit eventus. Nihil aliud igitur ſibi vult Lucas, quàm Paulo & Barnaba Euangelium annuntiantibus, eos omnes ex gentibus quæ audierant credidiſſe qui probi erant, ob eamque rem ad credendũ apti & accommodati. Quod ideò dictum eſt ab ipſo, ut etiamſi multi fuerint, qui non crediderint, non tamen inde colligatur, Apoſtolorum illorum prædicationem illam inter gentes temerariam fuiſſe, nec à Dei conſilio fuiſſe profectâm: imò planè Deo ita volente munus illud ab ipſis ſuſceptum fuiſſe intelligatur, cùm nemo inter gentes illas fuerit, qui ad credendum idoneus eſſet, à quo fides prædicationi illi non fuerit adjuncta. Quoniam verò non deerunt fortaſſe, qui nullo pacto velint aliter verba Lucæ accipi poſſe, quàm ſi dictum fuiſſet, *Erant ordinati à Deo*, ut etiam hoc quamvis iniquè petitum concedamus, dicimus homines improbos, ſi cum probis comparentur, cum utriſque Euangeliũ annuntiatur, ad vitam æternam à Deo ordinatos dici non poſſe, ſed probos tantùm. Nam & ſupra vidimus, viros probos ad credendum

Act. 13. 46.

accommodatos, Domini populum, Chriſtique oves vocari, etiam antequam accedant, imò antequàm illis Euangelium prædicetur. Poſſunt quidẽ improbi quoq; quibus Euangelium prædicatur, ad vitam æternam ordinati à Deo eſſe dici, quatenus Deus vult eos per ipſã Euangelij prædicationem ex improbis probos efficere, &, ſi Euangelio fidem adjunxerint, vitâ æternâ donare. Attamen dum adhuc improbi ſunt, quemadmodum nullo modo Chriſti oves ſunt, aut Domini populus, ſic etiam ad vitam æternam à Deo ordinati non eſſe dici poſſunt.

14. *Quartodecimò*, agendum nobis eſſet de iis, quæ ſcripta ſunt à Paulo ad Rom. cap. 9. & totum illud fermè caput accuratè explicandũ: verùm quia hoc longiorem ſcriptionem requireret, quædam pauca duntaxat monuiſſe in præſentia ſat fuerit, ex quibus facilè quivis, locum illum univerſum ſententiæ noſtræ nulla ex parte adverſari, intelligere poſſit. Nos jam amicorum rogatu, locum ipſum, unà cum iis quæ capite undecimo in eandem ſententiam ſcripta ſunt, partim explicando explanavimus, partim paraphraſi illuſtravimus, quem laborem noſtrum, ſeparato ſcripto comprehenſum, per otium deſcribemus, & Eccleſiæ offeremus. Nunc ad id, quod faciendum hoc loco duximus. Diligenter igitur inprimis conſiderandum eſt, quiſnàm Apoſtoli ſcopus fuerit in diſputatione illa. Is autem, cùm ex ipſius diſputationis initio, ubi id, de quo diſputandum erat, non obſcurè propoſi-

tum

tum ab Apoſtolo fuit, tùm ex ejuſdem diſputationis fine, ubi eorum omnium, quæ ſupra dicta ſunt, concluſio habetur, omninò colligi debet. Patet autem ex duobus locis iſtis non aliud Paulo propoſitum fuiſſe, quàm oſtendere, Non omnes, qui ſecundùm carnem ex Iſraële ſunt, veros Iſraëlitas eſſe; neque omnes, qui ex Abrahamo ſecundùm carnem ſunt prognati, verè ex ſacrarum literarum ſenſu Abrahami filios eſſe, & iis promiſſionibus comprehenſos, in quibus Iſraëlitis & Abrahami poſteris perpetua felicitas, perpetuuſque Dei favor promititur: ſed iſtos eos eſſe, quibus Deo viſum eſt bona ſua largiri, nulla carnalis iſtius prognationis ratione habita, eos, inquam qui per Chriſtum Jeſum ſibi coufiſi fuerint, ex quibuſcunque tandem parentibus illi ſint nati, atque ea ratione, & Abrahami & Iſraëlis, id eſt, Jacobi ſpirituales filij ſint: & propterea non quærendam eſſe ſalutem & juſtitiam per Legem Moſis, quæ filiis Abrahami & Iſraëlis ſecundùm carnem olim à Deo data fuit, ſed per fidem Jeſu Chriſti, quæ poſtmodùm ab ipſo Deo Abrahami & Iſraëlis filiis ſpiritualibus in æternum fuit propoſita. Hac Apoſtoli mente rectè percepta, jam perſpicuum erit, cur multa afferat, ut oſtendat Deum, in ſalutis noſtræ negotio, ea facere, quæ ſibi libuerit, nempe, non ut demonſtret, Deum, in ſervandis nobis aut condemnandis, nullam earum rerum rationem habere, quæ in nobis vel jam ſint, vel futuræ ſint, ſed non ad ea reſpicere, ad quæ nobis fortaſſe videretur eũ reſpicere debere.

Et hæc quidem generatim de iis, quæ ab Apoſtolo afferuntur, dicta eſſe volumus: ſpeciatim verò monemus, id quod memorat de Eſao & Jacobo, quòd antequàm aliquid boni vel mali egiſſent, jam ſententia de utroq; pronuntiata fuerit, non aliò ſpectare, quàm tacitæ objectioni reſpondeat, quòd Deus idcircò in Jacobo fratri anteponendo, fratris primogenituræ nullam rationem, contra quàm veriſimile videbatur, habuiſſet, quia Jacobus bonus fuiſſet, Eſaus autem malus. Non autem, ut oſtendat, nullam probitatis aut malitię hominū in illis ſervandis aut perdendis rationem habere. Deinde ſciendum eſt, verba illa, *Non eſt volentis, neq; currentis*, non de voluntate & ſtudio ex Dei pręſcripto benè agendi accipi debere, ſed de voluntate & ſtudio Dei beneficia conſequendi: id enim nō ſatis eſt, niſi Deus ea dare velit: vult autē Deus ea ſæpiſſimè illis dare, qui de iis accipiendis ne cogitant quidem, quamvis ab iſtis ipſis, ſi velint ea vel jam data retinere, vel oblata reipsâ accipere, conſuevit Deus fidē erga ſe atq; obedientiam repoſcere, alioqui illa vel ablaturus, vel neutiquam daturus. Porrò, quod de in-
verſ. 18. duratione ſubjungitur, ad propoſitum exemplū Pharaonis accommodandum eſt, qui Pharao propter ſua & deceſſoris ſui ſcelera, ut à Deo induraretur, commeritus fuerat, quē tamen nō indurare, ſi ita voluiſſet, potuiſſet Deus, ſed noluit, ipſumque diu in vita & regno, etiam poſt patrata ſcelera, conſervavit, ut ejus induratione, in liberatione populi ſui ex ipſius manibus, nomen ſuum in univerſo terrarum orbe illuſtre redderet.

redderet. Verbum enim, *Excitavi*, ſtare feci, id eſt, conſervavi, ut in Hebræo, & Septuaginta interpretati ſunt, planè ſignificat. Poſtremò ſciendum eſt, in ſimilitudine illa figuli, maſſæ ejuſdem nomine, homines ipſos jam natos, jamque aut probos aut improbos effectos, universè ſignificari, id eſt, universum humanum genus, quatenus aut probitatis, aut improbitatis eſt particeps: vaſorum verò faciendorum nomine, ſingulos jam adultos homines, de quibus Deus aliquid ſingulare decernat, denotari: non autem per eandem maſſam, ſemen ipſum, ut ita dicam, humanum, per vaſa verò facienda, ſingulos homines, quatenus creantur, intelligi debere. Hæc ita ſe habere intelliget, quiſquis cap. 45. Eſa. & 18. Jer. attentè legerit, unde ſine dubio eam ſimilitudinem Apoſtolus mutuatus eſt. Pauli autem ſententia hæc eſt: quemadmodum figulo licet, ex eâdem maſſa, aliud vas ad honeſta formare, aliud verò ad inhoneſta: ſic Deo licet, ex universo humano genere, alios homines pœnis eorum ſceleribus debitis afficere, alios verò, licèt immerentes, ſuis donis cumulare. Et hæc in præſentia ſatis erunt.

vers. 21, 22, 23.

Quintodecimò, expendenda ſunt verba illa Petri, primâ epiſtolâ cap. 2. 8. *His qui offendunt verbo* (id eſt, ad verbum(*inobedientes*, *in quod* (id eſt, in quam rem) *& poſiti fuerant*. Videtur enim Petrus hîc affirmare, eos qui non obediunt Euangelio, jam ei rei deſtinatos fuiſſe, ut non obedirent. Verùm, non ita ſe res habet; namque ut manifeſtum eſt, ait eos, qui 15.

inobedientes ſunt, offendere ad verbum, id eſt, ſeipſos graviter lædere, & ex rejecto verbo ſuæ ruinæ occaſionem habere, cui ruinæ etiam deſtinati erant, quatenus decretum fuerat à Deo, ut quiſquis Euangelium rejeciſſet, ad lapidem iſtum offenderet: quemadmodum etiam decreverat, ut quicunque Euangelio fidem adhibuiſſet, non pudefieret. Antecedentia verba apertè hanc Petri ſententiam eſſe demonſtrant, docentque aliud eſſe offendere ad verbum, aliud inobedientem eſſe, & hoc præcedere, illud ſequi: hoc tanquam cauſam, illud verò tanquam effectum eſſe. Beza & Caſtellio, ille dum ſuam prædeſtinationem vult aſſerere, hic verò, dum omnem prædeſtinationem nimis reformidat, hunc locum ſuis interpretationibus corruperunt. Sed & Eraſmus, quem Caſtellio imitatus eſt, in eo interpretando eſt lapſus.

REFUT. CAP. XII.

De ſacris teſtimoniis, ex quibus colligi videtur, in hominis arbitrio nihil poſitum eſſe, & primùm de iis, in quibus id universè dici, aut indicari videtur, eorumque explanatio.

CUm de libero arbitrio quæritur, & humanâ poteſtate, in iis quæ ad negotium ſalutis & condemnationis ſpectant, id propriè controvertitur. Primò num iis, qui damnantur, adſint, adfuerintve in potentiis animæ, ſufficientes vires ad reſipiſcentiam & fidem. Secundò

cundò an qui ſâlvantur, verè reſipiſcunt & credunt, ita reſipiſcant & credant, ut reſpectu divinæ voluntatis, quâ eorum ſalutem procurat, & gratioſarum operationum Dei, quibus ipſam reſipiſcentiã & fidem efficit, ut reipsâ & eventu habeant, potuerint per humani arbitrij reniſum, nôn ſervari nec reſipiſcere & credere. Negativam tenent, contra quos agit Socinus, magnus liberi arbitrij patronus; qui hoc & duobus ſequentibus capitibus, varia firmamenta ſententię melioris ſtudet convellere, ut arbitrium humanum attollat. Sed ad quid hanc diſputationem ingrediar, cum nulla magis hoc ſeculo vexata res ſit, quam arbitriũ & ei adhærentia. Scripſerunt de hiſce magni viri, acutè, doctè, quibus meritò doctior orbis, imperium defert ſubmiſſis faſcibus. Quid agamus hîc, quod non actum à ſubactis illis ingeniis? Veræ mihi hæ voces, At quia filum diſputationis noſtræ, nos eò ducit, non poſſum, quin de iis etiam aliquid dicam: & bonâ cum veniâ poſt magnum Doctorum ſenatum, ſententiam etiam promam, fortaſſis dum hoc litus arabo, quoſdam racemulos aut ἐπιφυλλίδας, poſt inſignem aliorum vindemiam collecturus. Quod ſi ne hoc quidem ſuccedat, portiunculas dabo, de illuſtrium ſcriptorum cœnis, ut Æſchylum Poetam dicere ſolitum fuiſſe narrat Athenæus, Tragœdias ſuas eſſe particulas de magni cœnis Homeri.

Pergamus ergo hoc iter, ut quidem noſter nobis præfigit. Sectiones hîc quindecim ſunto, ſecundum numerum locorum, quæ examini ſubjiciuntur. In loco illo Deuter. quem pri-

mùm citavit, ea quæ verba adducta antecedunt à cap. initio, & quæ eadem conſequuntur, ſtuporis & ſocordiæ exprobrationem non continent; Sed Moſes fœdus cum Iſraelitis renovaturus, eos ſibi attentos facit, partim præcedentium beneficiorum commemoratione; partim ad obedientiam flectere nititur, ſpe benedictionum quas boni conſecuturi, & à contumaciâ in Deum, ſeveri judicij interminatione deterret. Hoc contextus cap. leviter introſpectus indicat: hoc verba in ipsâ fronte oſtendunt. Quod ſi velimus, præteritam ſocordiam, populo à Moſe exprobratam; ſimulq; monere voluiſſe, ut excuſſo veterno viam pręceptorũ Dei alacriter currerent; non ſequetur, eam exprobrationem aut monitionem, locum non habere, ſi bene agere non ſit humanæ poteſtatis, loquor de hac libertate, ut ſimul & ſemel dicam, ſenſu, quo controverſiam ſupra deſcripſi & definivi, ut amphibologia vitetur, nã Græcorum quoq; proverbio, damnatæ διάχωλαι γνῶμαι, ſive ſententiæ claudicantes. cum iſta exprobratio & admonitio, ſæpiſſimè per viros divinos facta ſit; ubi fatetur noſter, Dei judicio hominem arbitrij poteſtate ſpoliatum: Et ſi Deus ob præteriti temporis inobedientiam, meritò potuit Iſraelitas indurare, non video quomodo Pręlector perſuadere ſibi poſſit ex factâ admonitione arbitrij poteſtatem. Quod ſi verum eſſet, nunquam externa vocatio, quę per pręcepta, admonitiones, promiſſa, minas explicatur, contingeret ſine internâ, ceſſante internâ ceſſaret externa, & contradicentia

tia eſſent Deum indurare & vocare vocatione externâ, quod ex ipſorum principiis, falſi jam non ſemel convicimus. Nullatenus ergo Moſes vim exprobrationis aut admonitionis ſuſtulit aut labefactavit, docens eos divinâ gratiâ non fuiſſe donatos, ut rite externis illis documentis proficerent. Hic perpetuus lapſus eſt, volunt nimirũ Pelagiani omnes, leges, præcepta, minas, exprobationes, admonitiones, omneſque conſanguineas actiones, humanæ libertatis irrefragabile documentum eſſe: ad hunc ſcopulũ ſemper fere impingunt. Ita Socinus exprobrationis & admonitionis vim & æquitatem ex arbitrij poteſtate deſumendã eſſe. Sed nullius ponderis hoc eſſe poteſt, cum iſtis ſua vis & æquitas conſtet, ubi regnat peccandi neceſſitas, ut mihi cum ratione inſanire velle videantur, qui toties hæc reponunt, ſuo enim ſe jugulant gladio: & quid fiat? friget hæc ſcena ſine iſtis. Non contentus reſpondiſſe poſt datam reſponſionem, pro libero arbitrio, ex verbis Moſaicis opponit *per miranda nimirum Dei opera, in populi manu fuiſſe, cultum fidei & obedientiæ Deo exhibere*; quod non prius rectè concluſerit Socin. niſi doceat miracula ſufficere ad ſalutarem fidei ingenerationem, aut eos poſſe credere, inter quos miranda operatur Deus; cui contradicitur Joh. 12. v. 37. 39. cæterum quia id, quod hîc Pelagiano ſpiritu ſuggerit, de mirandis operibus, ejuſdem farinæ, cum eo quod cap. 5. ſect. 3. excuſſimus, ubi id tribuit præceptis, promiſſionibus & minis divinis, ad eum locum lectorem remitto.

Subdit.

Subdit. *Rectè dici eum non dare, qui accipientem non invenit, verbum dandi non à voluntate & curâ, ſed ab effectu & eventu dici; idque ſignificatione propriâ.* Primùm verbum dandi propriâ ſignificatione, non tantùm notat ipſum eventum & rei traditionem; ſed & ipſam voluntatem collationis ex merâ liberalitate faciendæ. Datio de quâ hîc contenditur eſt donatio: *Nathan* Hebræum eſt dare, donare, donatio verò juriſconſultis nudo etiam pacto vel conſenſu peragitur ſine præſente rei traditione L. ſi qui argentum C. de donationibus. *δίδωμι* eſt trado vel offero & porrigo. Secundò non dare in ſacris paſſim, non eſt tantummodo, effectum ipſum traditionis non ſequi, ſed & nec velle effectivo voluntatis propoſito conferre Mat. 7. v. 6. *ne date ſanctum canibus*. Mat. 12. com. 9. *Signum non dabitur*. Act. 7. v. 5. *Non dedit ei poſſeſſionem in eâ*. Jacob. 2. v. 16. *Non tamen dederitis eis*. Gen. 4. v. 12. *Non dabit tibi fructus ſuos*. Gen. 15. com. 3. *Mihi non dediſti ſemen*. Exod. 5. v. 10. *Non ſum daturus vobis ſtramen*. Joh. 13. v. 14. *Levi non dedit poſſeſſionem*. Neh. 10. v. 3. *Ut non daremus filias*. Job. 39. 20. *Nec dedit ei intelligentiam*. Pſalm. 15. v. 5. *Pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*. Proverb. 5. v. 9. *Ne des alienis honorem* Proverb. 30. v. 8. *Divitias ne dederis mihi*. Jerem. 16. v. 7. *Non dabunt eis potum*. Thren. 2. v. 18. *Non des requiem tibi*. Ita hæc phraſis contra ſcripturæ morem non eſt reddenda, ut voluntas excludatur. Ita quando oblata pecunia non recipitur, dicimus illę

ille quibem mihi dabat, verùm ego accipere nolebam. Tertiò materia ſubjecta, hanc ſignificationem vocis dandi reſpuit, Deum nimirum non dediſſe cor ad intelligendum, quia accipientem non invenit; non potuit accipientem invenire, niſi cor ad intelligendum inveniret: cor ad intelligendum invenire non potuit, niſi prius daret. Non dediſſe quia non dedit jocularis principij petitio eſt. Neque etiam cauſa eſſe potuit Deo cur non daret cor ad intelligendum, quod id non inveniret, cum ut daret neceſſe eſſet, ut non inveniret, & quæ jam habentur, nec dari poſſunt, nec opus eſt dari.

Ob cauſas jam allatas meritò rejicimus loci Paulini 2. Tim. 2. v. 25. interpretationem. Non negem ipſam collationem pœnitentiæ cum apoteleſmate intelligi. Sed ajo decretum voluntatis efficacis, iſto dicto à Paulo nobis etiam & quidem præcipuè declaratum. Etenim vox dationis magis ſonat, gratioſum voluntatis actum, quàm potentiæ effectum. Voluntatem Dei, ut agant pœnitentiam, putat non intelligi à Paulo Socinus, quia hoc Deus ordinariâ voluntate ſemper vult, quod ſi de voluntate efficientiæ intelligat, ut debet, nihil attulit: nuda enim affirmatio, negatione retunditur.

Sect. 2. In loco hoc 1. Sam. 10. v. 26. 27, non agitur de actionibus, quæ à gratiâ regenerationis promanant, quibus homo ad ſalutem & vitam æternam promovetur, aut fideles ab infidelibus diſcernuntur, ſed tantùm de virtutibus

virtutibus politicis, in quibus etiam Ethnici conſpicui. Contactus itaque divinus, cujus hoc in loco fit mentio, eſt ad inducendos Iſraelitas, ut Saulem Dei judicio regem renuntiatum; ſubjectione debitâ obſervent, quod civilis honeſtatis tantùm eſt, quia tamen Socinus hunc etiam locum ſibi objecit & diſcutiendum ſumpſit, amplius de eo videbimus. Primò itaque ait *voluiſſe Deum tangere cor omnium, etſi non omnium tetigerit*; Quod ſi de voluntate externæ vocationis intelligatur, admitti poteſt: Nam ut ad hunc locum Petrus Martyr, *verbum & decretum & judicium ſuum propoſuit omnibus*. Si de voluntate beneplaciti intelligat, nego. Negationes verò rationis, ut uno verbo hîc defungar, videantur cap. 7. ubi de diſtinctionibus voluntatis divinæ, & concordiâ divinæ voluntatis & humani arbitrij, multis actum. Cum Socinus voluntatem eam Dei, quâ ex parte ſuâ, populi ſubjectionem procuravit, communem facit, aſſertionem affert, quam textus non ſuggerit; non enim dicitur omnium corda tangere voluiſſe, cum certum ſit eorum corda voluiſſe tangere, quorum tetigit, non autem omnium, ſed quorundam tetigit, ut textus habet. 3. Reſponſionem adfert, ſuæ doctrinæ non ſatis convenientem. Si Deus juſto judicio ob peccata indurat, & hîc doceat agi de improbis, qui juſti judicij objectum eſſe poſſunt, quomodo Prælectori de hac voluntate indifferente conſtare poteſt? non ex verbi propoſitione, quæ induratis & bonis communis. 4. In eo etiam non

parum

parum hallucinatur, quod contactus divini efficaciam, refert ad ipſam externam Samuelis orationem, divinitus inſpiratam, cum hoc non externæ doctrinæ, ſed divinæ providentiæ, efficaciter operantis, opus ſit, alioquin Deus tantùm oratoris munere fungeretur in gubernandis & immutandis cordibus, & oratione verbo conſignatâ regeret animos, eoſdemque flecteret in ſui obſequium, etiamſi jam nulla providentiæ ejus eſſet actio.

Deinde etſi Deus ex diſpenſatione vel gratiæ ſuæ, dona ſua multiplicet bonis collatis per gratiam ſuam rectè utentibus; vel juſti judicij ſui nova deneget, collata ſubtrahat abutentibus ex arbitrij ſui pravitate, non tamen evidens eſt, probos jam antea fuiſſe, quorum corda tetigit Deus: nam de mittendo in cor à Domino timore ſui, ibi mentio fit, docente Socino in ſecundâ ad hunc locum reſponſione, aut ob probitatem id illis contigiſſe. Nec poteſt probari, quod & hîc adjicit, vim & gratiam communis & occultæ providentiæ, efficaciter operantis in cordibus, ex præexiſtente quadam probitate derivandam eſſe. Addo etiam Socinum non oſtendere, improbitatem recuſantium, de quâ Samuel agit, rebellioni antecedaneam, cum hoc poſſit eſſe improbitatis crimen, quod Saulem pro rege non agnoſcerent; & ſic iſta improbitas non erit cauſa non facti contactus, ſed ad negatum tactum divinæ virtutis, conſecuta erit improbitas.

Reſponſionem à ſe datam amplius confirmat ex loco Act. 16. com. 14. ubi de Lydiâ,

cujus

cujus cor aperuiſſe Deus dicitur. Ait Deum non magis illius fœminæ, quàm aliorum, qui aderant, cor aperire voluiſſe, quod verum, ſi aliis etiam tum temporis, conceſſa cordis apertio: at cum aliis non ſit conceſſa, ut non ſine opinione probabili exiſtimat Prælector, voluiſſe non poteſt dici is, *qui quicunque voluit fecit, & miſeretur cujus vult* Rom. 9. com. 18. 2. Contra hoc procedit, quod tertio loco propoſuimus, ad locum ſuperiorem. 3. Malè opinatur cordis apertionem fortaſſe multis non contigiſſe, quia mali & improbi erant: cum prima cordis apertio, quâ ſpiritus fidei & regenerationis intromittitur, non niſi malis & improbis contingere poſſit, etenim mortui τοῖς παραπτώμασι vivificamur Eph. 2. v. 5. Gratia malos & improbos invenit & probos facit ad Tit. 3. v. 3. Peccatum quidem eſt cauſa, ob quam homo, ſecundum juſtum & liberum judicium Dei, dignus negatione gratiæ: ſed cum omnes ex æquo ſint digni, ſimilem habentes cauſam ut loquitur Auguſtin. lib. 1. de peccatorum meritis, ſolaque diſcernat gratia; ſequitur, rationem, cur huic negata, illi data gratia ſalvans, in judiciis liberrimæ Dei poteſtatis, quærendam eſſe, quemadmodum & Chriſtus nos docuit, in eo acquieſcere Matth. 11. com. 25. 26. 4. Lydiam verè piam fuiſſe, non demonſtratur ex mente Prælectoris, cum σεβομέναι mulieres, perſecutæ ſint Paulum & Barnabam Act. 13. v. 50, pij contra facillimè, vel potius omnino, Dei verbis aſſentiantur, ut hîc prælegit Socinus. Supponamus tamen

verè

verè piam fuiſſe, ea pietas ut à naturâ & libero arbitrio procedens, cauſa eſſe non potuit diſcretiva, cur illius magis, quàm aliorum cor aperiret, cum illa ipſa pietas, ex fonte gratiæ, profluxerit, à quâ initium boni ſalutaris, incrementum, & in eadem perſeverantia. Quamquam interea gratuita Dei gratia, ita diſponat opera ſua, ut antecedentia coronet ſubſequentibus. Sic dixit Salvator Joh. 14. com. 16. 17. *Ego verò rogabo Patrem, & alium advocatum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum illum veritatis, quem mundus non poteſt recipere, quia non conſpicit eum, nec novit eum: vos autem noſtis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit.* Quod ſubjicit de animo pio, qui facillimè, vel potius omnino Dei verbis aſſentitur, poſtea, quia de eo, ſuo loco copioſius acturus prælector, diſcutietur.

Secunda ejus ad locum prædictum reſponſio eſt; locutionem illam, *Deus tetigit cor, ita accipi poſſe, ut nihil aliud ſignificet, quam Dei timorem.* At hoc pacto confunderentur, quæ diſtinguenda ſunt. Nam tactus Dei, actio divinæ potentiæ eſt, in corde mirabiliter operantis: timor Dei religioſus affectus hominis in Deum, ibi homo objectum eſt, hic Deus. Tactus Dei principium timoris eſt aut eſſe poteſt non idem cum eo. Eſt ergo hoc locum non rectè interpretari. Iſti verò interpretationi, nullum præſidium in Bibliis Roberti Stephani: nam per verba illa, *aliquorum qui timebant Dominum,* non explanatur quid ſit cor tangi; ſed declaratur quales fuerint ij, quorum cor Deus

tetigit,quemadmodum etiam Vatablus in ſuis Bibliis ad hunc locum annotavit. Dicens aliquot, qui tinebant Dominum. Quod ſi nolimus iſtis verbis declarari, quales fuerint,quorum cor tetigit Deus, dicendum erit, hunc tactum ab effectu nobis declaratum,cum Socino judice , de mittendo in cor à Domino timore ſui,ibi mentio fiat. Id Chaldeus Paraphraſtes, quem fruſtra pro ſe citat Socinus , ſatis etiam indicavit : cujus verba in regiis Bibliis ita ſonant. *Et etiam Saul ivit ad domum ſuam , ad Gibghetam , & iverunt cum illo pars ex populo , viri timentes peccatum, & datus eſt timor ab ante Dominum in corde.*

Tertia ejus reſponſio non plus tribuit Deo, in gubernandis& convertendis cordibus quàm Diabolo in inſtigandis hominibus ad explendas ſuas cupiditates ; quæ ratio interpretationis , tum efficaciam providentiæ communis, tum divinam virtutem , providentiæ ſpecialis in ſervandis electis,enervat. Sententia autem hæc, quæ nihil Deo reſiduum facit, præter argumenta&rationes,quibus oratoris facundia, ad dicendum paratur,quod ad rem ipſam attinet cap.7.ſatis refutata eſt. Quæ verò & qualis ſit vis major (quæ Phyſica Scholaſticis appellatur) efficacià illâ morali,quæ ſupra humanæ ſortis conditionem non aſſurgit, partim ex antecedentibus intelligi poteſt , partim ex iis quæ poſtmodum dicemus.

Sect. 3. Proponitur locus Proverb. 16. 4. Solet hic locus à Theologis adduci, ad confirmationem ſententiæ de reprobatione, quæ nō

in

in diſcretivis hominum meritis, ſed in juſto voluntatis ipſius beneplacito fundatur. Hanc ſententiam Socinus exagitat, ut univerſis ſacris literis, plane contrariam. In quibus inquit planè teſtatum legimus, Deum impietatem & iniquitatem odiſſe. Odium peccati cum reprobatione contendit. Verùm etiamſi reprobatio, decreto creationis in integritate præmitteretur, hoc tamen aliquatenus à vitio contradictionis per ipſum Socinum abſolvi poſſit; ex cujus doctrinâ manifeſtum eſt, peccatum ratione decreti divini, neceſſarium eſſe poſſe: nam ut alia omittam, Petrus ex gratiæ ſubſtractione, in arrogantiæ pœnam decreta, neceſſariò lapſus cap. 10. Pręlect. Socino aſſeverante, quandoque Deo decernente, ſive auctore aliquid contra legem committitur cap. 7. prælect. ſect. 14. Si autem peccatum eſt, quod ratione decreti neceſſarium, odit profectò Deus, cum omne peccatum odio habeat. Habemus ergo non eſſe contradicentia, impietatem ratione divini decreti neceſſariam eſſe, & tamen Deum, eam odiſſe. Porro de miſericordiâ & facilitate Dei, in condonandis peccatis, non ex humano ſenſu, ſed ex Dei verbo judicandum eſt. Proprietates ſuas explicat Deus, ex præſcripto ſapientiſſimi arbitrij, voluntatis ſuæ. omnia enim efficit ex conſilio voluntatis ſuæ. Dico deinde ſententiam Eccleſię Reformatæ divinæ reprobationi creationem in integritate, & vitium peccati primorum hominum inobedientiâ, humano generi inductum præmittere: Quod verò Deus ex maſsâ

humani generis, peccato inquinatâ, deducit hominem impium & peccatorem, & pœnâ dignum, ad ſui gloriam, pœnis deſtinat, eo ſanè declarat, quàm maximè impietatis odium: cui actui inculpabilis juſtitiæ, miſericordia & facilitas in condonandis peccatis non præſcribit: cum Deo viſum ſit utriq; proprietati, ad ſuam admirabilem gloriam, partes ſuas concedere. Sed conſideremus, quę in hunc locum animadvertit. Verùm quidem eſt Vatablum annotâſſe ad hunc locum. *Et etiam impius decidet, vel peribit in die màla:* non verò dicit, poſſe locum ex Hebræo ſic converti. Etenim translatio nova apud Vatablum habet. *Omnia operatus eſt Jehova, propter ſeipſum, & etiam impium, ad diem malum.* Verba itaq; ex Vatablo adducta, non verſio, ſed paraphraſis loci ſunt. Hebraicum *Paal*, ad creationem refertur commodè, cum non de actu aliquo, ſeu divino judicio ſermo ſit, ſed de ſubſtantiâ, quam dicitur operatus Dominus, quod propterea, de ſubſtantiali productione interpretandum, Hebræis enim notat actionem producentem. Sic paſſim legitur, in ſacris, opus operari, iniquitatem operari, juſtitiam operari: talis autem eſt actio, qualis eſt terminus actionis; cum ergo terminus ſubſtantia eſt, neceſſe etiam eſt ejus naturæ operationem producentem eſſe ut accidentalis actio, ad accidens, ita ſubſtantialis ad ſubſtantiam terminetur. Quod ſi quis de conſtitutione aut pręparatione interpretari malit, *paal* enim pro *cun* quod parare quandoq; ponitur, ut ſentit doctiſs. Heinſius Ariſtarchi ſui pag. 379:

çauſa

cauſa tamen reprobationis adæquata & ſuprema, in liberâ Dei poteſtate reſidebit. Porro non negamus, neque quicquam facit, contra eos quos impugnat noſter, verba illa operatus eſt etiam impium, à ſequentibus non ſejungenda; ſed totum orationis poſterius membrum cùm antecedentibus conſtruendum eſſe. Duplici præterea ſupplemento utitur, neutrum tamen verba contextus ullo modo ſuggerunt, in quo nimia & non ferenda licentia, hoc pacto enim quadrata rotundis mutantur.

Locus quartus proprie & directè tantùm agit, de efficaciâ providentiæ divinæ in rebus humanis diſponendis. Nec tantùm de eventu conſiliorum, ſed & de ipsâ conſiliorum gubernatione, quoque agitur: Duo enim docet locus, cum belli conſilium mutaverit Nabuchodonoſor, & conſilia, & conſiliorum ſucceſſum in manu Dei eſſe. A nonnullis per comparationem locus extenditur ad ea quæ ad mores & opera pietatis pertinent. Ita Franciſcus Vatablus, inter alia, ad hoc teſtimonium annotavit. Non eſt in manu cujuſvis hominis virtus, ut proſperari faciat viam ſuam.

Quintò producitur locus Eſa. cap. 6 com. 9. 10. De iis quæ ponit Prælect. ſecundum ſententiam adverſariorum ſuorum, ex iſto loco concludenda eſſe, quomodo aut quatenus accipienda ſint, ex dictis hactenus in ſuperioribus, & ante ſcriptis judicium fiat. Ad Prælectoris reſponſiones accedamus. Docet primò vaticinium Prophetæ, de aliquo ſingulari Dei decreto agere, quod in conſequentiam

trahendum non ſit: quæ reſponſio, nullius rei eſt. Nam hoc Dei decretum de induratione et excæcatione Judæorum, non continere doctrinam generalem & regulam fidei & morum, nulla ratione ſuſtineri poteſt. Dico contra hunc etiam locum, in noſtram doctrinam ſcriptum eſſe. Hujus decreti cognito ad διδασκαλίαν facit, ex eo enim perſpicitur, Deum judicia deſertionis & excæcationis juſtę exercere. Similiter ad inſtitutionem, quæ in juſtitiâ, ut loquitur Apoſtolus 2. ad Timot. 3. v. 16. Nam conſideratio inculpabilis, & tremendi in impios judicij, facies, ſubdit Sp. S. gratia converſis, ad gratias agendas Deo, pro immenſis miſericordiæ theſauris. Omitto alios hujus decreti uſus, qui ex mente ipſius decreti & ſacræ ſcripturę inde eliciuntur. Neque verò decretum hoc, contra mentem decernentis Dei, aut naturam decreti, hoc pacto ut loquitur noſter, in conſequentiam trahitur, cum perpetuus Dei mos ſit, ejuſmodi decreta facere, ut oſtendunt frequentia Dei acta ſcripturis ſanctis conſignata. Nota eſt ex Exodo hiſtoria, *de induratione Pharaonis*. Deuteronom. 2. com. 30. *Sed noluit Sichon rex cheſchbonis ſinere ut tranſiremus per agrum ſuum, quia obduravit Jehova Deus tuus ſpiritum ejus, & obſirmavit animum ejus, ut traderet illum in manum tuam, ſicut hoc tempore* Joſ. 11. v. 20. *à Jehova enim fuit, quod obſirmabant cor ſuum, ad occurrendum bello Iſraeli, ut internecioni devoveret illas*. 2. Paralip. 25. com. 20. *Sed non auſcultavit Amatzia, quia à Deo id erat, ut traderet eos in manum horum*.

Doctrinam.

Pſalm.

Pſal. 105. com. 25. *Mutavit animum illorum, ut odio haberent populum ſuum; ut machinarentur contra ſervos ſuos.* Eſa. 19. com. 14. *Jehova miſcente in medio ejus ſpiritum perturbatiſſimum, faciet ut errent Ægyptus in omni opere ſuo, ſicut oberrat ebrius in vomitu ſuo.* Roman. 1. v. 26. *Propterea tradidit eos Deus, fœdis affectibus,* & com. 28. *& ſicut non viſum eſt eis Deum in notitiâ retinere, tradidit eos Deus in mentem omnis judicij expertem* 2. Theſſ. 2. com. 11, *Propter hoc immittet eis Deus efficaciam deceptionis ut credant mendacio.* Denique cum hocDei judicium extendatur, ad longè maximam Judaicæ gentis partem, quæ tum Eſa. tum Salvatoris temporibus vixit, quorum tempora, multo intervallo deſtinguuntur, ſingulare tamen decretum imaginatur; longè aliter Apoſtolus Paulus cenſuit, qui judicia indurationis, & ei oppoſitæ miſericordiæ in negotio ſalutis & interitus, uſitata & ſolemnia eſſe docuit Rom. 9. v. 18 Non ergo hæc extraordinarium exemplum exhibent, ſed legem agendi communiſſimam, quam ſuo ſibi arbitrio figit Deus, nobis ante oculos ponunt.

Decretum hoc ſingulare non eſſe, ex ſubjunctis à Prælectore evincitur, quibus ſtatuit pręcedaneum gentis ſtuporem, cauſam meritoriã eſſe injectæ rerum divinarum ignorantiæ, ut reſipiſcere non poſſint. Hæc ratio ſanè non factum aliquod ſingulare nobis oſtendit, ſed frequens & tritum. Docent hoc vulgata Thelogorum axiomata. Deus non deſerit niſi deſertus, deſerentes deſeri & ſimilia. Tum verò ſi

ſi Prælectori daretur judicium ſingulare eſſe, ſequetur tamen ex eo negotium ſalutis & exitij, in nutu liberi arbitrij, iſtius gentis, cum hæc Dei judicia, de quibus verba facit Eſa. iſti genti incumberent non conſtitiſſe.

Atque id quidem Prælector reipſa fatetur, populum cum cæcus & ſurdus eſſet liberum arbitrium non habuiſſe. Sed inſtat *aliquando habuiſſe, & vitio ſuo amiſiße*: id Chriſti verbis doceri arbitratur Matt. 13. com. 13, *propterea per parabolas loquor eis, quia videntes non vident & audientes, non audiunt nec intelligunt*. Sed id effici ex eo non poteſt; nam poteſt iſta ſtupiditas, quæ cauſa hujus pœnæ ponitur, vel ipſa etiam per modū pœnæ ex præcedentibus peccatis enata eſſe. Ex textu patet confitente Prælectore, tum non habuiſſe arbitrium liberum, de quo controvertitur. Contendit Prælector habuiſſe. Argumentum, quo veritas aſſertionis confirmetur, nullum adfert quod ſolidum ſit. Excæcatos non fuiſſe eo non docetur, *quod videntes non viderent, & audientes non audirent nec intelligerent* ut habet Euangeliſta Matt. cap. 13. com. 13, cum hoc ipſum etiam jam excæcatis tribuatur apertiſſimè, commate ſequente ab Euangeliſta, quod auditu audient & non intelligent, & videntes videbunt & non cernent. Gratiam quidem hac excæcatione ab iis ablatam concedimus, minimè tamen hoc efficit, aut antea non fuiſſe excæcatos, cum pœna illa ſuos habet gradus & progreſſus, aut per ablatam gratiam, antequam indurando auferret Deus, idoneos fuiſſe, ad ſalutare

bonum, ut oportet, agnoſcendum, volendum, proſequendum.

Subjicit excæcationem hanc de quâ Propheta & Euangeliſtæ locis citatis, nihil aliud eſſe quàm cæcitatem, quam populus jam ſuâ culpâ contraxerat, non removere. Verùm 1. hac expoſitione admiſsâ pro nobis concluditur, non habuiſſe liberum arbitrium; ſi enim non removit cæcitatem Deus, ſpiritualibus tenebris oppreſſum, jacuit arbitrium, ac proinde cœleſtis veritatis lucem comprehendere non potuit. Allata itaq; expoſitio ſi quid in eâ veritatis, pro nobis tota. 2. Non videtur hæc illatio rectè inferri, ex præmiſsâ interpretatione, quâ prophetiæ complementum per ablationem eſt interpretatus. Aliud eſt ablatio luminis, aliud non remotio cæcitatis, ut quilibet facilè animadvertere poteſt. Ex iſtâ vero luminis ablatione, obtinemus etiam quod intendimus. Ubi lumen ablatum, tenebræ regnant, & ſervum arbitrium relinquitur. 3. Si evidens eſt ex collatione locorum, injectionem ignorationis rerum divinarum hic intelligendam, cur hîc delabitur ab extremo in alterum extremũ, quod eſt non remotio cæcitatis. Toto ſanè cœlo differunt cordis ſtuporem immittere, & cordis ſtuporem per gratiam non auferre. Suſq; deq; verò ſe vertat Socinus, modò hoc modò illud dicens, nunquam liberum ſed ſemper ſervum prodit arbitrium. Pergit nondum defunctus, hoc eſſe per miniſtros ſuos, ita cum illis loqui, ut ipſis in ſuâ cæcitate perſeverandi occaſio & cauſa major daretur, & ſic externis rebus illos

penitus excæcare. Quod ſi horſum locutus iis Deus per miniſtros,ut haberent cauſam & occaſionem in cæcitate perſeverandi; tum ex mente Prælectoris intendit Deus ut ad præconium verbi occalleſcerent; hoc enim hæc verba operantur, aut fallor. At excæcatio & induratio divina, non ſunt immanentes divinæ voluntatis actus ſed tranſeuntes; volendo non indurat Deus ſed indurat quem vult,donorum gratiæ ſuæ ſubſtractione & traditione in poteſtatem peccati & Satanæ. Et quocunq; tandem modo actiones excæcationis divinæ explicentur, illud indubitatum, nullam illis concordiam eſſe,cum arbitrij libertate,in ſenſu,in quo, de eâ diſputamus; aut gratiæ ad ſalutem æternam ſufficientiâ; admittendum alioqui quod abſurdiſſimum,Dei indurationem & ſalutarem illuminationem Sp. ſanct. in uno & eodem ſubjecto ſimul poſſe concurrere;quinimo Deus indurando illuminaret &illâ minando induraret. Utrumque enim etiam,externi verbi prædicatione fit Socino ut hîc de induratione&ei oppoſitâ illuſtratione per gratiam Sp. S. Prælect. cap. 5. ſect. 3. hoc cap. in tractatu argumenti ſecundi. Denique ut concludam, hoc etiam gloſſemate adverſarij non liberum, ſed captivum procudetur arbitrium. Si enim Deus per miniſtros ſuos totum negotium ita adminiſtravit, ut occaſio & cauſa daretur in cæcitate perſeverandi, imò ut penitus excæcarentur: profecto tantùm abeſt ut arbitrio ſtuporem eximere voluerit, ut eſſet liberum; ut juſto potius judicio, regno tenebrarũ,

&

& Satanæ poteſtate magis voluerit oppreſſum.

Sexto loco examinandum ſumit Ezech. locum cap. 36. v. 26. 27. præmiſſis pauculis ex Eraſmi ad nunc locum diatribæ, pro dependentiâ gratiæ à conſenſu liberi arbitrij. Prolixâ reſponſione totum hunc inſignem locum, & ejus occaſione ſimul alia nonnulla, quæ pro gratiæ divinæ efficacitate, contra indifferentẽ arbitrij libripendem pugnant, enervat. Duplici inprimis quaſſat ariete. Primò nullam interiorem vim ſignificari iis locis, quibus agitur, de divinâ operatioue, in hominibus convertendis. 2. Nullam inde neceſſitatem converſionis exſtrui. Primò cum Pelagio contendit, nullam vim interiorem inſinuari. Gratiam novæ creationis, vivificationis ex peccatis, audet externis beneficiis adſcribere. Cœleſtium ab inferis revocatum audimus. *Gratiam Dei & adjutorium, non ad ſingulos actus dari, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrina.* Auguſtin. hæreſi 88. *illam gratiam Dei, ſine quâ nihil boni poſſumus facere, non eſſe dicunt, niſi in libero arbitrio, quod nullis ſuis præcedentibus meritis ab illo accipit natura noſtra, ad hoc tantùm ipſo adjuvante per ſuam legem & doctrinam, ut diſcamus quæ facere & ſperare debeamus.* Per doctrinam autem intellexit etiam beneficia Dei, cum divinorum beneficiorum doctrina, doctrinę partem faciat: nam *ut notat Auguſtinus cap. 10. lib. de gratiâ contrà Pelagium & Cœleſt. ad doctrinam pertinet, cum ſuadetur omne quod bonum eſt.* Etſi inter docere & ſuadere vel potius exhor-

exhortari, diſtare aliquid videtur, etiam hoc tamen doctrinæ generalitate concluditur,quę quibuſcunque ſermonibus vel literis continetur. Idem Auguſtinus ante hęc verba eodē cap. ex mente Pelagij, *operatur in nobis velle quod bonum eſt velle quod ſanctum eſt, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes; futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ, in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, ſuadet omne quod bonum eſt.* Quid manifeſtius, nihil aliud eum dicere gratiam, quâ Deus in nobis operatur velle quod bonū eſt, quàm legem atque Doctrinam.

Sed ad rem. Dico igitur hanc Pelagianam opinionē, ſenſibus ſcr. ſacræ, non uno modo repugnantem eſſe. 1. Per iſtam opinionem pactum legale novo fœderi exæquatur quâ exæquatione totū ſacræ doctrinæ corpus, non parum luxatur. Dico æquari, quia per iſtam opinionē, bonum præcipuum Novi Fœderis, quod eſt donum converſionis, ad mandatorum Dei obedientiam, per Sp. S. gratiam, etiam in pacto legali invenitur, quod inſtituitur, multorum terrenorum beneficiorum promiſſione, ut ex multis locis legis Moſaicæ planiſſimum. Lev. 26. com. 3. & ſequentibus. *Si ambulaveritis in ſtatutis meis, & mandata mea ſervantes feceritis ea, utique dabo pluvias veſtras tempore ſuo, edetque terra proventum ſuum, & arbor agri edet fructum ſuum.* Quo admiſſo diruitur tota doctrina de lege: alieniſſima iſta à veritate, quā Apoſto-

Apoſtolus prodidit. *Peccatum dominari iis, qui ſub lege ſunt* Rom. 6. com. 14. *Affectus peccatorum per legem vigere in membris noſtris ad fructificandum morti* Rom. 7. com. 5. *Legem non ſpiritum vivificantem, ſed literam occidentem eſſe* 2. Cor. 3. com. 6. *Ex operibus legis ſpiritum non accipi* Gal. 3. com. 3. *Ex fide & per fidem. Sp. tantùm accipi* Gal. 3. com. 3. & 14. Vanus Apoſtolus, qui Fœdus novum à vetere hac nota diſtinxit. *Indam leges meas menti eorum, & cordi eorum inſcribam* Hebr. 8. com. 10. *Non jam legem egenam, non infirmam habemus, contra quàm Paulus Apoſtolus ſcripſit* Gal. 4. com. 9. Heb. 7. 18. 19. 2. Cum Dei providentia, quæ aut cumulat beneficiis, aut liberat ex calamitatibus, perpetua ſit ſemperque ſit, & fuerit communiſſima (*nunquam enim Deus paſſus eſt ſe expertem eſſe teſtimonij* Act. 14. v. 17) ad igimur confiteri admiſſo hoc dogmate Socini; *gentes, cum Deus ſineret eas ire in viis ſuis*, & Dei populum fuiſſe, & cor novũ iis dediſſe Deum, novumque ſpiritum, *illis ipſis ignorantiæ temporibus* Act. 17. com. 30. In præcordiis ipſorum poſuiſſe leges ſuas; *cum ſine Deo in mundo eſſent* Eph. 2. com. 12. 3. Si hoc pacto benefaciendo regenerat Deus, & ſpiritum novum cordibus indit, nemo unquam reperietur, cui non indat ſpiritum novum; cum nemo mortalium ſit qui non variis afficitur à Deo, dum vivit beneficiis; non indurat Deus eos quibus benefacit niſi ex eodem fonte ducat Socinus gratiæ ſubſtractionem & ejuſdem collationem. Nec Judæi ſub contumaciâ concluſi, ut illorum

non

non miſereatur Deus: nam magna pars vivunt in Chriſtiano orbe, & degunt etiam in locis illis, ubi purior Euangelij prædicatio, & communis providentiæ beneficiis, non privantur. Sub contumaciâ concludi & miſericordiam conſequi, contradicentia ſunt Paulo Roman. 11. com. 30. 31. 32. Hæc ergo concilient, qui nobis meliore ſunt ingenio.

4. Hæc opinio gloriæ divinæ eſt injuria, quia Deo, nihil plus tribuit, quàm homuncioni in erudiendis diſcipulis, aut oratoribus ad dicendum factis, aut ducibus, qui militum alacritatem variis incitamentis excitant, aut magnatibus, qui beneficiis animos ſibi devinciunt. **Deo digna** Hoc ſanè eſt de Deo opt. max. & ejus gratiâ nimis abjecta & humiliter ſentire ἐλαττώματα τοῦ σωτῆρος ut à ſanctis Patribus dicuntur (quemadmodum doctiſſimus Heinſius obſervat, qui orientem cum occidente, rarâ induſtriâ conjunxit) qui quæcunque ea, quæ humilius à Domino aut fierent, aut dicerentur, in opprobrium divinitatis convertebant. Doctrina ſcripturę ſacræ, jubet nos altius oculos attollere, & Deo magis θεοπρεπῆ tribuere. Nos credimus, non nudis argumentis, promiſſionibus, minis, beneficiis, doctrinâ forinſecus ſonante, voluntati objectis, regnum gratiæ erigi, & conſervari in cordibus. Cæteroquin etiamſi jam nulla Dei aut Chriſti, aut Sp. Sanct. operatio eſſet, ſed quieſcerent, ut nunc quidem Prophetæ & Apoſtoli, nihilominus leges divinæ cordibus inſcriberentur: & verbum Dei argumentis idoneis & æternę vitæ promiſſione inſtructum,

novos

novos conderet homines: nec ulla aut Chriſti, aut ſpiritus ejus vis requireretur. vis illa ſenſibus verbi recondita, abunde polleret omnia. Hæc profectò ἀνάμοστα; longe aliter ſcripturæ, quæ divinæ potentiæ operationes, omnem humanam potentiam longè excedentes, & energeticam vim, qualis ſe ad alios divinæ potentiæ effectus exerit, nobis ingerunt. Huc tendunt illa Eſa. 43. v. 3. & ſequent. *Sic ait Jehova, qui edit in mari viam, & in aquis validis ſemitam. Quo educit currus & equos copias & robur, pariter jacebant, non reſurgent, exſpirabunt ut ellychnium extinguentur. Ne recordemini priorum, & antiqua ne conſideretis. Ecce ego facturus ſum rem novam, jam exorietur, annon noſceretis illam, etiam diſponam in deſerto viam, in ſolitudine flumina. Honorabit me beſtia agri, dracones & ululæ* ibid. v. 18. & ſequent. *Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper prognatos tuos. Et effloreſcent velut inter gramen, velut ſalices ſecundum proceſſum aquarum.* 2. Cor. 4. com. 6. *Deus qui dixit ut è tenebris lux ſplendeſceret, qui ſplenduit in cordibus noſtris, ad lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jeſu Chriſti.* Eph. 1. v. 19. *Et quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius, in nobis qui credimus* κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ. Hæc profecto aliter tinniunt, quàm Socini interpretamenta, & longo intervallo ludimagiſtri induſtriam, aut eos qui dicendo valent, imò omnia externa doctrinæ præſidia poſt ſe relinquunt. Non hominum hæc voces, hæc verba eſſe poſſunt, niſi admodum abuſivè, quæ

Secundum efficacitatē fortis roboris ipſius.

diendi Deo, non ſpiritus Dei, ſed ejuſdem effectum ſit. *Qui animas veſtras purificaſtis auſcultando veritati per ſpiritum* 1. Pet. 1. com. 22. Exemplum illud quod de Joſepho Patriarcha adfertur, qui dixit Gen. 41. com. 51. *oblivisci me fecit Deus, omnium laborum meorum, & omnis domus patris mei, uxore ductâ, liberis extra patrium ſolum ſuſceptis & rebus omnibus proſperè fluentibus*, diſſimile & alienum eſt: nam in eo, non agitur de actionibus, quæ ad fidem & ſalutem ſpectant, ſed de στόργαις & affectibus tantùm naturalibus. Tum verò ſuam etiam hac in re affirmationem, de Scripturis ſiſtere non poteſt Prælector, quaſi nulla divinæ providentiæ operatio hîc intervenerit, præter eam quâ opibus & honoribus à Deo cumulatus fuit. Illa bona non ipſa efficacia providentiæ divinæ, ſed media tantummodo efficacia Dei providentiæ fuerunt, quæ interiore etiam vi, in operibus communis providentiæ utitur. *Cor regis in manu Jehovæ* Prover. 21. com. 1. *Dat ſapientibus ſapientiam, & ſcientibus ſcientiam intelligentia* Dan. 2. com. 21. Ita occultâ & interiore providentiæ ſuæ vi fecit, ut conſequerentur Iſraelitę apud Ægyptios benignitatem: *conciliavit enim illis miſericordiam coram omnibus qui captivos detinebant eos*. Pſal. 106. v. 46. *manus Dei erat in Judæis, indens eis animum unum, ad faciendum præceptum regis, ac principum ex verbo Jehovæ* 2. Chron. 30. com. 12. Hæc & ſimilia quæ non pauca in ſacris occurrunt, de interiore & arcanâ quadam providentię divinæ vi, in cordibus agente, dubitare nos non

X per-

permittunt. Atque hæc dicta ſunto, de primâ adverſarij exceptione, nullam interiorem vim ſignificari iis locis, quibus agitur de divinâ operatione in hominibus convertendis.

Secunda ejus exceptio eſt, nullam neceſſitatem aut certitudinem eventus iis promiſſionibus inſinuari. Ad hujus exceptionis confutationem videatur primò brevitatis causâ, ſecundum argumentum, adductum in probationem propoſitionis, à quâ caput ſeptimum incipit. 2. Aut eventus non eſt dubius & incertus; aut ex pari ratione ipſa impletio promiſſionis, ex parte Dei dubia & incerta erit. 3. Aut nihil prædici & promitti poteſt ut certò futurum, quod ſimili aliquâ exceptione eludi non poſſet; aut fateamur hîc promiſſionem & prędictionem eſſe factam certiſſimò implendam. Fac Deum prædicere & promittere voluiſſe, effectum obedientiæ certò ſecuturum, phraſibus magis aptis & ſignificantibus promittere ac prædicere non potuit. Ad alterutrum adigimur, aut verba deſunt Sp. ſanct. ad enuntiandum, quod nos enuntiatum volumus, aut dictum hîc eſt quod dictum ſentio. 4. Litem hanc, ni fallor, ſententiâ ſuâ Jeremias diremit dicens cap. 31. com. 18. *converti fac me & convertar.* & lamentat. cap. 5. com. 21. Hæc ergo exceptio pro nullâ habenda, aut nulla tandem Dei promiſſio implenda neceſſariò. Promiſſiones etiam illæ de terrâ Canaan; de ſemine promiſſo; de prædicando Euangelio; de mittendis Apoſtolis; promiſſio de Meſſia, nullam habuerunt certitudinem eventus; quam

quam tamen promiſſionem de Meſſia pro decreto definito, non ab incertâ conditione ſuſpenſo habent etiam perfidi Judæi, etſi dicant tempus adventus, ob peccata ſua dilatum eſſe. Alij natum quidem nugantur, ſed ob peccata vitamque ſuam impænitentem, nondum patefactum fuiſſe ſcripſerunt. Hujus promiſſionis certitudo, prorſus eludi tamen, ſimilis exceptionis beneficio poſſet. noſtram porro de neceſſitate & certitudine eventus ſententiam, abſurdo refellit, quod illa trahit, *ſequi nimirum ex eâ Novum Teſtamentum adhuc non eſſe, nec futurum, niſi cum major pars hominum, Deum ex animo coluerit.* Viderint qui ſic ſentiunt, in quo non diſſimiles Judæis, qui ut errorem conceptum, quo negant Jeſum eſſe Chriſtum, pertinaciter tueantur, ſolent objicere multa de Meſſia prædicta eſſe à Prophetis, quæ non conſpiciuntur impleta, ab eo, quem pro Meſſia agnoſcunt Chriſtiani. Ego itaque nego illud conſequens, ex præmiſſo antecedente deduci. Promiſſionibus illis & Novi Fœderis pacto ſua veritas & ratio conſtat, etiamſi maxima etiam eorum pars, quibus Fœdus illud promulgatum & patefactum, Deum non colunt ex Fœderis præſcripto. Huic difficultati Apoſtolus Paulus, diſputatione ſuâ in 9. caput ad Rõ. ſatisfecit pleniſſimè, cum in argumento ejuſdem genij, cum eo quod nos tractamus, negat conſequi, ex eo, quod major pars Deo refractarij, irritum eſſe factum promiſſionis Fœdus. Negationem conſequentiæ firmiſſimis argumentis roborat Apoſtolus; quæ eò

tendunt ut doceat non omnes qui ex Iſraele Iſrael eſſe, ſed promiſſiones illas ex Dei propoſito, ad populum præcognitum pertinere, ut docet ad Rõ. 11. v. 2. in quo idem etiam thema perſequitur. Quemadmodum ergo plerorumque Judæorum contumacia, adverſus Euangelium, verbum Dei non reddit irritum, ita etiam quod non Iſraeli, ſed reliquiis tantummodo ex Iſraele, leges in cordibus inſcriptæ, nullâ ratine probat Teſtamentum Novum adhuc non eſſe, quod eſſe aſſerit Apoſtolus, & vim ſuam in electos exerere, docet clariſſimè, & ex profeſſo quod ad rem ipſam, iſtis ad Rom. capitibus confutat phreneticam eorum Theologiã, qui putant veritatem promiſſionum fœderis requirere, ut major pars hominum Deum colat ex animo, quod experientiæ omnium ſeculorum; Prophetarum de Chriſti regno prædictionibus, & non paucis Eccleſiæ veræ & populi Dei, quæ in Novo Teſtamento leguntur deſcriptionibus, repugnat. Eccleſia Dei non multitudine, ſed paucitate definitur, *cum puſillus grex appellatur* Luc. 12. com. 32. Et ut monuit Salvator, plurimi latam viam inſiſtunt, quæ ad exitium ducit; pauci verò ſunt, qui anguſtam portam & ſtrictam viam, quæ ad vitam ducit inveniunt. Secus etiam ſi ſe res haberet, non ſtarent vaticinia de apoſtaſiâ antichriſti & paucitate fidelium extremis temporibus. Antequam finem faciam, obiter dicendum non nihil de loco Pauli ad Rom. 11. com. 25. 26: ubi dicit futurum, *ut poſtquam plenitudo gentiũ advenerit, totus Iſrael ſalvetur*, quem ſimiliter

exponit

exponit de Deo faciente, quod in ſe, ut ſupra. At Paulus non agit de ſervatione, ab incerti eventus arbitrio ſuſpensâ, ſed de ſervatione, quę effectum conſequeretur: obſerva ſervationem Iſraelis vocari τὸ πλήρωμα ἀυτῶν com. 12, quale hoc πλήρωμα? *quale gentium quod introiit* com. 25. Indicat idem Apoſtolus *eorum aßumtionem, fore vitam ex mortuis.* Actum hæc non meram potentiam actus, ingerunt. 3. Impietates avertente à Jacob, peccata auferentur, quomodo? non incertâ & inefficaci ſalvatione, quâ poſitâ, poteſt non ſequi ſalvatio; ſed tali, quâ gentes ſalvatæ, quæ actu complebatur. 4. *obduratio deſineret* com. 25. & *miſericordiam conſequentur, non ut parere poſſent, ſed ut parerent,* præeunte nobis Apoſtolo, com. 30. 31: quo loco opponit inobedientiam, ſive adverſus Euangelium contumaciam, & miſericordiæ conſecutionem, quæ ſita proinde in actu obedientiæ. Hæc ſine ullis gloſſematis, aut laborioſis conſequentiis, ex tenore Apoſtolici contextus, aperta ſunt.

Neque tamen propterea exiſtimandum, ac ſi re ipsâ omnes, qui genere Iſraelitæ, ſervandi forent, id nõ rectè ex poſitis infertur. Eo modo id accipiendum, non ſine ratione affirmamus, quo de plenitudine gentium diſſeruit Apoſtol. quæ non ita contingit, aut continget unquam, ut Eccleſia in hoc ſeculo non ſine hoſtibus ſit. Magnam ergo ex Iſraele aliqaando acceſſionem fore, pandit Apoſtolus; quæ acceſſio præ reliquiis illis; quæ Apoſtolorum ſeculo ſervabantur, ſecundum electionem gratiæ, non im-

merito totus quaſi Iſrael reputari poſſet. Illud etiam prætereundum non videtur, Socinum hîc docere Iſraelem libero caruiſſe arbitrio, in iis quæ ad ſalutem, idque per complura ſecula. Etenim oſtium fidei, quod illis jam tum (hoc eſt Apoſt. temporibus, Dei judicio clauſum erat) necdum apertum videmus; quod totum, non leve, contra liberum, quod propugnat, arbitrium, argumentum eſt.

Septimò adfertur locus. 1. Cor. 4. com. 7. Hunc locum ſilentio prætcrito, quia nihil adſertur à Prælectore, quod non ab aliis excuſſum videatur in primis D. G. Ameſij reſcriptio ad reſponſum Nicol. Grevincho. pag. 116. & ſequentibus. Hoc tantùm dicam. Quomodò ij, qui gratię efficaciam, ab arbitrio dependentem faciunt, ſentiant voluntatē Deo obediendi, ab ipſo Deo proficiſci, id rotundis verbis explicuit Grev. diſſertatione de electione ex fide prævisâ: cujus faſtuoſus cothurnus legitur pag. 253. prædictæ diſſertationis. *Ego meipſum diſcerno; quum enim Deo ac prædeterminationi divinæ reſiſtere poſſem, non reſtiti tamen: atque in eo, quidni mihi liceat, tanquam de meo gloriari? quod enim potui, Dei quidem miſerentis eſt, quod autem volui, quum poſſem nolle, id meæ poteſtatis.* Et cum Deus ex parte ſuâ voluntatem obediendi, omnibus dat indifferenter, quod alij ab aliis, voluntate tamen obediendi diſcernuntur, neceſſe eſt velit nolit fateatur Prælector, non à Deo, ſed ab homine revera proficiſci; atque id quidem eo magis, quod externa, ad ingenerandam homini obedientiam, ſuffi-

ſufficere arbitratur, ut non ſemel prælegentem audivimus. Nemo ſanus dixerit, ſubditos accipere obedientiam à Magiſtrat. quia legem tulerunt ſubditis: nec legiſlationem, quæ communis eſt omnibus, cauſam rectè dixeris, quæ bonis ab immorigeris diſcernat. Non magiſtri induſtria, quæ diſcipulis ex æquo impenditur, eruditione diſcipulos diſtinguit.

Locus octavus apud Prælectorem ſic legitur. 2. Cor. 3. 5. *Non quod ſufficientes ſimus à nobis ipſis, aliquid cogitare, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Dicit loqui Apoſtolum, de miniſterio ſuo, quo factum fuerat, ut Corinthij illi Chriſti Epiſtola dici poſſent, quod verum eſt, eâ occaſione Paulum hæc verba protuliſſe, ut probet, quod commate antecedente dixerat, ſuæ hujus apud Deum fiduciæ Chriſtum eſſe cauſam. Propoſitionem generalem adfert, quâ docet, ſubmiſſâ & verâ confeſſione, ad Dei & Chriſti gloriam, ne cogitare nos quicquam boni poſſe. Quicquid autem de genere prædicatur, id rectè etiam de ſpeciebus ſub genere contentis affirmatur. Conſequenter, quod univerſè Apoſtol. protulit, ex ejuſdem mente, ad ſpecificam illam materiam, accommodandum eſt; quæ accommodatio propoſitionis generalis, diſertè ab Apoſtolo etiam inſtituta eſt v. 6, in quo evidenter fit determinatio propoſitionis generalis, ad ſpeciem ſubjectam; *Qui etiam fecit, ut idonei eſſemus miniſtri Novi Fœderis* 2. Detur Apoſtolum ſcripſiſſe ſe in hujuſmodi rebus, ne cogitare quidem aliquid poſſe, tanquam ex ſeipſo;

per legitimam conſequentiam, nihilominus inde deducetur, in aliis etiã nos nihil valere, ſine Chriſti virtute. Ita in explicatione decalogi, unâ ſpecie præſcripta & prohibitâ; cognatæ etiã ſpecies præſcriptæ & prohibitæ intelliguntur.

Secundò reſpondet, voculam *τι*, non quidpiam ſimpliciter, qualecunque tandem id ſit ſignificare, ſed quidpiam quod magni alicujus momenti. Solet hæc phraſis iſtam quandoque habere ſignificationem ut in loco Pauli 1. Cor. 3. com. 7. Niſi quis malit, Paulum velle dicere, totam ejus quod enatum fuerit, laudem, Deo in ſolidum, qui incrementum dat, largiendam eſſe. Idola & idolothyta nihil ſunt, non quia per veram & realem exiſtentiam, extra nihilum non ſunt, ſed quia deitas, quæ idolis ineſſe aut adeſſe exiſtimatur, & cultus, qui iis ut debitus impenditur, & vis commodandi & nocendi, quam iis ineſſe imaginantur idololatræ, purum putum ens rationis ſunt, quod nullibi, niſi in erroneo intellectu ſubſiſtit. Interim non damno quod noſter adfert. Neque tamen audiendus in eo, quod intendit, nimirum voculam *τι*, hoc loco ita reddendam eſſe. Optimus lector eſt inquit Hilarius lib. 1. de Trinitate, *qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quàm importet & retulerit magis quàm attulerit, nec cogat, id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerit intelligendum*. Hic ſi ex conſilio Hilarij intelligentiam expectemus ex dictis Pauli, quæ nulla ſermonis obſcuritate ſunt involuta, non eſt quod hæreamus. Loca allata prę ſe ferunt ipsâ fronte,

te, vel ſcintillà aliquâ rectæ intelligentiæ ſacrorum codicum præditis, ſignificationem vocis non propriam & uſitatam, ſed impropriam & rarius occurrentem. Ipſa locorum inſpectio ſuffragatur. Hic verò Pauli locus, nulla habet indicia, rarioris illius & inuſitatæ ſignificationis, non invenitur ergo, in iſto teſtimonio Paulino ſignificatio illa, ſed torſione obtruditur. 2: Iſtâ evaſione non elabitur Prælector. Etenim ſi nihil quod alicujus magni momenti, habet ex ſeipſo homo; quid ergo humanis conatibus profici poteſt, in iis, quæ ad ſalutem æternam, quæ res ut eſt maximi ponderis ita etiam id ipſum eſt, quod controvertitur. Dices agi, non de re qualibet magni momenti, ſed quæ ad miniſterium & Apoſtolatum ſpectat; conſequenter rationẽ factam malo concludere. Contra hoc procedit prima ſolutio ad priorem exceptionem. Secundò ſi non idoneus ex ſe ad id, quod alicujus magni momenti in miniſterio, ergo nec ad ea, quibus ſalvatur homo. Vera fides non magis ex nobis eſſe poteſt, quàm digniores miniſterij effectus. 3. Nulla melior Scripturę clavis, quàm ipſa Scriptura, Paulum & Apoſtolos interpretes conſulamus. Paulus alibi in confeſſione divinæ gratiæ non diſtinxit, ſed omnium Deum authorem agnoſcit 1. Cor. 15. 9. 10. Rom. 15. 17. 18. Rom. 1. v. 5. 1. Cor. 3. v. 5. Act. 22, 14. προεχειρίσατό σε, *qui cognoſceres ipſius voluntatem.* Cum ergo ſemper Apoſt. totum aſcribat Deo; cur partis ergo hîc ſolummodo Deum auctorem prædicari comminiſcitur Socin. Quod ſi

arbitretur, Paulum etiam non ſenſiſſe, ſe & Symmiſtas ſuos, ne aliquid quidem, ex ſeipſis cogitare potuiſſe (fluctuat enim ille ſermo, non eſt intelligendũ, eos ex ſeipſis, nihil prorſus cogitare poſſe) duplici errore Scripturis allatis obſiſtit.

Nonò venit ad locum Pauli. Philip. 2. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bonâ voluntate.*

Nihil in hac totâ reſponſione melius principio. Dimidium facti qui cœpit habet. Bonæ mentis hæc ſunt, Deum ipſius etiam bonæ voluntatis noſtræ auctorem dici debere, quare emaculanda illa, quæ cap. 5. præleguntur: Voluntatem præſtandi, quæ lex jubet, in omnibus naturâ eſſe poſſe.

Operatio gratiæ divinæ, quâ ad converſionem & regenerationem utitur Deus, talis ut ex vi ejus certò converſio ſequatur; ita ut hæc duo ſimul non componantur, gratiam ſic operari, & tamen eum, in quo ſic operatur non converti. Iſta auxiliorum divinæ gratiæ efficacia, inter cætera, ex hoc Paulino gratiæ præconio probari ſolet. Contra hanc efficaciam gratiæ, quæ voluntatem indifferentem non relinquit ad conſentiendum vel diſſentiendum, objicit adhortationem Pauli, cum metu & tremore veſtram ſalutem operemini; quæ ratio non demonſtrat quod intenditur; quia non valet illatio ab adhortatione ad libertatem indifferentiæ, ut non ſemel jam evicimus ex ipſis Prælectoris hypotheſibus, qui fruſtra propterea dat operam, ut aliis perſuadeat, de quo ipſe,

ipſe, ex principiis ſuis perſuaſus eſſe non poteſt.

Tranſeo ad ea quæ ſequuntur, quæ perdenda potius quàm tradenda, eorum omnium quæ prolixè ad explicationem verborum Pauli adferuntur recapitulatio ſi inſtituatur, id prodit, totum quod in Philippenſibus erat à Deo profectum eſſe, quia doctrinâ Euangelij & miraculis, illis hoc ipſum ingeneraverat; Philippenſes non per humana figmenta ſed beneficio verbi Dei, ab Apoſtolis prædicati, velle & perficere. Uno verbo abſolvantur Deum dici operari velle & perficere, quia verbum Dei hoc operatur, quod curavit Philippenſibus prædicari. Egregia verò inſignis loci interpretatio, quam ſi quis probet, tam reconditæ & occultæ intelligentię locus erit, quam Symbolica Ægyptiorum Theologia. *Ibis à Scarabeo accipitris pulchritudinem participat*, id eſt luna à ſole, Dei pulchritudinem participat, nempe lucem. Talia illa Pythagoræ Symbolica. *Nudis pedibus ſacrifica & adora. Ab eo quod nigram caudam habet, abſtine: terreſtrium enim deorum eſt. A fabis abſtine. Dei figuram ne inſculpas annulo.* Sed relinquamus hæc iis, qui in iſtorum arcanorum ſacra penetrârunt. Ad rem igitur. pretioſa quidem Dei verbum margarita, ſed ſub hoc conchylio latere à me non impetro ut credam: nec lucem interpretamento ſuo, loco intulit Socinus, ſed radiantem potius veritatem caligine obnubilavit, quam pro meo modulo, diſſipabo, ſi potero. Suppono eum ſenſum, hîc probandū maximè

qui

qui ex germanâ verborum,& dictionis ſignificatione elicitur,quod proprium eſt ſenſus literalis. Hoc præmiſſo,contra allatas Socini gloſſas argumentor hoc pacto. Si ideo Deus dicitur ἐνεργῶν in Philippenſibus, quia illi ſanctiſſimis Euangelij præceptis moti, ad eorundem Euangelicam obedientiam, tum ludicra Apoſtoli admonitio: cavete jactetis vos ſervare præcepta Jeſu Chriſti, ac ſi non moti eſſetis, eorundem præceptorum ſanctitate. Etenim ſi non jactare, eſt agnoſcere, obedientiam, à Deo, ſive à præceptis ingeneratam eſſe, quæ aliter non movent, nec movere poſſunt, quàm ſuâ rectitudine & ſanctitate, ex lege oppoſitionis, jactare erit,obedientiam ſibi adſcribere, ſive quod præcepta Jeſu Chriſti ſerves, citra quod ſanctitate præceptorum,ad id movearis; cui jactationi & ſuperbiæ fruſtra occurritur, cum nemo tam demens eſſe poſſit, cui hoc in mentem veniat, ſe non ſervare præcepta Jeſu Chriſti, quia ſancta ſunt, cum ſecus ſervare ut prorſus eſt impoſſibile, ita ſimul ipſiſſimam formam vitiat, ut & de utroque ipſis obſervantibus probè conſtat. 2. Si ſic dicam, vos qui creditis Euangelicis promiſſis, quia vera & divina, cavete, ne exiſtimetis oppoſitum, & ſic ſupervacanea cautela, cum aliter Euangelicis promiſſis credere ſit impoſſibule. 3. Aut nulla eſt efficacia gratiæ & Spiritus, quâ Deus in cordibus operatur ſalutariter,aut hoc loco etiam illa inſinuata eſt: præter ipſos autem ſenſus verbo declaratos, efficaciam gratiæ & Spiritus eſſe, quæ ſenſus iſtos cordibus

dibus indat, non ſemel jam demonſtravimus in ſuperioribus: admiſſâ verô hac gratiæ & Spiritus operatione, non poteſt eſſe dubitatio, quin de eâ etiam, hoc Paulino teſtimonio agatur. 4. Præſcribendo, promittendo, miracula patrando, non operatur Deus velle & perficere, quia alioqui operaretur, in omnibus, quibus prædicatur, contra quod Chriſtus pronuntiavit Mat. 11. com. 25. nec poteſt ullus adferri locus, ubi dicatur velle & perficere in infidelibus operari. Sic Draco, Lycurgus, Solon, & omnes legum & juris conditores, legibus promulgatis ſubditis obedientiæ Spiritum ingeſſerunt, quamdiu leges illæ non abrogatæ. Hodierno etiam die Juſtinianus, Imperator Auguſtus, quia per digeſta juris omnibus gentibus & populis, Romano jure utentibus ingenerat legum obedientiam. Ulpiani Pauli, Marcelli, Pomponij & ante alios nominandus, magnificus & excelſus vir Tribonianus, per juris præcepta, quæ ſunt honeſtè vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere, juſtitiæ adhuc parentes ſunt, & efficaces authores conſtantis & perpetuæ voluntatis jus ſuum cuique tribuendi. Si per hanc viam humana excluditur gloriatio, tum à pari, per legem etiam operum excluditur; ea enim legis efficacitas in operantibus, quæ hæc Euangelij in credentibus. 5. Illa Scripturæ loca abhorrent ab hoc ſenſu, *quæ Chriſtum vitem dicunt; fideles palmites: palmitem in Chriſto non manentem areſcere; ſine eo nos nihil poſſe* Joh. 15. 5. *Chriſtum eſſe caput, fideles membra & corpus ejus* Eph.

Eph.1.& 4.*ex quo* ut habetur ibi com.16. *totũ corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente, pro menſurâ uniuscujuſque membri, incrementum capit corpori conveniens, ad ſui ipſius extructionem per charitatem.* Hæc nullam aptam ad Juſtinianum aut Tribonianum, in politicis virtutibus accommodationem habent. Ea quæ adfert de uſu verbi in opere regenerationis & novæ creationis morari nos non poſſunt, ex allatis de iis judicium fiat ab eo, cui noſtris perlegendis horas ſuas perdere non eſt grave.

Accedo ad alteram expoſitionem hujus nobiliſſimi loci quâ traditur primò ſenſum eſſe poſſe, *non humana figmenta eſſe, ea, quæ illis à ſe & ab aliis de Jeſu Chriſto propoſita fuiſſent; ſed divina myſteria, quibus eorum ſalus contineretur.* Sed hæc Pauli verbis obtruduntur, non ex iis eliciuntur; cui enim obſcurum eſſe poteſt, Paulum his verbis hoc non agere, ut probet pietatem Philippenſium, non humanam ἐθελοθρησκείαν eſſe, ſed voluntati divinæ inniti. Secundò quando ſcriptores ſacri, divinam authoritatem doctrinæ ſuæ aſſerere volunt, terminis ſatis perſpicuis, rem iſtam gerunt: ex quibus non difficulter intelligitur, id agi, ejus verò hoc loco indicia nulla. 2. Aut non intendit hîc Apoſtolus probationem divinitatis doctrinæ; aut ſimul omnibus iis eâ de re agitur, in quibus aliqua, aut Dei aut Chriſti mentio fit, cum de piis actionibus, aut ſanctis operibus, verba habentur.

Cultum voluntarium.

Secundum

Secundum poſterioris expoſitionis membrum eſt ſe & alios, qui Jeſum Chriſtum illis annuntiaverant, à Deo miſſos fuiſſe, non ſua ſponte veniſſe; quaſi verò Apoſtolus, hic operam ponat, in aſſerendâ authoritate ſuâ aut aliorum, quod dum facit ut quidem aliquando, non aliorum ſed ſuæ functionis authoritatem, contra obtrectatorum morſus munit, multa id palam loquuntur. Itaque λῆροι λῆρων, hæc potius, quàm genuina expoſitio. Negligit quæ ante pedes, & neſcio quid longè petitum rimetur, progneſiis quæ κίβδηλα & carcinomata. Nugæ. Quibus ſcoria admixta eſt.

Decimo loco ſibi objicit, id quod ſcriptum apud Paulum 2. Theſſ. 3. com. 2. Epheſ. 2. com. 8. Philip. 1. 28. 29. Antiquum hîc obtinens primò reſpondet ex priſco Pelagianæ gentis ritu, fidem in hominis poteſtate non eſſe, quatenus, niſi Deus per inſtrumenta aliqua, Chriſti notitiam largiatur, non poterit quiſpiam in Chriſtum credere, hoc eſt auxiliũ liberi arbitrij, in lege & doctrinâ eſſe: cujus doctrinæ futilitatem, prorſus extenuantem pondus promiſſionum, & bonorum Novo Fœdere contentorum aliquoties confutavi. Textum introſpexiſſe Socinum refutâſſe erit. Cum Paulus Theſſalonicenſibus ait, *non omnium eſſe fidem*, dictum nos voluit prædicationemEuangelij, iis quorum haut erat fides, non contigiſſe. Secundò in illuſtri illâ ad Epheſios Scriptura, in quâ egregius Apoſtoli tractatus, de immenſis gratiæ theſauris, quorum reipſa participes fideles Epheſij, nimium nugatorius ille,

ille, qui hoc externâ Euangelij prædicatione confectum putat, quæ communis iis, qui nunquam vivificantur, nunquam credunt in Chriſtum. Neque opus, ut tam ſolicitè doceret Apoſtol. Chriſti fidei patefactionem prærequiſitam eſſe, cum nemo ignorare poſſet fidem juberi, ex naturâ cujuſcunque legis, quæ præſcribitur, & ut vim legis habeat, promulgatur. Minimè ergo docuit Apoſtol. cum diceret. *Gratiâ ſervati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt:* non poſſe credi in Chriſtum, niſi lex fidei, prædicatione Euangelij promulgetur, & manifeſta fiat: hoc ipſum το credere in Deum & Chriſtum ſatis apertè monet. Accedit, quod cum Paulus gratias ageret, pro auditâ Epheſiorum in Domino fide, ut habetur Epheſ. com. 15. (gratias autem agit, pro fide quatenus Dei donum eſt) gratias non egit, pro ipsâ externâ prædicatione, aut auditu Euangelij ſalutis, ut eſt Eph. 1. com. 13. pro ſalutari ergo aſſenſu gratias egit. Nullo exemplo, nullâ ſcripturâ doceri poteſt, donatam fidem iis, aut gratias egiſſe Apoſtolum, pro fide eorum, quibus ſolummodo prædicatum, ea etiam gratiarum actio, ut apertè falſa non poſſet non pro ineptâ haberi. Fidei donationem, ut poſtrema ejus ad 10. hunc locũ habent, in ipſa conceſſione prædicationis Euangelij ſitam eſſe eo conatur probare, quod fides in Chriſtum ita donum, ſicut donum erat pro Chriſto pati Philip. 1. com. 29. Conceditur, pergat, aſſumit Paulum ut ex ipſo loco perſpicuum eſt, non velle dicere, Philippenſes jam
pati

pati pro Chtiſto (quippe inquit, qui illos , ut id faciant moneat) ſed illis datum eſſe, ut pati pro Chriſto poſſint, id eſt adverſariorum vexationes à Deo ipſis immitti. Contra hanc aſſumtionem rectius dixero, ex ipſo loco perſpicuum eſſe, Philippenſes jam pati pro Chriſto; firmant inſequentia verba, *quod animo teneam vos, & in vinculis meis*, firmant antevertentia com. 7. *Propterea & in defenſione & confirmatione Euangelij* συγκοινωνὺς μου τῆς χάριτος πάντος ὑμᾶς ὄντας, vide etiam com. 27. 28. ejuſdem capit. Etenim non ſolummodo paſſiones immittebantur ab adverſariis, ſed Spiritus etiam conſtantiæ, ut ex allatis manifeſtum iiſdem ſuggerebatur, ad immiſſas paſſiones, toleranter pro cauſâ Chriſti ferendas. Eo præterea probamus argumento, jam paſſos, cum iſta ſcriberet Apoſtol. quia affligebantur; affligi affirmat Prælector; quare negare non debuit pati, cum propriiſſimè ex vocis notione, pati ſit affligi, etiam recepto Script. more, in quâ Chriſti & fidelium vexationes, paſſiones nuncupantur. Chriſtus paſſus eſt cum afflictus eſt. Quoties fidelibus vexationes ob nomen Chriſti immittuntur, patiuntur uſitatiſſimâ Script. phraſi, videat cui volupe eſt Mat. 16. com. 12. Marc. 8. com. 31. Act. 3. com. 18. Act. 9. 16. 2. Cor. 1. 6. 2. Theſſ. 1. com. 5. 1. Pet. 2. com. 20. 1. Pet. 4. 15. 19. Mitto alia complura loca.

Vos omnes una mecū gratiæ meæ participes fuiſſe.

Concludo itaque quemadmodum Philippenſibus non poſſe pati, ſed pati datum erat, ita non datum poſſe credere, ſed credere.

Nihil etiam magis futile, quàm affirmare, poſſe credere dari, eo quod prædicatio Euangelij concedatur; cum de iis etiam, quibus prædicatur Euangelium, dicatur, non poterant credere Joh. 12. 39. Et ſi ex ſceleribus antecedentibus proficiſci poteſt, quod quidam ſint inter eos, qui verbum Dei audiunt, quibus vis illa interior, ſine qua credere non poſſunt, non conceditur, ut reſpondet ad ſequens argumentum. Joh. 6. 44. Quâ animi fiduciâ ergo affirmare poteſt, potentiam credendi, concedi prædicatione Euangelij.

In loco ad Theſſalon. 2. Epiſtol. cap. 3. com. 2. *non omnium eſſe fidem*, ait non ſignificare, non omnes poſſe credere, ſeu non omnibus datum eſſe ut credant, ſed ut verba ipſa ſonant, non omnes credere. Verùm argumento nullo idoneo docetur, *fidem non eſſe omnium*, idem eſſe, quod non omnes credere. ταυτοδυναμοῦντα hæc eſſe non oſtenditur: æquipollent potius, fidem non omnium, credere non omnium eſſe, ut res ipſa loquitur. Rerum dominia, eo loquendi genere ſignificari ſolent: Mævij plantam, Titij arborem eſſe dicimus; ita rectè fides neque omnium eſſe dicitur, quia ex titulo donationis, fides non pertinet ad omnes. Deinde facultas aut poteſtas rei alicujus, hac phraſi ſignificari ſolet, quomodo Demoſthen. Olynth. 1. τὸ μὲν οὖν ἐπιτιμᾶν φήσαι τις ἂν ῥᾴδιον καὶ παντὸς εἶναι, cujuſlibet eſſe. Ariſtoteles ſimiliter Ethicor. 2. τὸ μὲν ὀργισθῆναι παντὸς. Quare D. Beza in marginalibus N. Teſtam. annotavit, mirum non eſt,

Æquipollentia.

Dicet quis reprehendere facile & cuiuſlibet eſſe. Iraſci cuius vis eſſe.

tam

tam multis exoſum eſſe Euangelium, quum fides ſit rarum Dei donum: Eccleſia tamen multitudine malorum, nunquam peſſum dabitur, quoniam nititur Dei fidelitate. Unde apparet aptiſſimum hunc ſenſum ad verba hæc, *non enim omnium fides*, à me allatum habere accommodationem, ad ea quæ præcedunt & ſequuntur. Nihil verò adfert Socinus ſive ex antevertentibus ſive inſequentibus, quo ſuam horum verborum explicationem ſuadeat.

Quod verò ad alios locos attinet, fidem Dei donum eſſe confitetur, quæ confeſſio ſi ſyncera eſſet, litem finiret. Primò ait fidem Dei donum eſſe, ſed ita ut in poteſtate ejus, cui donatur ſit credere, vel non credere. At mi Prælector, non potentiam credendi, ſed ipſam fidem, Dei donũ agnoſcis: donatâ fide, non poteſt intelligi potentia indifferens eſſe ad utrumlibet, donatione enim divinæ gratiæ determinatur, & determinata ſe determinat ad credendum. Quando quis fide donatur, credere vult, & actu credit, & voluntatis poteſtate ad credendum utitur, unde venire dicuntur, qui Chriſto dantur à Patre Joh. 6. com. 37, & ex occaſione incredulorum ibidem dicitur com. 64. 65. neminem poſſe venire, niſi ei à Patre datum fuerit. Si incredulis poſſe venire datum non eſt, ſolis ergo credentibus conceditur. Quod ſi cum potentiâ actus concurrit & eam ſemper comitatur, fides non donatur, quæ nolendo repellitur. *Aloiſius Catarea, in concilio Tridentino damnabat illud, quod Deus convertat ad ſe homines, niſi recuſent & recalcitrent.*

calcitrent. Et cum ſolo replicaret, divinam inſpirationem, cui liberum arbitrium aſſentitur, ab hoc aſſenſu acquirere efficaciam, cui non aſſentitur, manere parum efficacem. Objiciebat Catarea Patrum & conciliorum Africani & Gallicani contra Pelagianos doctrinam ſemper prædicare, Deum operari illud velle in electis, quod tantundem eſt ac ſi dicerent, Deum efficere ut conſentiant. Quare cum aſſenſum in nobis operetur, illum efficaciæ divinæ imputandum, alioqui Deo nihilo magis devinctum qui ſalvatur, quàm qui damnatur, ſi à Deo ex æquo, cum utroque ageretur. Fidem humanæ poteſtatis eſſe, eo probat Socinus argumento, quod reliquis gravius punientur, qui Euangelio ſibi annuntiato, non credunt: quo argumento non multùm commovetur, qui novit neceſſitatem peccandi peccato contrahi. Omne autem peccatum, hoc ipſo, quod peccatum pœnæ meritorium. Dico ſecundò Socinum pro certo affirmare non poſſe, iis, qui ob Euangelium rejectum puniendi, fidem donatam eſſe, quia Deus potuit in illorum pœnam velle, ne poſſent reſipiſcere: potuit recta faciendi & prava vitandi amor ac ſtudium iis defuiſſe, quæ cauſa & fundamentum fidei *Socin. Eph. 7. Theſſ. de causâ & fundamento in ipſo homine ejus fidei in Deum, quâ hominem juſtificari ſacræ literæ teſtantur.* Hos incredulos probitate præditos non fuiſſe, per doctrinam Socini oſtenditur. *Qui animo eſt pio, facillimè, vel potius omnino Dei verbis aſſentitur 2. ſect. hujus cap. Rurſum in tractatu loci ſequentis, poſt prædicationem vis præcipua in audientium probi-*

tate conſiſtebat, quæ per prædicationem quodammodo excitabatur. Nam qui probitate aliquâ, quæ ſecundum Deum eßet, erant præditi, Chriſti prædicationem, pro divinâ agnoſcebant, eique aſſentiebantur, & proinde facilè fiebat ut ad Chriſtum irent. Rurſum paulo poſt. At verò qui improbi erant, doctrinæ illi divinæ, ſuis moribus & inſtitutis prorſus contrariæ, aßentiri non poterant, & propterea nec ad Chriſtum ire. Dicendum ergo Socino potius, potentiam credendi non habuiſſe, tum quia interno vitio defuit; tum quia Socino præeunte, potuit Deus nolle dare quia improbi erant: quæ improbitas non tantùm ablatæ, verùm etiam nunquam collatæ potentiæ, cauſa eſſe potuit. Nemo ergo, niſi fidei prodigus, Socino aſſenſum facilè præbebit.

Dices incredulitas quæ neceſſaria interno vitio increduli, non poteſt mereri pœnam præponderantem pænis eorum, quibus non eſt prædicatum: quod ſi hoc voluiſſe putas, non adſerendum ſed demonſtrandum fuit. Tum verò αὐτολεξεὶ habetur in his locis, qui rejiciunt Euangelium, gravius eſſe puniendos, nemo ergo de eo dubitare poteſt: arbitrii autem ἰσύῤῥοπον, hinc inferre, ne Socini quidem doctrina patitur, neq; etiam induratorum adverſus Euangelium contumacia pænas levat. Ad verbum Æqualiter vergens.

Poſtremò ſimili ſententiam ſuam de dono illuſtrat. *Pecunia ex merâ liberalitate oblata, donum eſt, etiamſi ſit in poteſtate ejus, qui accipit, pecuniam accipere vel non accipere.* At non eſt difficilis reſponſio, quia comparatio non qua-

drat ad id,quod inſtitutum. Similia ſunt pecũnia oblata & Euangelium oblatum : Similiter pecuniam oblatam accipere & Euangelio annuntiato credere. Ibi liberalitas donantis tantum in oblatione non in receptione conſiſtit: hîc potiſſimûm in ipſo recipiendi actu,& quẽadmodum nemo dixerit ipſum recipere oblatam pecuniam donũ offerentis eſſe ; ita propter oblatum ex gratioſâ liberalitate Euangelium, nemo rite fidem Dei donum dixerit.

Undecimò vertit ſe ad heroicum illum locum Joh, 6. com. 44. *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Socinus hunc locum verſans , parum feliciter , divinos inſignis loci ſenſus aſſecutus videtur. Primum ad infirmandum argumentum , quod ſumitur ex divino tractu pro certitudine fidei inde promanante, concedit tractum quidem neceſſarium ad aſſenſum fidei; fidem verò ex tractu neceſſariò eſſe, minimè. Præmittimus ex tractâtu XXVI. Auguſtini expoſitionum, in Euangelium Joh. *Magna gratiæ commendatio .nemo venit niſi tractus. Quem trahat,& quẽ non trahat: quare illum trahat, & illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.* Rurſus ibidem *Quid hîc dicimus fratres? ſi trahimur ad Chriſtum, ergo inviti credimus, ergo violentia adhibetur , non voluntas excitatur. Intrare quiſpiam Eccleſiam poteſt nolens , accedere ad altare poteſt , accipere poteſt ſacramentum nolens, credere non poteſt niſi volens.* Hæc adferre non piguit ut patefaciam, qualem hîc tractum intelligamus , ad quem voluntarium ejus aſſenſum ſequi, qui trahitur,

cum

cum affirmamus, non hoc volumus, expreſſè verba illa, concluſionem hanc efficere, eos qui trahuntur venire: verba tantùm ſonant, tractum Patris eſſe neceſſarium, ut quis veniat ad Chriſtum; interim ex iiſdem hoc alterum rationabili neceſſitate conſequitur. Dixit Chriſtus com. 39. quoſdam ſe vidiſſe, & non credere: cui offendiculo opponitur à Patre datos venire. Rurſum murmurantibus Judæis occurrit, ſolos à Patre tractos, venire poſſe: de hoc tractu ait, com. 35. ſcriptum in Prophetis, *erunt omnes docti a Deo*: ij verò à Deo docti, qui à Patre audiverunt & didicerunt. Nihil eruendo adjicimus, luculenter hæc propoſuit Euangeliſta Sanctus. Vides perſpicuò, dari, trahi, doceri, audire, diſcere, non aliorum quàm ad Chriſtum venientium eſſe.

Secundò admittit non omnes trahi hoc tractu, ſed cauſam ponit in malis eorum meritis, qui non trahuntur. Verùm quidem, peccata eorum, qui non trahuntur, indignos facere eos gratiâ, quâ trahit efficaciter Deus; ſed cauſa diſcretiva non ſunt, cur hic trahatur, ille non trahatur, quia aut non diſtinguuntur, aut gratia diſtinxit. Probitatem aut improbitatem in hominibus reſidentem, non eſſe normam divinæ voluntatis, quâ illa ſe regulat, in diſpenſatione gratiæ efficacis, probatur evidentiſſimè. Primò decretum non fecit Deus, nec legē condidit, de probis trahendis: firmatur; quia non trahuntur omnes probi, cujus cauſa, nullo modo eſt voluntas ejus, qui non trahitur, (probus enim eſt ex ſuppoſitione Prælectoris) ſed

ſola voluntas Dei non trahentis. Probos omnes non trahi, & quidem eam ſolam ob cauſam, quia Deo eos trahere non eſt viſum, docet Prælector, cum ad inſequentem locum ita ſcribit. *Caterum cum eos oves Chriſti appellari dicimus, qui ad ipſius doctrinam ex animo amplectendam, ſunt accommodati, non omnes prorſus, ejuſmodi homines intelligimus; ſed eos, quos jam Deus decrevit, per Euangelij prædicationem, ad Chriſti cognitionem vocare:* non omnes inquit prorſus ejuſmodi homines intelligimus. Non ergo lex extat, de trahendis omnibus. cap. 2. Prælectionum, ſub finem idem propoſuit. *Itaque verum quidem erit, eum qui ad Deum accedere velit, id eſt, eum ſibi ſingulari, ſeu non vulgari (ut ita dicam) ratione propitium experiri, oportere omnino credere Deum eſſe: & ſi hoc deſit, ſive quia Deo ſe patefacienti, fidem adhibere noluerit, ſive quia ei ſe Deus, nullâ ratione patefecerit, iſtum minimè ad Deum acceſſurum.* Huc pertinet etiam quod Smalcius habet cap. 19. lib. de divinitate Jeſu Chriſti, ubi de regno Chriſti in terrâ. *Regnum Chriſti in homines, conſiderari poteſt, duplici modo: Aut enim in eos reipſa extenditur: aut in eos extendi poteſt. In quos Chriſti regnum reipſa extenditur, ii duplices ſunt: nam aut Chriſti populus ſunt, aut non ſunt, ſed tamen populus ejus eſſe potuerunt; vel ut populus ejus eſſent, facultatem & occaſionem habuerunt.* Ex quibus apertè colligitur, eos, in quos Chriſti regnum non extenditur, ſed extendi tantùm poteſt, nec Chriſti populum eſſe, nec eſſe potuiſſe; quia facultas & occaſio defuit. Et ſi facultas

cultas defuit, in cauſa eſt, quod aut probi eſſe non potuerint; aut cũ eſſent, facultas defuerit audiendi Euangelij, & ſic trahi non potuerunt, non quia ipſis ut traherentur, ſed Deo qui trahere noluit, voluntas trahendi defuit.

Secundò probatur propoſitio, Deum decretum non feciſſe, neque legem tuliſſe, de probis trahendis; quia non ſoli illi imaginarij probi trahuntur, verùm etiam impij. Hunc etiam clypeum, noſter mihi aptat, dum ſcribit ad locum Act. 13. *Poſſe improbos quoque, quibus Euangelium prædicatur, ordinatos dici ad æternam vitam; quatenus inquit Deus, vult eos per ipſam Euangelij prædicationem, ex improbis probos efficere, quod Prælectori eſt trahere.* Cum itaque multi probi non trahantur, improbi trahantur, quomodo dici poteſt, illos trahi, quia probi ſunt, illos non trahi, quia improbi ſunt. Reſpectu ergo eorum, cogitur velit nolit noſter, fateri, nullas eſſe partes hominis, ſed ſolius divinæ voluntatis. *Auguſtin. Epiſtol.* 105. *cur ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, idem ambo vident, altitudo eſt divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, cujus inſcrutabilia ſunt judicia; & apud quẽ non eſt iniquitas, dum cujus vult miſeretur, & quem vult indurat: neque enim iſta injuſta ſunt; quia occulta.* Dices ſit ita, multos probos non trahi, multos improbos trahi, nihilominus obtineri poteſt, aliquos trahi, quia probi, aliquos non trahi, quia improbi. Id ſi recipiatur, in duplici differentiâ ſtatuendi erunt, qui ſalvantur, & in ſtatu peccati & condem-

 nationis

nationis relinquuntur. Primi generis erunt, quorum in prædeſtinatione & reprobatione, nullæ partes, ſed ſolius divinæ voluntatis & liberrimæ poteſtatis. Secundi generis erunt hi, ad quorum arbitrium, totum negotium devolvitur. Ex hac opinione emergit Caſſiani dogma, quod Proſper recenſet cap. 40. adverſus collatorem. *Cum pars Eccleſiæ ex gratiâ, pars autem ex libero juſtificetur arbitrio, glorioſiores ſunt, quos natura provexerit, quàm quos gratia liberarit.* Sed vix crediderim ex mente Prælectoris, ſalvandos & condemnandos, ſic diſtinguendos, qui rem totam à bonâ & malâ hominum voluntate ſuſpendit, hoc enim iſta volunt. Atque hac ratione, & ſalus & condemnatio, non ſoli decreto, ſed hominis quoque aut bonæ aut malæ voluntati adſcribenda erit, quæ ſua ſuis ipſe principiis jugulavit.

Si quis tamen prius illud amplectatur, quoſdam trahi, quia probi, quoſdam non trahi quia improbi, premetur Scripturis iis, quæ docent rationem ſalvationis & rejectionis omnium uniformem eſſe; nimirum Dei voluntatem. Nam ut præclarè *Auguſtin. Epiſtol. c. 5. Ubi quia univerſa iſta maſſa meritò damnata eſt, contumeliam debitam reddit juſtitia; honorem indebitum, donat gratia.* De hac divinâ prædeſtinatione, nunc nihil adfero, quia poſtmodum non nihil delibandum erit de iis, quæ copioſiſſimè à Doctiſſ. viris diſputata ſunt. Probatur ſecundo nullos trahi, quia probi ſunt; quia nemo probus, hoc eſt ita probus, ut ſit aptus & accommodatus, intellectu, voluntate, affectibus

ad

ad credendum, antequam trahitur, ſed trahitur ut talis ſit. Neminem probum eſſe, antequam trahatur, oſtenditur ex iis Scripturæ locis, quæ deſcribunt nobis omnium & ſingulorum hominum pravitatem, extra hanc gratiam conſideratorum. Sacri codicis deciſiones audiamus. *Non eſt juſtus ne unus quidem. Non eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum, omnes deflexerunt ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat quod bonum eſt, non eſt uſque ad unum Rom.* 3. *com.* 10. 11. 12. *In peccatis ſunt, Rom.* 6. *com.* 1. *Veterem hominem habent & corpus peccati com.* 6. *Servi peccati ſunt* 17. 20. *Carnis ſapientia adverſus Deum inimicitia Rom.* 8. *com.* 7. *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Sunt in peccatis mortui, Eph.* 2. 1. hic enim ſenſus verborum Pauli, ut expreſſè Coloſ. 2. 13. Quid egerunt antequam Deus, qui dives miſericordiâ traheret! Paulus reſpondet, *verſabantur in cupiditatibus carnis, facientes quæ carni & cogitationibus libebant*, eadem planè ratione ad Tit. 3. com. 3. & alibi in hanc rem efficacia 1. Cor. 6. 11. Eph. 4. 22. Col. 2. 13. Operosè Epheſis inculcat Paulus cap. ſecund. hos nulla bona opera habuiſſe, quæ hunc vivificum tractum anteceſſerunt, *ipſius inquit opus ſumus, conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus ut in iis incederemus com.* 10. Nulla profectò hic major aptitudo eſt ad fidem Euangelij, quàm quæ eſt injuſtitiæ ad juſtitiam, ſive tenebrarum ad lucem. Tertiò ſi daretur quoſdam trahi quia probi ſunt, ſalus ex operibus aut ſecundum opera eſſet, & ut

Patres

Patres loquuntur *gratia daretur ſecundum merita*. Hoc enim Patribus eſt, gratiam dari ſecundum merita Hanc prædicationem probitatis ante tractum divinum damnant nominibus meriti, naturæ, arbitrij, humanæ gloriationis, bonum velle incipere, ex nobis eſſe initium fidei; quod innumeris locis probari poſſet ſi id ageretur. Id abunde præſtiterunt multa Eccleſiæ lumina, ſoli facem accendere ſuperſedeo. Jam verò vocationem ad communionem ſalutis, ex operibus aut ſecundum opera eſſe, dici non poteſt niſi errando contra evidentia Scripturæ teſtimonia Eph. 3. com. 8. 9. 10. *Gratiâ ſervati eſtis per fidem: & hoc non ex vobis Dei donum eſt. Non ex operibus, ne quis glorietur: nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Jeſu ad opera bona, quæ præparavit Deus, ut in iis incederemus.* 2. *Tim.* 1. *com.* 9. *Qui ſervavit nos & vocavit vocatione ſanctâ* οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν. *Tit.* 3. *com.* 5. *Non ex operibus juſtis quæ fecerimus nos, ſed ex ſuâ miſericordiâ ſervavit nos.* Quartò exordium ſalutis per hanc ſententiam ab homine fit. vetat id Paulus Rõ. 11. com. 35. *Quis prior dedit ei!* contradicit Johan. *in hoc non eſt charitas, quod nos Deum dilexerimus, ſed quod ipſe dilexerit nos* Epiſt. 1. cap. 4. com. 10.

Dixi etiam improbitatem non eſſe cauſam, cur non trahantur, qui non trahuntur, quod non aliter accipi peto, quam improbitatem non eſſe cauſam diſcretivam, cur hîc potius non trahatur quàm ille: neque ita improbitatem eſſe cauſam ut eâ remotâ per liberum arbitrium facere poſſit homo ut trahatur, quod

utrumque

utrumque jam ſatis demonſtratum puto. Poſtremò ponatur rem ita ſe habere, ut in quorundam ſalute & interitu Dei ſint partes, in quorundam arbitrii, ut ſupra propoſuimus, tum vacillabit ſemper judicium, ut neſcias Dei an arbitrij ſint partes. Exempli causâ cum probus trahitur, dubium erit, an trahatur quia probus, an quia Deo ſic placuit. Viciſſim cum improbum non trahit, an non trahat, quia improbitate ſeipſũ à tracto diſcrevit, an verò cũ nihil tale ſit, ex liberrimo & juſto voluntatis ſuæ placito. *Ut ſtat & incertus, quà ſit ſibi neſcit eundum, Quum videt ex omni parte viator iter.*

Sed ut tandem nos expediamus, mitto & pergo. *Hac ratione inquit ſalus & condemnatio nõ ſoli decreto, ſed hominis quoque aut bona aut mala voluntati adſcribenda erit.* Hoc verò quo ſenſu accipiendum vel non accipiendum ſit, capiatur ex dictis. Verba ad compendium conferã. ita ſalus & condemnatio ſoli decreto adſcribenda, ut cur hic trahatur, ille non trahatur, in diſcretivis hominum voluntatibus inveniri nõ poſſit (omnes enim Deo ut peccatores objiciuntur) ſed in ſolo Dei beneplacito. Quare illum trahat, illum non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare, ut Auguſtinum rectè dicentem ſupra audivimus.

Duobus urget incommodis, quæ cum hoc ſeculo vexata ſint, ſi quid aliud, jam è trivio petuntur. Videri poſſunt paucula de hujus primi conſequentia cap. 6. refutat. Nunc tantum dicam inconſideratè illi excidiſſe, ſi Chriſtus

ad

ad ſolum Dei decretum omnia retuliſſet, fruſtra locutum eſſe. Quid audio, fruſtrane locuti Prophetæ de adventuChriſti,qui abſoluto Dei decreto prædeſtinatus?Fruſtrane eccleſiæ orant pro converſione hominum, quam tamen ex Dei decreto omnibus expoſitam contendunt? Fruſtrane Eſaias miſſus eſt, ut excæcatis &induratis Judæis prædicaretEſa.6?Doctrinâ illâ de patris tractu, auditores ſuos non deterruit à conatu veniendi,ut inſuſurrat Socin:non fideles, nam hic genius ejus doctrinæ non eſt. Chriſtus ſua omnia, ad tale Patris decretum, ratione cujus ſalus & obedientia neceſſaria, retulit, tantum tamen abeſt, ut doctrinâ illâ, ab obedientiæ curſu ſit deterritus, ut potius illâ ad obediendum ſit animatus & impulſus. Unde illi promta illa, ad deponendã animam, pro ovibus ſuis,voluntas. *Hoc mandatum inquit accepi à Patre meo* Joh. 10. com. 28. *Annon bibam poculum, quod dedit mihi Pater?* 2. Subſunt iſtiuſmodi decreto Dei electi angeli, nequaquam tamen in conatibus obediendi & adorandi eum, qui angelos facit ventos, & miniſtros ſuos flammam ignis, obtorpeſcunt. 3. Non Apoſtolos, poſtquam conſtabat illis de decreto Dei, ſecundum quod gentibus & populis prædicari debebat Euangelium, in ſtudio Apoſtolatus, fecit ſegneſcere. 4. Non poteſt oſtendere Prælector ex ſacrâ ſcripturâ, tam fædum conſequens, ex iſtius antecedentis naturâ eſſe, nec exemplo ullo; aut quemquam fidelium Chriſti auditorum, iſtâ doctrinâ Chriſti à conatu ad ipſum veniendi

fuiſſe

fuiſſe deterritum. 5. Aut doctrina hęc non gignit pravos illos fructus, aut doctrina de legis ſervandæ impoſſibilitate; de punitione peccatorum per peccata, de indurationis indiciis; de doctrinâ reprobationis, ut ab adverſario docetur, cum iiſdem difficultatibus luctabitur. Patet, quia cauſa difficultatis eſt communis. Cur ex doctrina Chriſti ſic conſideratâ, tam horridum conſequens deduci putat? ſanè quia neceſſitas quædã introducitur. Quando Chriſtus prædicat ſceleſtis, Deum in ipſorum pænã nolle eos poſſe reſipiſcere (nam hoc tanquam membrum doctrinæ Chriſti propoſuit) non audebit tamen, aut fallor, dicere aut Chriſtũ fruſtra ſic locutum, aut a conatu veniendi deterruiſſe. Pari ratione ſuſtinere poſſumus, Chriſti doctrinam, ob hoc de quo agimus, dogma, conatum veniendi in infidelibus non ſuſtuliſſe, non propter hanc Chriſti doctrinam ſunt increduli, quam totam prophanâ & ſupinâ negligentiâ contemnunt, ſed ſuapte pravitate in incredulitatem feruntur.

Alterum ejus conſequens eſt, iſtiuſmodi decretum ad excuſandum incredulitatem facere. Tranſeat, iiſdẽ immorari cogitationibus tædio plenum eſt. Impugnatâ loci ſententiâ ſuam jam adfert. Non minus mirabilis interpretatio, quam virgiliana illa arbor de qua ſexto Æneid. *ſed non ante datur telluris operta ſubire, auricomos niſi quis decerpſerit arbore fœtus. Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerſina munus, instituit: primo avulſo non deficit alter, aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.* Hermeticæ medicinæ artibus

aurum

aurum arboreſcere poteſt,ſed hæc evolvant ſecretiores Philoſophi, quorum parens & princeps Hermes Triſmegiſtus dicitur, illæ animæ, quæ quintam rerũ eſſentiam, elixir, aurũ potabile, lapidẽ cælumq; philoſophorũ devorarunt.

Negligit Socinus quæ ante pedes ſunt, & neſcio, quas lange petitas & peregrinas interpretationes imaginatur, ſed non in bicipiti Parnaſſo. Quam intricat & involvit, quod compendio & ſine tot flexuoſis ambagibus melius expeditur! Adfert non abſimilia iis, quæ in locum ad Philipp. commentus eſt. Ait mentem Chriſti in illis verbis, videri eſſe confirmare divinitatem doctrinæ ſuæ. At aliud ergo ſenſit aliud dixit Chriſtus. Verba longè aliter tinniunt: non agunt de doctrina Chriſti, ſed quod ad credendum in Chriſtũ, trahi à Patre, neceſſarium ſit: Ex ſermone de mente judicandum; ſermo animi index eſt. Protulit quidem Chriſtus hæc verba, ea occaſione, quia murmurabant Judæi, quod dixerat ſe eſſe panem, qui de cœlo deſcenderat: cujus murmurationis cauſa, quod Chriſtus filius Joſephi exiſtimabatur, unde illis repugnantiæ ſpecies, quam ſolvere non poterant, exoriebatur, at non ut doctrinæ ſuæ divinitatem confirmet, ſed ut λευκάδι φωνῇ λαλεῖ, hoc eſt apertè & perſpicuè loquitur Chriſtus, ut fontem veræ fidei, & agnitionis ſui aperiat, ac ſi dixiſſet, fieri non poteſt, ut quiſquam quis ſim, qualis ſim, unde ſim, ſciat, & ſic ad me veniat, niſi à Patre trahatur ad me. Illud traxerit, miris modis trahit retrabitque, ſequamur. *Primò à Patre trahi, eſt illi*

rebus

rebus divinis ac cæleſtibus trahi, vel quod ſecundum ejus interpretationes in idem recidit, *Pater trahit hoc ipſo, quod promulgat doctrinam, fide amplectendam.* Contra has merè Pelagianas ſanctiſſimi textus corruptiones, in quibus nulla vis interior Spiritus, nullæ partes Spiritus Sancti agnoſcuntur, ſed tantummodo externa Euangelij doctrina videri poteſt. 3. 4. 5. argumentum ad locum Philipp. 2. primum argum. Ad locum Ezech. 4. tum ibidem. Si hæc digniſſima Euangelij axiomata, ex mente Socini reſolvas, quid prodit! neminem Chriſti doctrinam amplecti, quin ſimul eo ipſo cæleſti & divinæ doctrinæ Patris credat: vel doctrina mea eſt divina, & qui ei aut mihi credit, Dei Patris doctrinæ fidem habet. Certè quidlibet ex quolibet poteſt fieri, aut hoc non eſt ſenſum loci recludere: Me tacente res ipſa loquitur: lectores judices fero. Profecto quoties Chriſtus de divinitate doctrinæ ſuæ agit, eam Dei & Patris ſui eſſe, clariſſimis enuntiationibus, apud hunc ſanctiſſimum Euangeliſtam id fecit, Joh. 5. com. 43. *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me.* Johan. 7. v. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed ejus qui miſit me* & com. 29, *ego verò novi eum, quia ab ipſo ſum, & ille me miſit.* Secundò ait Deum per prædicationem Euangelij, omnes velle trahere, etiamſi non trahantur; vellet ergo trahere, ſi vellent trahi. Pergo, potuerunt ergo ex ſuppoſitione Socini velle trahi, antequam traherentur. *Quis trahitur ſi jam volebat? & tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris*

 modis

modis ut velit, ab illo qui novit intus, in ipſis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. Auguſtin. contra 2. Epiſtol. Pelagian. lib. 1. cap. 19. Hoc Pelagianum dogma impetitur iis, quę ſupra diſputavi, contra proborum tractum. Simul etiam hæc adverſarij aſſertio contravenit Scriptur, quæ gratiam regenerationis, & vivificationem, primam & ſupremam ponunt omnis boni ſalutaris in homine originem. De hac re in ſacris Joh. 8. com. 36. Joh. 15. com. 5. Rom. 6. 5. 6. Eſa. 44. 3. 4. Rom. 7. 6. Rom. 8. 5. 1. Cor. 6. 11. 1. Cor. 2. 15. Eph. 2. 10. Eph. 4 24. Col. 1. 9. 10. Tit. 3. 5. Iſtis locis habetur, quod demonſtrare intendimus: in pleriſque exertis verbis hæc gratia inſinuatur, in aliis vocibus æquipollentibus explicatur, & ut judex ille varius, aut hoc ſatis, aut vix adferam, quæ mea tenuitas, quod ſatis eſſe poteſt. 2. Contra doctrinæ ſuę hypotheſes adfert, Deum velle trahere, quem non trahit. Rogo unde hoc ſciat, Deum velle trahere improbos, quos non trahit, cum toties docuerit, improbos puniri à Deo ſubſtractione gratiæ, ex juſto Dei judicio peccantibus, quandam peccandi neceſſitatem imponi, quos Deus in pœnam non vult poſſe reſipiſcere, illos non vult trahere, ut trahantur & reſipiſcant; hæc major certiſſima eſt. At poteſt hoc in pœnam improborum velle, ergo pro certo affirmare non poteſt, niſi contradicentia illi ſimul vera ſint, Deum improbos, quos non trahit, velle trahere: nam de

improbis

improbis omnino intelligendus cum dicit, velle Deum trahere, quos non trahit. 3. Non dicit Chriſtus, neminem venire poſſe, niſi Pater velit trahere, ſed niſi quem trahit, etiamſi ergo vellet trahere non traheret, non haberetur poteſtas veniendi. 4. Si trahit Pater Euangelij prædicatione, & velit trahere eos, quibus curat prædicari Euangelium, eos non trahit, quibus non prædicatur, nec trahere eos vult, quia non curat eis prædicari Euangeliũ, eam ſolam ob cauſam, quia non vult, non habitâ ratione probitatis aut improbitatis, ut paulo ante commonſtravi. Pergo, ſi Deus multos ex abſolutâ voluntate trahere non vult, vel non curare, ut iis Euangelium annuntietur, ij ſane non habent liberum arbitrium ad fidem & æternam vitam, ac proinde iis ut cum Prælectore loquar, totum negotium ſalutis, ex Dei voluntate pendet. Si regeras, trahit Deus inſito diſcrimine juſti ac injuſti, ut faciant quæ legis, aut trahere ita vult, hoc eſt fecit ut ſitum in omnibus hoc ſit, ut cognoſcant & fateantur, juſtum injuſto anteponi debere. Sit ita, hoc difficultatem non exhaurit, cum Deo ſtatutum non ſit, trahere aut velle trahere Euangelij præconio, quos ita traxit per naturam, ut patet per factos diſcurſus.

Ex iis quæ huc uſque congeſſimus, patere etiam poteſt, quomodo accipiendum illud: *docti à Deo*, & quæ ſequuntur, quo pacto ejus expoſitioni & cum veritate & cum ſuâ doctrinâ conveniat. Non bene conveniunt nec in unâ ſede morantur. Magnâ licentiâ torquet

hæc verba. Senſum ſanctiſſimum, prędicationi gratiæ conſonum, Novi Fœderis nucleum, relicto externo doctrinæ cortice, quantum poteſt eliminat, quemadmodum olim Ariſtophanes JovemSabarium, a Jehova Sebaoth ut nonnullis placet, Ethnicâ vanitate ortum, ut peregrinum & civitate ejiciendum vexavit, teſtante id Cicerone *lib. ſecund. de legibus*. Præſul ille Hipponenſis, hunc locum expoſuit. *Omnes regni illius homines, docibiles Dei erunt, non ab hominibus audient. Et ſi ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur, intus coruſcat, intus revelatur. Quid faciunt homines forinſecus annuntiantes, quid facio modò, ego cum loquor? Strepitum verborũ ingero auribus veſtris. Niſi ergo revelet ille, qui intus eſt, quid dico, quid loquor? Exterior, cultor arboris: interior eſt creator.* Et mox poſt jam allata. *Erunt omnes docibiles Dei: trahere Dei eſt. Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me, trahere Dei eſt.*

Quamquam autem doctrinã Euangelicam annuntiando trahat Pater & trahendo annuntiet, nã hæc ipſiſſima ni fallor, adverſarii mens: mox tamen, præcipuam trahendi vim, in interiori quadam vi, in ipſis hominibus reſidente, hoc eſt in ipſâ hominum probitate, ponit, quã theſin, jam dicta confutant, quæ non repetam, ne his prorſus immoriamur. Vim abſtrahentem in hominibus concedo: eſt enim hæc natura corrupta vitio carnis, ſemine incredulitatis gravida, quæ quamdiu per gratiæ efficaciam non corrigitur, non poteſt non producere ejuſmodi infælices fructus: neque tamen proptea

rea

rea Deus, cauſa incredulitatis, quia gratiam credendi non confert. Sol occidens propriè loquendo non eſt, cauſa tenebrarum, quamquam tenebræ ad ejus accaſum conſequantur. Gratiæ negatio cauſa poteſt dici per modum non removentis prohibens. Ex negatione tractus, ſequitur Deum, nolle conferre gratiam, quâ crederetur, ſi conferret Deus, obex & impedimentum fidei removeretur, quod eſt pravus habitus inhærens. Decretum autem, ad quod referenda incredulitas, eſt decretum de non conferendâ gratiâ; quod Chriſtus hîc docet cum ſubindicat, quoſdam trahi, quoſdam non trahi, tale autem ſæpius ipſe Prælector confitetur, & ſecundum judicia juſtæ ſeveritatis, peccatoribus, quandam peccandi neceſſitatem impoſitam eſſe.

Ex eodem Euangelio deinde citat Joh 7.7. *Si quis voluerit voluntatem ejus, qui miſerit me facere, cognoſcet de doctrinâ &c* cap 3. com. 19. *Hoc eſt autem judicium, quia lux venit in mundũ.* Et quæ cap. 8. v. 46 leguntur. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Sed ad quid hæc improbitatẽ incredulitatis cauſam eſſe non negatur, ſed interim non concluditur, quod rationibus effici debebat, in poteſtate arbitrii ejus eſſe, qui eſt improbus, Dei voluntatem facere, diligere lucem, ſi velit, aut ſecus ſi nolit, cum hoc totum dicatur etiam, de iis quæ ſe in peccandi neceſſitatem conjecerunt, etiam tum cum illis iſta incumbit neceſſitas, quod toties repetere cogimur. Præcipuam fidei radicem, in naturâ locans, Socinus erroris præſidium in-

primis quærit ex verbis illis, *ex Deo eſſe.* Hic ſe probitatē inveniſſe, ex antitheſi probat, *ex diabolo eſſe*, quod eſt improbum eſſe: eodem ſenſu in priore Iohan. legi, *ex Deo, non ex Deo eſſe, ex Diabolo, ex maligno eſſe.* opponi iſta duo non nego, ſed rationem oppoſitionis, ex normâ divini verbi ſic non concipiendum eſſe dico; eſt enim decentiſſima oppoſitio inter eos qui electione, quæ ſe per vocationem efficacem exerit, qua Spiritus regenerationis donatur, ex Deo ſunt & eos qui ex maligno ſunt. Ita legitur in defenſione Feri, qui ad illa verba, *& alium Paracletum dabit vobis Joh.* 14. *com* 16, *Spiritu credentes certificari velut arrhabore & pignore,* quam aſſertionem Dominicus Soto ut Lutheranis abblandientem reprehenderat, *aſſerentibus, quod omnes credenies certi ſint ſe eſſe in gratiâ,* ibi inquam referente Sixto Senenſi libr. ſexto Bibliotecæ ſanctæ annotatione ccx inter alia ſic legitur. *Aut quomodo Chriſti oves, ſui paſtoris vocem & internum ſibilum non audient? aut quo pacto filius cariſſimi parentis non cognoſcit loquelam?* profecto apud Joh. Chriſtus clamavit. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.* Sed id rationibus quod queritur, confirmemus. Dico igitur antitheſin ſic inſtituendam reò credo valent Joan. hac dere ſermones: ille non agit de probitate, quâ probi quidam ante acceptam gratiam, aut ad eam accipiendā, à natura aut ſuopte ingenio facti, ſed de juſtis qui regenerationis gratia ex Deo & Dei filij; ut res oculis conſpicua ſit integrum locum tranſcribam. Extat epiſt. 1. cap 3. com 7. & ſequent. *Filioli nemo vos ſeducat,*

cat, qui exercet juſtitiam,juſtus eſt ſicut ille juſtus eſt. Qui dat operam peccato, ex diabolo eſt; quoniam à principio diabolus peccat. Ad hoc patefactus eſt Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli. Quiſquis natus eſt ex Deo, peccato non dat operam, quoniam ſemen ipſius in eo manet nec poteſt peccare, eo quod ex Deo natus eſt. Per hoc manifeſti ſunt filii Dei & filii diaboli,quiſquis non dat operam juſtitiæ, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum. Opponuntur ut vides, juſti, ex Deo nati, Dei filii, iis, qui dant operam peccato, ex Diabolo ſunt, filiis Diaboli, qui non dant operam juſtitiæ. & ex Deo non ſunt. Ex Deo ergo ſunt, ex Deo nati, & filii Dei. Et cap. 4. v. 4. *Vos ex Deo eſtis filioli & viciſtis eos.* opponuntur qui ex mundo ſunt. *Scimus nos ex Deo eſſe, & mundum totum in malo jacere* 2. Adverſarii expoſitio non poteſt eſſe vera, quia non entis eſt, vide ſis ante diſputata.

Ad hanc probitatem perſuadendam, quam etſi validis deſtitutus argumentis ſine modo tamen inculcat, trahit etiã illud inſigne divinæ quâ ſalvamur gratiæ præconium com. 65. *Nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum* ἐκ τοῦ πατρός μου: Ex Patre vult legi ut habent hic verba, de quibus diſputatur. Fruſtra hæc adſeruntur: dari à Patre Latinè dicitur: dari ex Patre durum Latinis auribus nec Græca ſic volunt: nam præpoſitio græca, vel per ex vel per à verti poteſt, prout res de quibus ſermo inſtituitur variant Homer. iliad. β. τιμὴ δ᾽ ἐκ διός ἐστι, honor à Jove, Ἐκ πολλοῦ χρόνου, à longo tempore. Notat Henricus Stephanus ſuo gloſſ. ἐκ cum à Patre meo

 multis

multis genitivis poni ut Latinum à. Apud hunc Euangeliſtam antecedenti com. *Sciebat à principio Jeſus*, præpoſitio tamen ἐξ habetur. Mat. 19. 20: *Omnia hæc obſervavi* ἐκ νεότητός μου *à juventute mea* Mat. 24. 31. cogent electos ejus à quatuor ventis, præpoſitio ἐκ habetur. Act. 29. com. 4. Vitam meam actam à juventute. ἐκ νεότητος. Jta Græci ab ævo, ab æterno à pueritiâ à juventute. Materiæ ſubjectæ ratio, in quâ de cauſâ efficiente agitur, præpoſitionem à hic poſtulat. 2. Admiſſâ verſione præpoſitionis ἐκ per ex ne gry quidem proficitur. Iſthæc ſufficiant, deſino & manum tollo, cum nihil adferatur, quod non ſit diſcuſſum.

Duodecimò proponuntur orationes Chriſti de ovibus ſuis, in quibus negat agi de decreto aliquo, ex quo conſequatur neceſſariò, ut quidam & Chriſti fiant & maneant. Hoc ut obtineat, ait ovium nomine, in Chriſti verbis, eos intelligi, qui jam aut credunt actu, aut probitate ad id diſpoſiti ſunt. Probitate aut præviis diſpoſitionibus, oves non conſtitui, oſtendi diſputatione ad ſuperiorem locum, quò lector remittitur. Cum ergo quę loci utriuſque, quod ad hoc alterum expoſitionis membrum, uno ibi faſce, ut arbitror complexus ſim, compendio recidam dicta, ne faſtidium occupatis adferatur. Non poſſum tamen, quin moneam de iis, quæ adjicit ad perficiendam hanc ovium formam, & nonnulla etiam hîc dicam. Etenim ſola probitas ovem non facit completè, ſed ſimul ad id requiritur Euangelicam prædicationem probitati deſtinatam eſſe, & futura

fides.

fides. Dico itaque ovis ſic conſideratæ, intrinſecum & eſſentialem conceptum ingrediuntur; probitas hominis; decretum Dei, fidei futuritio, oviſque nominatur à probitate inhærente, & à Dei decreto, per denominationem extrinſecam. Ea quæ à me dicuntur, liquere poſſunt ex circumſcriptione ovium ex loco. Act. 18. 10. & 10. Joh. com. 8. At ſi deſtinata Euangelij prædicatio, oves faceret partialiter, omnes ij, quibus prædicatur, aliquatenus oves Chrſti eſſent nullus verò locus in Chriſti de ovibus ſermone, qui id aut doceat aut permittat, cum Chriſtus ſolummodo reputet pro ovibus ſuis, eos, qui aut actu, aut deſtinatione ejus oves ſunt. 2. Decretum adductionis & adductio ad Eccleſiæ caulam, non perficit iſtam ſpiritualem ovium naturam, à quâ oves denominantur, ſed eſt cauſa totius ovillæ eſſentiæ, ſecundum totum ſui. Probatur, quia nullus poteſt proferri Scripturæ locus, quo dicantur oves, qui nec adducti ſunt, nec adducentur, tales Script. vocat, hædos, injuſtos, impios, incredulos. 2. *Quorum Chriſtus nullatenus paſtor eſt com. 2. qui vocem ejus non audiunt, qui non educuntur com. 3, quibus non antegreditur, qui eum non ſequuntur, neque norunt vocem ejus com. 4. quos Chriſtus, pro ſuis non agnoſcit, & à quibus non agnoſcitur; pro quibus non deponit animam; quibus non dat æternam vitam ij ſane nullatenus habendi, pro Chriſti ovibus.* At tales ſunt iſti, quos Deus neque adducere decrevit, neque adduxit ad Eccleſiæ caulam. Nihil ergo veræ naturæ ovium concipi

Z 5 poteſt,

poteſt, extra hanc adducendi gratiam, in quâ & per quam oves ſunt, id quod ſunt. 3. Abſurdum eſt ſtatuere, multos habentes veram ovium naturam, à Deo tamen reprobatos eſſe, ne ſint, aut fiant oves Chriſti per fidem. Hoc ſtatuit Socinus, qui non omnes probos; ſed quoſdã tantùm adducendos dicit: quæ quantum debilitent ea omnia, quæ in ratiocinatione mox factâ, ex Euangelij de ovibus verbis, nemo non per ſe videre poteſt. 4. Hæc deſcriptio ovium, quæ Euangelicæ prædicationi deſtinatæ, & eidem credituræ, ſuo definito multo eſt anguſtior, quod vitioſum: nam poſitâ quorundam, quam nos negamus adducendorum probitate, plurimi inter eos qui adducendi, & qui populus ejus nondum actu, erant impiæ & prophanæ vitæ: eos verò, ovium etiam nomine comprehendendos, oſtenditur, quia verba illa Chriſti clare præ ſe ferunt, converſionem gentilium ad fidem, quorum vitam affirmare poſſum (ut à me ſit vel ipſe adverſarius) generatim loquendo admodum depravatam, quare non poſſumus non illos numerare, inter eas oves Chriſti. Accedit cum duos habeant trientes ovillæ naturæ à Socino deſcriptæ, hoc eſt, cum impiis deſtinata Euangelij prædicatio, & credituri ſint, hoc etiam nomine ovium cenſendos eſſe. Denique cum tota Chriſti Oratio Urbana ſit alluſio ad locum Ezechielis trigeſimo & quarto cap, ubi de paſtorali gubernatione, & beneficiis paſtoralibus τοῦ ἀρχιποίμενος Chriſti in totum gregem, & omnia ejus membra ex gentibus colligenda; præci-

Paſtorum principis.

præcipuum verò paſtoralis gubernationis & curæ opus, animam pro ovibus deponere, profectò pro ovibus etiam reputandi, pro quibus paſtor ille bonus animam ſuam depoſuit, quotquot ex gentibus impij, ad Deum converſi ſunt. Si ipſa deſtinatio externæ Euangelicæ prædicationis, aliquatenus oves Chriſti faceret, increduli Judæi ob hanc, tam dici poſſent eſſe ex ovibus ejus, quàm ob defectum probitatis & aptitudinis, non eſſe ex ovibus ejus. 6. Increduli Judæi non dicuntur, non eſſe ex ovibus Chriſti, quia iis aut non deſtinata Euangelij prædicatio, aut quia non credituri, ergo propter ſolam carentiam probitatis & aptitudinis, ut ratiocinationes Socini ad verba illa com. 16, *Judæos non eſſe ex ovibus ſuis* non obſcurè demonſtrant. Unde porro ex lege contrarietatis infertur, probos eo ipſo quod tales, eſſe ex ovibus Chriſti; conſequenter ij omnes ut mox ſequitur com. 27, *audiunt vocem Chriſti, Chriſtus eos agnoſcit, ſequuntur eum; vitam æternam dat iis*; nam quis non videt, hiſce omnibus privilegiis, oves Chriſti manifeſtè diſtingui, ab iis, qui non ſunt oves, quicquid contra Socinus, qui multò anguſtioribus cancellis, circumſcribit oves illas, quæ Chriſtum agnoſcunt, ſequuntur, & ab eo vitâ æternâ donantur, quàm oves illas Chriſti com. 26, ex quibus increduli Judæi non erant. Itaque cum hæc ſint ἀλογισήματα, intelligi oportet de Dei decreto, quo quidam ſunt electi, ut oves Chriſti ſint; quidam non ſunt electi, qui propterea ex ovibus ipſius non ſunt. Irrationabilia

Contra

Contra hanc expoſitionem inſurgens Socinus ait,in iſtis verbis,*non eſtis ex ovibus meis*,latere exprobrationē incredulitatis;non ergo inquit ſigniſicare voluit,de ipſis nullo modo decretum fuiſſe,quod potius ad ipſos excuſandos valuiſſet, atque oſtendendum, nullum eorum peccatum eſſe. At 1. nego hæc verba continere incredulitatis exprobrationē 2. Dato non conceſſo hæc verba exprobrare,nō ſequetur intelligere non potuiſſe de ipſis nullo modo decretum fuiſſe ut ſui non eſſent, quia poteſt exprobrari peccatum, quod neceſſario committitur neceſſitate quā culpa peccantis contraxit. Incredulitas excæcatorum, de quibus, quamdiu tales, decretum eſt in Deo, ne Chriſti ſint,nihilominus ipſis excęcatis exprobrari poteſt & ſępius ipſo Prælect. confitente exprobratur aut id fit,quod exprobrationi æquipollet.Suis opprimetur principiis donec oſtendat, omnimodam indifferentiæ libertatem, perpetuam eſſe comitem,præcepti divini,aut humani peccati. Dices Prælecto.non intelligendum,de decreto conſequēte,ſed de decreto antecedente,omne bonū aut malū opus hominis. At verò, ii quos Deus nō elegit,ut eſſent oves Filii ſui,decreto conſequente non elegit, per peccatū enim reprobatione dignos invenit. quamquam eo ab electis non diſtincti,ſed iis pares.Quod ſi Pręlector velit,actualem probitatem illius; hujus improbitatem cauſam eſſe, cur ille deſtinetur ut ſit ovis; hic non deſtinetur, ut ſit ovis, id ſi ſibi conſtet dicere non poterit, cum multi ſint ex ovibus,hoc eſt probis,de quibus non eſt de-

cretum

cretum ut fiant oves, hoc eſt fideles,quia Deo non placet ipſis mittere Euangelium ut ſupra ſatis ſuperq;demonſtravimus,poteſt ergo dari incredulus,de quo nullomodo decretũ ut eſſet fidelis,cum etiamſi fuiſſet probus, de eo tamẽ propterea decretum non fuiſſet, ut eſſet ovis. Quod ſi ergo infidelis is eſſe poteſt,qui in poteſtate non habuit ut fieret fidelis,aut per probitatẽ ſuam,cauſa eſſe non potuit decreti,quo conſtitueretur ut fieret ovis,nihil etiã impedit exprobrari incredulitatem talibus. Jam verò ſi non obſtante decreto ejuſmodi, incredulitas exprobrabilis eſt, peccatum eſt, neque ſe Dei decreto excuſare poteſt.

Secundò conatur oſtẽdere, perſeverantiam ovium Chriſti, ex verbis illis com 28. non eſſe neceſſariam. *Et non peribunt in æternũ,& non rapiet quiſquã eas de manu mea*, Dicã compendio quid velit,voluntariam ovium apoſtaſiam non excludi. Verumcũ rapi non contingat,niſi ſolicitatis apoſtaſiam voluntariam,neq; aliter rapi poſſint niſi per voluntariã defectionem,inſulſè diceretur neminem rapere neque rapere poſſe, ut inſequenti com. habetur, cum ad quodlibet momentum, deſinere poſſint eſſe oves. Innepte dicitur aliquẽ quicquam facere non poſſe, aut non facturum,propterea quod id facere non poteſt, aut non facit, niſi modo, quo id poſſibile eſt fieri. Subdit eodem modo, per datos à Patre non intelligi, ſaluti deſtinatos,ut neceſſariò ſint ſalvandi; ſed eôs qui Chriſto confidunt juxta Patris voluntatem à Chriſto vitâ æternâ donandos. At contra eſt,verba hæc

Chriſti,

Chriſti, non loquuntur, de ſalvandis fidelibus, ſed cauſam fidei, ſive quod idem eſt adventus ad Chriſtum diſerte exponunt: cum enim multi eſſent increduli, ſcandalo occurrens ait: *Quicquid dat mihi Pater ad me veniet*; ut hic ait quidquid datur ſibi, ad ſe venturum, ita poſtmodum com. 60. *Neminem poſſe venire ad ſe, niſi datũ fuerit ei à Patre*. Agitur ergo de decreto electionis divinæ, quo fidei & ſaluti per fidem deſtinati erant. Similiter Joh. 17. non agitur de datione jam credentium, qua Chriſto credentes dantur beandi reſurrectione ex mortuis, ex quâ datione, nullius dati ſalus certa eſt, ſed de datione, ex quâ fides, indiſſolubilis cum Patre & Filio unio & communio; ſempiterna in hoc ſtatu perſeverantia, & æterna tandem glorificatio conſequatur. Hęc ante oculos ſunt poſita apud Euangeliſtam com. 6. *manifeſtum feci nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi ex mundo, tui erant & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt: & 8. receperunt, norunt me a te prodiiſſe, & crediderunt me a te miſſum eſſe*. Hæc fidei ſunt, & ex fonte paternæ dationis promanant. Rogat Chriſtus *Ut Pater datos ſervet*. com 11 & ſequente ait *à ſe cuſtoditos ut nemo perierit ex iis* com 12. Immota ergo eorum perſeverantia & ſalus, cum etiam velit *tandem eos ſuam conſpicere gloriam*. Nuſquam etiam qui credunt, aut cum jam credunt, Chriſto dari dicuntur *ſed dati credidiſſe dicuntur*. Joh. 17. 6. 8. *& qui dantur credituri* Joh. 6. 39. mentem noſtram & fere verba vides.

Sequitur tertio dicimò locus Act. 13. 48. *Et credide-*

crediderunt , quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Hunc locum cum inprimis diligentiſſimè à ſe explicatum dicat diſputat. ſua de Jeſu Chriſto ſervatore,ea quæ hic omiſſa inde ſupplebimus, & ſimul cum iis, quæ hic proferuntur, pro modulo noſtro examinabimus. Primò itaque orthodoxam hujus loci interpretationem dilemmate aggreditur, quod ita proponitur cap. 13. lib. 4. de Servat. *Jam verò aut volumus, Lucam, cum hæc ſcripſit, id affirmare, quod quilibet Spiritu Dei præditus,affirmare potuiſſet: aut aliquid præterea aſſerere,quod ſingulariter à Deo ſibi patefactum eſſet. Si Lucas id affirmavit, quod quilibet Spiritu Dei præditus affirmare potuiſſet; certè ejus verborum ſententia non ea eſſe poteſt, quam vos putatis. Qui enim ſine ſingulari patefactione ipſius Dei, ſcire potuit Lucas, omnes qui ab æterno, à Deo vitæ æternæ destinati erant,ex gentibus quæ Antiochiæ Piſidiæ,Pauli & Barnabæ prædicationem à Judæis ad ſe primùm tranſlatam audiverunt,credidiſſe? Quamvis enim,ſi vera eſt, divina destinatio illa Adverſariorũ,poſſit quilibet jure affirmare,neminem ex iis,qui Dei verbum audiunt, credere, niſi eos,qui æternæ vitæ nominatim, ab æterno deſtinati fuerint; non tamen omnes, qui audierint & destinati fuerint,jam credidiſſe,affirmare,antequã moriatur,ullo modo quiſquã poteſt: niſi id ſibi ſingulariter patefactum fuerit. Poteſt enim fieri ut quis vitæ æternæ omnino deſtinatus ſit, nec tamen ſtatim,Euangelij voce auditâ credat: imò antequam credat, ſæpius Dei verbum audiat, & ſerò tandem ei fidẽ adhibeat. Nam quis veſtrũ (rogo vos) ſi alicui populo Euangelium prædicatum fuiſſe,*

ſuiße noverit, auſit affirmare, omnes ex eo populo, qui æternæ vitæ deſtinati erant, jā credidiſſe? Annō vos ipſi fatemini, dum in hac vitâ ſumus, reprobos, quos vocatis, à prædeſtinatis noc internoſci. At certè internoſcerentur, & quidē ex iis, quos Dei verbū audiviße ſcimus, bona pars, ſi nemo prædeſtinatus eſt, qui Euangelio audito ſtatim non credat.

Reſpondeo totam hanc ratiocinationem non bene concludere, quia pro certo ſibi ſumit, adverſariæ in dogmate de prædeſtinatione partis, quam oppugnat, ſententiam eſſe, una Pauli concione, omnes ad vitam æternam ordinatos credidiſſe. Quæ loci interpretatio ſi exigatur, ad præceptam de prædeſtinatione doctrinam, nullam cum eâ habet convenientiam. Non enim per doctrinam prædeſtinationis neceſſariū eſt, ut ſtatim audito verbo credat prædeſtinatus, ſed ad immotam ejuſdem veritatem ſufficit, ut credat aliquando ſive ſerius, ſive ocyus, Dico igitur ut objectæ difficultati ſatisfiat: Lucæ ſingulari patefactione opus non fuiſſe, ut ſciret credidiſſe, quotquot erant ordinati ad æternam vitam: cum quidquid de prædeſtinatione, iſto enuntiato affirmavit, revlationis ſit ordinariæ dogmatis de prædeſtinatione, ut quidē in ſacris paſſim proponitur, quod nimirumdivinę prędeſtinationis fides ſitconſequens. Neq; enim exiſtimandum eſt, omninoLucā voluiſſe, unâ illâPauli concione, quotquot ibi erant prædeſtinati credidiſſe, cum decentiſſimè ſic accipi verba ejus poſſint (ſi quis de unâ illâ Pauli diſſertatione verba Lucæ intelligat) ut dicantur credidiſſe, quotquot

quot erant prædeſtinati, ut in illâ horâ evocarentur efficaciter ad communionem regni Dei: ſuos enim ſuis temporibus vocat Deus, alios maturiùs, alios tardiùs, ad exemplum conductorum, qui in vineam mittebantur. Ita Paulus vocationem ſuam, & tempus vocationis ad Dei beneplacitum retulit. Gal. 1. com. 15. 16. *Quando verò placuit Deo, qui ſeparavit me ab utero matris meæ, & vocavit per gratiam ſuam retegere Filium ſuum in me.* Quod ſi non de unâ illâ concione, ſed de quotidianâ Euangelij prædicatione hæc verba accipiantur (ut ſanè poſſunt, compendio enim indicavit Lucas, annuntiationem Euangelij in illâ gente factam) ſenſus erit miniſterium Euangelij, per quotidiana incrementa efficax fuiſſe, in prædeſtinatis ad æternam vitam, cum quotidie credentium acceſſus ad Eccleſiam Dei fieret. Ex his infero, neutiquam interpretationi orthodoxæ, ad ſingularē patefactionem, confugiendū eſſe.

Sed quid ſi ſuſtineatur interpretatio, quam omnino ſuſtinendam putat, ex vi ſententiæ noſtræ, nimirū Lucę ſingulariter patefactū fuiſſe, prædeſtinatos omnes ex gentibus, quæ Antiochiæ Piſidię, Euangelij prædicationē ab initio audiverunt, crediđiſſe, non in tot incidetur inexplicabiles difficultates; aut ſi quæ ſunt, in ſuâ etiā deſudans, non omnes difficultatū ſcopulos præternavigabit. De utrinque autē conceſſis, alter alteri, quod litem moveat iniquum eſt.

Primum, quod objicit abſurdum eſt, *id contigiſſe dicetis, quod nunquam ut arbitror contingit, ex univerſo ſcilicet aliquo populo, cui prædicatum*

 fuerit

fuerit Euangelium, omnes qui ſervabuntur, ab ipſo prædicationis initio, Euangelio credidiſſe. Reſp. negari conſequentiam ; ratio autem negatæ conſequentiæ eſt quia non ſequitur univerſum populum Antiochenum, iſti Paulinæ concioni interfuiſſe. 2. Admiſſo hoc abſurdo conſequente, oſtendatur ubi unquam contigerit, omnes & ſingulos in aliquo populo probos & idoneos ad fidem, ad primam Euangelij annuntiationem credidiſſe. Pergit deinde *ut ita contigerit, id Lucæ patefeciſſe Deum affirmabitis, cujus cognitionem ſibi ſoli reſervare, & ne angelis quidem ipſis eam impartiri dicere ſoletis.* At quodnam hîc reconditum arcanum, Lucæ patefactum putat? An id, quinam ſint prædeſtinati, qui non ſint? Verum hoc nullius eſt rei : non enim eo quod patefactum Lucæ, omnes prædeſtinatos Antiochiæ Paulo credidiſſe, ſequitur revelatum, quinam illi prædeſtinati fuerint; Cum hoc poſterius, priori cognito, ignorari poſſit nihilominus. Qui novit prædeſtinatos credere, ignorat tamen quinam illi prædeſtinati ſint. Prius illud notum eſt ex communi doctrinâ dogmatis de prædeſtinatione: poſterius non dicitur Lucæ revelatum. Sin velit arcani non evulgandi patefactionem ſitam in temporis deſignatione, quo prædeſtinati qui Antiochiæ, crediderunt, ceſpitat, cum tempus fidei electorum, aliis etiam Apoſtolis revelatum ſit. 2. Theſſ. com. 2. 3. 4. 5. *Gratias agimus Deo ſemper de omnibus vobis, mentionem veſtri facientes in precibus noſtris, indeſinenter commemorantes efficacem veſtram fidem & laborio-*

borioſam charitatem, & tolerantem illam ſpem in Dom. noſtro Ieſu coram Deo & Patre noſtro: ut qui ſciamus fratres dilecti, à Deo electionem veſtram, quoniam Euangelium noſtrum conſtitit apud vos, non lequutione duntaxat, ſed etiam virtute & in Spiritu Sancto & com. 9. *ſiquidem ipſi de nobis annuntiant, qualem ingreßum habuerimus apud vos, & quomodo converteritis vos ad Deum relictis idolis, ut ſerviretis Deo vivo & vero*, vide brevitatis cauſâ Eph. 1. com. 13. 2. Theſſ. 2. 13. Col. 1. com. 6. 9. 1. Pet. 1. com. 2. deinde ſi qua hîc abſurditatis ſpecies, ei ſuam etiam ſententiam obnoxiam habebit. Pergit, *nullam patefactionis cauſam excogitari poſſe.* Reſpondeo, etiamſi cauſa patefactionis humano intellectui eſſet inveſtigabilis, non poſſet tamen propterea negari ipſa patefactio. 2. Poſito hîc revelatum eſſe, omnes prædeſtinatos Antiochiæ Euangelicæ prædicationi ab initio auditæ credidiſſe, aliquas ejus patefactionis cauſas non difficile erit eruere. Primò declaratur efficacia miniſterij inter Gentes, Deiq; conſilio Gentibus Euangelium anuntiatum eſſe. Secundò utilis hæc patefactio, ad confirmãdos in fide fideles omnes contra ſcandalum, quod ab incredulitate infidelium objiciebatur. Ita Chriſtus doctrinâ de divinâ electione & efficacitate gratiæ ſuos munivit contra Judæorum incredulitatem Ioh. 6. com. 36. 37. *Sed dixi vobis vos etiam me vidiſſe & non credere. Quicquid dat mihi Pater ad me veniet;&* com 43. 44. *ne murmurate inter vos: nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*

 3. omiſ-

3. omiſſis alijs dico, tam cauſas eſſe hujus arcani revelati, omnes pṛdeſtinatos credidiſſe, quam omnes diſpoſitos credidiſſe.

Subdit *incredibile eſſe, hoc dogma Lucæ revelatum eſſe quia noxia erat revelatio, utpote quæ Lucam in exercitio charitatis erga Antiochenos cæteros, qui tum non credidiſſent, refrigeſcere feciſſet.* Verum hi tanti animorum motus oriuntur ex falſo fundamento, ac ſi per hoc dogma ſtatueretur, Lucæ ſignificatum, quinam reprobi, quinam electi, cum tantum revelatum indicetur, omnes prædeſtinatos credidiſſe; quæ duo multũ differunt. 2. Detur hoc revelatum eſſe, charitati non aliter noxium, quam dogma Judæorum rejectionis, quam Paulus & Barnabas facto ſuo Prælectore noſtro de hac re ita pronuntiante, in hujus loci diſcuſſione, prædicto cap. 13. lib. 4. de Servatore) palam ſunt teſtati. Poſtremo inquit, *etiamſi Lucæ à Deo id ſingulariter patefactum fuiſſe abſurdum non cenſetur, id tamen ipſum Lucam cæteris patefeciſſe aſſeritis, cujus notitia nihil penitus poteſt prodeſſe, ſed multum obeſſe: quodque fidem ægrè invenire, at vanitatis atque arrogantiæ dicentem ſuſpectum facillime reddere poteſt. Nam quæ utilitas vel illis, qui tum temporis erant, vel iis, qui poſtea fuerunt, ex eo provenire potuit, quod ſcirent, omnes ex gentibus qui ſervari poterant, Evangelij prædicatione Antiochiæ in Piſidiâ ab initio auditâ credidiſſe & ita cæteros, qui tunc non crediderunt, ſervari non potuiſſe? certè, cum omnia tecum animo reputaveris, nil niſi magnum aliquod malum, inde proficiſci potuiſſe, confiteberis: & potiſſimum id, quod de ipſo Luca*

Luca modò dicebamus, charitatis ſcilicet remiſſionē ac propemodum extinctionem in iis, qui tunc vivebant, erga illos, quos non credidiſſe conſtaret. Quæ enim paulo ardentior charitas, aut eſſe aut exerceri poteſt erga illum, quem à Deo reprobatum & ſempiternæ morti, irrevocabili decreto, deſtinatum eſſe ſcias? Ipſi vos, ideo dum in hoc ſeculo ſumus, nobis, quinam ſint reprobi, quive prædeſtinati, ignotum eſſe, Deum voluiſſe dicitis, ne charitas in nobis aliquâ ex parte, aut frigeret, aut interiret: ſed eam erga omnes vividam & ardentem unusquiſque retineremus: præſertim verò, quantum in nobis eſſet omnium ſalutem curaremus, & promoveremus, id quod nullo pacto fieri poteſt, ubi jā certum eſt, ſalutis, ob Dei æternā reprobationem, nullā ſpem eſſe, Sed ad quid hæc πολολογία? Dixi & etiamnum dico ex eo quod omnes electi crediderunt, non fuiſſe manifeſtum, qui electi, qui reprobi, atque ita hi motus animorum, atque hæc certamina tanta, pulveris exigui jactu compreſſa quieſcunt. 2. Videatur etiam altera, ad proximè antecedens reſponſio. 3. Nego hoc charitatis officium in univerſos & ſingulos, ſemper ab omnibus exercendū eſſe: etenim paulus & Barnabas, erga Judæos jam rejectos, non exercuerunt, & Deus quandoque ſervorum ſuorum opera utitur, non ad curandam & promovendam ſalutem eorum quibus prædicatur, ſed ad exercenda judicia iræ & ſeveritatis per indurationem & excæcationem cordis, ut Prælector ad quintum locum hujus cap. ut alias probationes nunc omittam, confeſſus eſt. Quare eo argumento non ſolidè

verboſitas.

probatur à Luca non revelatum quinam reprobati, quia hoc prædictę charitati obfuiſſet. Quapropter cum iſta evulgatio, rectæ rationis opus eſſe poſſet, temeritas abeſſe poterat, contra quam Socinus exiſtimat, ut in ſequentibus verbis docet, putans ſine temeritate Lucam reprobationis pandere non potuiſſe.

Tandem perorans objicit, *per ſententiam de prædeſtinatione periclitari, tum auctoritatem ſalutaris Hiſtoriæ, tum ipſius exiſtimationem*. Reſpondeo divina veritas, Apoſtolorum & Euangeliſtarum æſtimatio, non humanæ & carnalis ſapientiæ præſidiis, ſed Dei virtute nitebatur: omnes cogitationes ſuas, ſui ſuarumque rerum ſpem, in Deum conjecerunt, non autem in humanæ prudentiæ viribus, rerum ſuarum præſidium quæſiverunt. 2. Et quod ſi humanæ prudentiæ induſtriâ ſuam & doctrinæ ſuæ auctoritatem tutari opus habuiſſet, eâ etiam indiguiſſet, ad dogma de omnium proborum fide perſuadendum. Etenim cordatis auditoribus, non ſine omni rationis veriſimilitudine, incredibile videri poterat, improbos eſſe omnes, qui ad primam illam Pauli concionem, nõ credidiſſent. Similiter vero non ſatis proximare, videri etiam poterat, ipſi notum fuiſſe, eos omnes, qui aliquo pietatis affectu ducebantur, credidiſſe. Hoc penſo abſoluto, & everſo abſurdorum numero & pondere, ſententiâ prædeſtinationis, alios ſenſus varios obtrudit. Ait primò quidem hypallagen quandam vel metatheſin, ſive partium orationis permutationem, vel tranſpoſitionem eſſe poſſe, ac ſi dictum

dictum fuiſſet. *Et quotquot crediderunt, ordinati erant, ad vitã æternam. Similis fortaſſe inquit ſermonis figura eſt apud Johan. in Apocal, cap. 13. com. 8. Et adorabunt eam beſtiam omnes, qui inhabitant terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni &c. Quamvis enim aut ſynegdoche aut hyperbole in his verbis eſſe poſſit, illi præcedenti ſimilis, & data eſt illi poteſtas in omnẽ tribũ & populum & linguam & gentem, durior tamen tanto hæc, quam illa eſſet, quantò plus complectitur, omnes inhabitantes terram, quam omnis tribus & populus & lingua & gens, & quantò plus eſt adorari, quam poteſtatem datam eſſe! Quare cum certum eſſe videatur, non omnes, qui in Agni libro non ſunt ſcripti, beſtiam illam adoraſſe, aut adoraturos eſſe, non aliud ſenſiſſe Joh. dici poteſt, quam omnes, quicunq; ex inhabitantibus terram, beſtiam adoraturi eſſent, non ex illis futuros, qui in libro agni ſcripti eſſent, idem adfert de verbis c. 17. v. 8.*

Contra hæc animadvertendum eſt. 1. Temerarium eſſe ad tropum confugere, cum nullum ſit rationis veſtigium, aut in verborum centextu; aut in ſenſu verbis ſignificato, prout jacent, quod manu ducat ad hanc hypallagen & verborum perturbationem; non poteſt ergo non haberi hæc interpretatio pro durâ & diſtorta. In loco Apocal. 13. v. 8. ſynegdoche aut hyperbole quædam eligenda videtur, præ hypallage, cum ut uſitatior & magis obvia ita minorem vim faciens ſtructuræ orationis ſacræ. Objicit duriorem hanc ſynegdochen, quã quæ in verbis præcedentibus com. 7. legitur; *data eſt illi poteſtas in omnem tribum & linguam*

& gentem. Primò quia plus inquit complectitur omnes inhabitantes terram, quam omnes tribus, & populus & linguæ & gentes. Sed hoc nullius ponderis, cum nulli mortalium, qui non ad populum, aut gentem aliquam referantur, neque hoc etiam alicujus momenti, pluris faciendam adorationem, quam beſtiæ poteſtatem, cum beſtiæ poteſtas, ſit quædam beſtiæ Apotheoſis, prophanæ adorationis fundamentum. Tum verò, id ſi detur, nihil conducet ad id de quo agitur; neque propter hoc, ſecundū majus & minus, ſchema orationis variabitur.

Iſtiuſmodi porro figuratos loquendi modos uſurpatos ait, ut brevitati ſimul & concinnitati cuidam orationis conſulatur: nam ſi explicitè ac conſuetâ ratione, integra ſententia ſcriberetur, & pluribus verbis & verborum non admodum venuſtâ repetitione utendum eſſet. In priore Apocalypſis loco, ita inquit dicendum fuiſſet, Et adorabunt eam, inhabitantes terrã, omnium autem qui adorabunt eam nomina non ſunt ſcripta. Sin in loco noſtro ſi explicitè integram ſententiam ſcribere Lucas voluiſſet, dicendum illi erat: Et crediderunt, quotquot autem crediderunt, ordinati erant ad vitam æternam. Reſpondeo, nimia hæc & non ferenda in interprete licentia. Sine cauſâ fingit hos loquendi modos uſurpatos, ut brevitati, & concinnitati orationis conſulatur, cum factâ hypallage, non minus brevis & concinna eſſet oratio hoc pacto: *qui beſtiam adorabunt eorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni*, hoc enim ſenſiſſe Johan. iſtis verbis mox ipſe affirmavit, Etſi per hypallagen locū Actorum legas,

legas, habere poteris id æquè brevi & concinnâ oratione ſic: *Et quotquot crediderunt, erant ordinati, ad vitam æternam*, Hypalloge Socino ſatis non fuit; ſed & eclipſin hic excogitare ei placuit: ſed quia in hac figuratâ & durâ expoſitione, parum fidei ſibi habendum præſagiebat, eâ miſſâ venit ad inquiſitionē ſenſus proprii, de quo videamus.

Priuſquam verò hanc rem aggrediatur, verba Lucæ quodlibeticè palpans, ex figurâ quàm excogitavit, hunc obtrudit ſenſum. Tribus verbis dicam, ſalutem Euangelio annuntiatam, tam ex Dei voluntate ad credentes ex gentibus, quam ad Judæos pertinere. Summa huc redit: hæc verba nihil, quam luculentum teſtimonium eſſe publicæ vocationis gentium. At cui cordato lectori, hæc gloſſa probabitur, cujus nulla in verbis, ſigna conſpicua ſe produnt? Sordent Prælectori, quæ ſuo fulgore coruſcant. Verbis clariſſimis vocationem gentium ex Eſai. Propheta aſtruxit Apoſtolus: illam hiſce verbis poteſt obtrudere omnibus ingenii ſui numeris, ſed ex iis exprimere non poteſt. Cum Apoſtoli de vocatione Gentiũ agunt, nullum inter Judæos & fideles ex Gentibus diſcrimē eſſe oſtendere volunt, id verbis perſpicuis agunt, ut facilè intelligas ea dere agi, ſed quid quæſo in his verbis, quod ejus doctrinæ, vel minimam auram ſpiret, vel maximè attentæ & exercitatæ menti? *Sic volo ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.* Si hoc pacto in ſacris verſari licet, quid negari, quid obtineri nō poteſt? An cũ Pontificiis neglectis ſcripturis ve-

 niemus

niemus ad ſublimiorem illũ Coſteri characterẽ digito Dei, in corde Romanæ Ecclcſiæ ſcriptũ. Deus meliora, abſit. Hanc Dei ordinationem more ſuo ad Euangelium refert, ita ut hæc divina ordinatio, nihil aliud ſit, quam ipſa lex fidei, Gentibus etiam obedientiam fidei præſcribens, & ſalutem ſive reſurrectionem ex mortuis, omnibus inter eos credentibus, promittens: ita ut hæc Dei ordinatio nihil ſit, quã jus canonicum divinum, quemadmodum ordinatio Cæſaris Auguſti, quâ edicebatur, ut totus terrarum orbis deſcriberetur, jus quoddam Cæſareum conſtituebat. Edicta Prælatorũ annua olim, aut iis ad ſingulas cauſas pro re natâ utebantur: hæc autem ordinatio divina æterna, non annua. Ad hoc commentum ſuum, ne quid gravius dicam, in omnibus ſuis interpretationibus ferè delabitur Prælector; egimus de eo aliquoties: adverſus hæc ſigna rurſus non inferam. De hac interpretatione ſibi applaudens ait, hanc probabiliſſimã Lucæ mentem, mirifice hunc locum illuſtrare, quod non video, quomodo perſuaſurus ſit ijs, quæ clara obſcuris & longè petitis præferunt, quæ vix alicui per ſomnium in mentẽ venire poſſunt. Portentoſæ profecto propoſitiones, ex hac mente probabiliſſimâ, tanquâm ex equo quodam Troiano prodeunt. Ecce quodlibetorum ſcrinium. Quotquot crediderunt, ordinati erant ad æternam vitam. Quotquot infideles fuerunt erant ordinati ad vitam æternã. Paulus & Barnabas rejecerunt Judæos, qui ad vitam æternam erant ordinati. Non quotquot ad

ad vitam æternã erant ordinati, crediderunt. Qui erant ordinati ad vitam æternam, non erant ordinati, ad vitam æternam: qui non erant ordinati, erant ordinati.

Deſerto figurato ſermone ducimur ad ſenſũ planiſſimũ. Primò opponit in Prælectionibus, ex græco *non præordinati ſed ornati legendum eſſe*, de quo non magnopere laborandum, cum ipſi adverſario id non magni momenti, idque non immeritò, cum ſenſus præordinationis ſit etiam ad inſtitutum cauſæ ſuæ, qui putat auditores fideles, probitate ſuâ præordinatos fuiſſe ad recipiendum fide Euangelium. Adfert & illud, *non dici fuiſſe ordinatos à Deo* in lib. de Servator. *Neminem nominari, à quo iſti ad vitam æternam ordinati*, videſis anatomen clariſſ. Molinæi. D. D. Antonij Walæi reſponſum ad cenſuram Corvini, ubi ſententia probitatis ſatis confunditur. Non repetam quæ de probitate diſputata ſunt ſupra. Imaginatur inter alia in utroque ſcripto antitheſin eſſe factã inter Judæos verbum Dei repellentes, ſeipſos æternâ vitâ indignos judicantes & inter ordinatos ad æternam vitam, quia ut illi imprudentes ſe, quodammodo vitâ æternâ indignos conſtituebant, ſive ut de utriſque iiſdem terminis utamur, ſeipſos ordinabant ad mortem æternam, ita probi ad vitam æternam. At ſi qua hîc pulchra & elegans antitheſis, non eſt illa Socini, utpote quę contravenit tot luculentis teſtimoniis ſacri codicis de humanâ corruptione & divinâ gratiâ. Directa & elegans antitheſis, quæ verbis Pauli non obſcurè accomodari

dari poteſt,eſt inter Judæos,infidelitate ſuâ Euangeliũ repellentes,&ſe vitâ æternâ,hoc pacto indignos declarantes, & inter fideles quà credentes,de Euangelio audito gaudentes, & Domini ſermonem laudibus efferentes.quemadmodum enim Judæi non dicuntur,improbitate aliquâ,quæ diu in ipſis fuerat ante annunciatum Euangelium, indignos ſe declarâſſe, ſed eâ infidelitate, quâ oblatam ſalutem repudiabant;ita antitheſios Socinianæ ratio poſtularet,gentes non pręcedaneâ aliquâ probitate, ſed ipſâ fide oblati Euangelij, ſe ad vitam æternam ordinâſſe. Sed ut tandem aliquando finem imponamus tractationi hujus loci,multa quæ habet in libro deServat.&ut ibi ita &hic identidem ingeminat,quę ſatis ut arbitror datâ occaſione diſcuſſa ſunt, præteribimus:quod ſi cum tanto Polluce commiſſus, infeliciter pugnavi,culpam temeritatis deprecor, ignoſcent boni candidi. De uno tantum finem faciens monebo: Ait comparatè loquendo, probos tantùm à Deo ordinatos ad vitam æternam dici poſſe. Tribus verbis reſpondeo nullam prædeſtinationem ad vitam æternam doceri in ſcripturis, cujus cauſa probitas aut pietas quædam, ante regenerationem per gratiam,proinde conficta comparatio. Quarto decimo loco profertur;9.cap.ad Rom. Hunc locum, quia eum cum iis, quæ cap, 11. ſcripta ſunt explanavit&illuſtravit paraphraſticè,qui labor ejus ſeparato ſcripto comprehenſus,ut à ſe comprehendendum pollicetur, paucis admodum,in ſuis hiſce Prælect.perſtringit.Summa

ma reſponſionis ejus eſt, *Apoſtolum Paulum docere, Deum tantummodo, pro filiis Abrahami veros fideles cenſere, eos non alios, promiſſionibus perpetuæ fælicitatis, favoris & divinorum bonorum comprehenſos, ac propterea non quærendam eſſe ſalutem, & juſtitiam, per legem Moſis*, quæ reſponſio quia coincidit cũ ſententiâ Arminij & Remonſtr. qui volunt doceri ab Apoſtolo, Deum dereviſſe, fideles adoptare & juſtificare: carnales Abrahæ filios, ex lege juſtitiam quærentes, à Deo reprobari, quam fuſè & multis refutat longè eruditiſſimus vir Antonius Walæus cap. 15. reſponſionis ſuæ ad cenſuram Corvini, non habeo quod adferam, idque eo magis, quod Socinus cujus veſtigiis hîc inſiſtimus, opinionem ſuam, quam mentem Apoſtoli vocat, nullis hîc argumentis munit.

Huic reſponſioni alteram generalem obſervationem opponit, ad quam in totâ Apoſtolici contextus, & ſingularum ejus pertium explicatione attendendum arbitratur. Ea eſt, *cum hîc multa adferantur ab Apoſtolo, ut oſtendat Deũ in ſalutis noſtræ negotio, ea facere, quæ ſibi libuerit, nempe non ut demonſtret, Deum in ſervandis nobis, aut condemnandis, nullam earum rerum rationem habere, quæ in nobis vel jam ſint, vel futuræ ſint; ſed non ad ea reſpicere, ad quæ nobis fortaſſe videretur eum reſpicere debere*. Verùm multùm fallit hæc obſervatio; quamquam enim Apoſtolus, ad vendicandam Deo liberrimam in negotio ſalutis poteſtatem, nonnulla adferat ut oſtendat Deo, nullam à carnis privilegiis legem imponi: imprimis tamen totus

in eo

in eo Apoſtolus, ut demonſtret Dei beneplacitum, in ſalutis negotio, bonorum aut malorum operum, rationem non habere. Non quædam tantùm removet Apoſtolus, quæ, humano errore, conducere videbantur, ſed quicquid tandem, à parte hominum concipi poteſt, ut invictâ evidentiâ, illa Apoſtoli probant com. 11. *nondum enim natis, quum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum Dei, quod ſecundum electionem, non ex operibus, ſed ex vocante maneret.* Dei propoſitum rationem alicujus boni aut mali habuiſſe, cur hic electus, ille non electus, Paulo eſt inducere propoſitũ electionis, quod ex operibus, neq; beneplacitum electionis prævisioni alicujus boni inniti poteſt, quin ſit Paulo judice propoſitum ex operibus. Tantâ ſolicitudine, quemadmodum verba ejus clarè loquuntur, omnium, quæ in nobis, ad rem hanc facere videbantur, conſiderationem amolitur, ut obtineat propoſitum electionis ex operibus non manere.

His generatim præmiſſis, primò ſpeciatim monet, *Jacobũ Eſavo neglectâ primogenituræ lege, ob bonorum & malorum operũ diſcrimina, non prælatũ, contra quàm veriſimile videbatur. Id nõ allatum ut oſtendat, nullam probitatis aut malitiæ hominũ, in illis ſervandis aut perdendis rationẽ habere.* Scilicet hoc probare ſatagit Apoſtolus, Jacobũ Eſavo, inverſo naturæ ordine, citra reſpectũ operum, contra quã videatur fieri oportere, in rebus temporalibus antepoſitũ. Dices illa electio Iacobi & Eſavi reprobatio, contra apparens naturæ poſtulatum, illuſtrat & confirmat, ut

ut argumentum à comparatis, Dei in ſalutis negotio beneplacitum; quemadmodum enim Jacobus rejecto Eſavo bonorum temporalium hæres conſtitutus, nullâ habitâ ratione boni aut mali, quod in ipſis; ita Deus bonos & malos ſalvat & damnat, quia ſic placitum, quæ ratiocinatio oppoſitum concludit ejus, quod inde efficere Apoſtolus voluit, imò verbis in formulâ expreſſis intulit. Totum hoc in Eſavo & Jacobo ita geſtum docet, ut nulli dubitemus Dei conſilium in negotio ſalutis, ab humanis operibus ſuſpenſum non eſſe, aut negandum Pauli ab Eſavo & Jacobo collectionem legitimam; aut concluſum agnoſcimus Dei conſilium in ſalutis negotio non eſſe ſecundum opera. Poſtremò dico Dei de Jacobo & Eſavo decretum, non tantùm de bonis temporalibus, verùm imprimis de bonis ſpiritualibus & æternis eſſe, imò non de temporalibus, niſi quà cæleſtium & æternorum ſignificativis. Non inſtituta ab Apoſtolo diſputatio de bonis temporalibus, ſed de æternis & cæleſtibus; & cum amore atque odio, Dei conſilium conjunctum; ita ut unius gratuita fuerit miſericordia, alteri per non injuſtum judicium negata, dilectionis eſt facere vas ad decus; odij vas ad dedecus. Hæc ex ipſis Apoſtoli verbis habemus, nullus tergiverſationi locus relinquitur. Hoc dedecus ab æternâ ignominiâ non divellitur com. 22. & qui divitiis gloriæ circumfulget, æternæ ſalutis ſplendore decoratus eſt.

Secundo annotat verba illa. *Non eſt volentis neque currentis, non de voluntate & ſtudio ex Dei*

præ-

præſcripto bene agendi accipi debere; ſed de voluntate & ſtudio Dei beneficia conſequendi: id enim nō ſatis eſſe, niſi Deus ea dare velit: vult autem Deus ea ſæpiſſime illis dare, qui de iis accipiendis, ne cogitant quidem, quamvis ab iſtis ipſis, ſi velint ea vel jā data retinere, vel oblata reipſâ accipere, conſuevit Deus fidem erga ſe atq; obedientiā repoſcere alioqui illa vel ablaturus, vel neutiquam daturus. Ait non agi de voluntate & ſtudio voluntatis divinæ, quæ præſcribit, obediendi &c. Fidem ſuam nullâ demonſtratione liberat: oracula tamen ex tripode non proferri, nos rationibus quibuſdam oſtendere conabimur. Agitur de fide ſalutari, quâ ex Dei præſcripto, Euangelium Jeſu Chriſti recipitur: & ſpirituales Abrahæ filii fiunt renati ex Deo vi promiſſionis. Hanc autem ſpiritualem generationem, hic ad Dei miſericordiam, tanquam ad ſuū nativum principium referri patet, quia apertum eſt hęc verba, cum iis, quæ in antecedentibus diſputat Apoſtolus, cohærere & ad eundem ſcopum collimare; nimirum *filios promiſſionis cenſeri in ſemine: propoſitum electionis, quo ſpirituales filii conſtituuntur ex operibus non eſſe:* electionis autem & fides & ſalus ex fide eſt. Idem clariſſimè, quia tota concatenata eſt oratio, intendunt hæc verba Apoſtoli. 2. Præcipuum Novi Fœderis beneficium eſt, inſcriptio legum in cordibus, per gratiam ſpiritus, proinde comprehenditur hoc beneficium verbo promiſſionis Abrahæ factæ, conſequenter accipiendum eſt, hoc etiam beneficium volentis non eſſe. 3. De voluntate & ſtudio Dei obediendi agi,

hanc

hanc etiã Dei miſericordiæ vindicari à Paulo, oſtendunt inſequentia, ubi allatis tremendis Dei in Pharaonem judiciis infert: *Itaque cujus vult miſeretur, quem autem vult indurat*. Quemadmodum induratio, peccatoris derelictio eſt, & obfirmatio in peccato per negationem gratiæ; ita oppoſita indurationi miſericordia illuminat & emollit, ut Deo obediatur. Sed quid ſibi volunt iſta, tractari ab Apoſtolo tantummodo de voluntate & ſtudio Dei beneficia conſequendi, fallor niſi illa ex mente ejus, ad tria revocari poſſint. Aut enim benefacit Deus, normam obedientiæ præſcribendo: aut obſervaturis mandata ſua bona promittendo: aut ſine promiſſionê, beneficium aliquod conferendo. Norma quam præſcripſit Deus generatim duplex eſt, legis aut fidei. Si ergo intelligendus Apoſtolus de beneficio præſcriptionis, non erit illud, niſi vehementer erro, quo lex data, ſed quo jam fides Euangelio præſcripta. Quid ergo, poſito caſu, quod de hoc beneficio locutus Apoſtolus, habebimus? Deum præcepta Euangelii, ex miſericordiâ propoſuiſſe: nullas in hoc negotio humanæ voluntatis, aut ſtudii partes eſſe: quæ interpretatio quã aliena à Paulinâ diſputatione & omnibus membris ejus me tacente quilibet videre poteſt. Secundò ſumantur hæc verba de bonis promiſſis, nulla inde elicietur veritas: nam qui volunt & currunt ex præſcripto legis, in bona promiſſa, quibus ſancita legis obedientia, jus & poteſtatem habent ex debito Rom. 4. com. 4. & ad danda beneficia lege promiſſa, ex vi pacti legalis

Deus eſt paratiſſimus : neque etiam Dei miſericordia, iis dandis præſidet. Tum verò nullam hæc ad Apoſtoli inſtitutũ patiuntur accommodationem. Sin per hæc beneficia intelligamus promiſſa euangelica, de juſtitia & æternâ vitâ, falſum erit juſtitiam & æternam vitam eorum non eſſe, qui voluntatem & curſum obedientiæ fidei in manu arbitrii ſui habent, cum juſtitia toties promiſſa ſit ſic currentibus, & fide acquiratur. Tertiò verba de bono, quod ſine promiſſione confert Deus, accipi non poſſunt, quia de iſtiuſmodi bonis, hic non agit Apoſtolus; ſed de iis, quæ Dei Fœdus cùm Abrahamo initum complectitur. Quod ſi hæc omnia extra mentem prælegentis afferuntur & modum non ſervant, id tum voluerit noſter, ad juſtitiam & æternam vitam, aut aliud quoddam beneficium conſequendum, voluntatem & curſum hominis non ſufficere, ſed inſuper ad hoc requiri, voluntatem Dei dantis ; *ait enim volentis & currentis non eſſe, Dei beneficia conſequi, quia non ſatis id eſt, niſi Deus ea dare velit*, quod planè etiam abſonum & nugatorium eſt. Non controvertitur apud Apoſtolum, an quis Dei beneficia Deo nolente dare conſequi poſſit, an juſtificari & reſurgere ex mortuis quiſpiam poſſit, dum nec juſtificare, nec reſuſcitare ex mortuis vult Deus. Cui unquam hæc in mentẽ venerunt, aut venire potuerunt, nihil ἀπερισκεπτότερον quam dicere hoc doceri, quod nullo modo opus erat docere : aut Apoſtolum interrogatum de alliis, operoſè reſpondiſſe & diſputâſſe de cæpis. Deinde ſi beneficia

Magis in circumſpectum.

ficia Dei miſericordiæ tribuuntur, quia neceſſe, ut ea aſſequaris interveniat voluntas Dei, eodem jure volentis & currentis illa, quia voluntas Dei non ſufficit, ſine voluntate volentis. Quare ſi contra Apoſtolum invertas, cum Apoſtolo tamen dixeris, non Dei miſerentis, ſed volentis & currentis eſt. Deinde ſi beneficia Dei miſerentis, quia Dei voluntas requiritur, & humana non ſufficit, etiam fides & quævis obedientia Dei diceretur, quia homo ſibi non ſufficit, niſi Deus eam præſcribendo ſaltem dare velit: propter quam præſcriptionem jam audivimus docentem, fidem eſſe donum. Obſerva quoque non dividere Apoſtolum laudem beneficiorum Dei, ut pars tributa hominibus, pars Dei miſericordiæ aſſignanda relinquatur, ſed Deo ex aſſe vindicat, ut nullum pene comma, quod non atteſtatur.

Tertio proponit id, *quod de induratione ſubjungitur, ad propoſitum exemplum Pharaonis accommodandum eſſe, qui Pharao propter ſua & præcedeſſoris ſui ſcelera, ut à Deo jnduraretur, commeritus fuerat, quem tamen non indurare, ſi ita voluiſſet, potuiſſet Deus, ſed noluit, ipſumque diu in vitâ & regno, etiam poſt patrata ſcelera conſervavit, ut ejus induratione; in liberatione populi ſui ex ipſius manibus, nomen ſuum in univerſo terrarum orbe, illuſtre redderet. Verbum enim excitavi, ſtare feci, id eſt conſervavi ut in Hebræo & ſeptuaginta interpretati ſunt, planè ſignificat.*

Cum omnia orationis Apoſtolicæ membra, in hoc argumento ſint coagmentata, & in eundem ſcopũ collimantia, perpetuis nexibus in-

ter ſe cohæreant à com. 6. hujus cap. ad com. 23. Socinus tamen ita hæc exponere auſus, ac ſi ſæpius ab uno themate , ad aliud tranſitum feciſſet Apoſtolus. Jacobus Eſavo prælatus, neglecto naturæ jure, neutrius conſideratis operibus. Dei cultores, Dei beneficia , ſine interventu divinæ voluntatis,non conſequuntur. Pharaonem Deus propter ſua ſcelera antecedentia indurare voluit. hæc ita proponit Socinus, ac ſi in ſingulis, ſenſus abſolutus eſſet,non relatus : cum tamen quadam compage ſenſus communis, in quem omnia conſpirant inter ſe cohæreant. Veritatem in eo à me dici, ipſa ocularis inſpectio totius orationis Apoſtolicæ docere poteſt. Quapropter etſi hæc prædicta continent ſenſus quoſdam particulares, quibus ab invicem diſtinguuntur; ſenſus tamen communis & genericus per omnia diffuſus eſt, divinæ prædeſtinationis cauſas extra Deum quærendas non eſſe: electos & reprobos cum indifferentiâ ad utrumque Deo prædeſtinanti obverſari. Quemadmodum ergo Dei propoſitum non eſt, omnes ſemen ſpirituale, & Abrahæ filios facere, quod negare noſter non poteſt, cui multi probi non trahantur, & quidem eam ſolã ob cauſã , quia Deo trahere eos non eſt viſum, videſis ad locum Joh. 6. 44. Quemadmodum Eſau odio habitus , Jacob dilectus,non ob differentiam aliquam,aut inhærentem aut prævisam, ut propoſitum quod ſecundũ electionem, maneret non ex operibus, ſed ex vocante. Ita eodem ſenſu affertur illud , non volentis , neque currentis, ſed Dei miſerentis: conſequenter

ter dum his verbis eidem themati tractando inſiſtat Apoſtolus,quod & ſubjuncta ex omnibus antecedentibus, illatio evincit manifeſtè. *cujus vult miſeretur* , *quem autem vult indurat*. Idem etiã ſenſus ex iſtisde Pharaone colligendus qui ex antecedentibus depromitur. Præeuntē habemus Apoſt. qui particulare hoc exemplum de induratione Pharaonis , ad doctrinam & theſin univerſalem deducit, *Itaque cujus vult miſeretur, quem vult indurat*,contra impactum injuſtitiæ crimen, divinæ electioni & reprobationi in exemplo Jacobi & Eſavi propoſitæ, ut ergo Pharaonem excitare, & ex reprobationis judicio indurare voluit, ita etiam alios quoſvis excitat & reprobationis judiciis indurat , quia vult : quæ ratiocinatio nihil præter ipſiſſimam Apoſtoli collectionem continet. Interea , cum ut electio , ita & reprobatio per multos actus explicetur , antequam ad ultimum terminum perveniatur, multi actus qui inter principium & finem intercurrunt,ita inter ſe ſunt ordinati,& ad invicem relati, ut priores ſint rationes poſteriorum:ſecundum hoc ergo peccata Pharaonis & reproborum in communi,cauſa indurationis,à juſtitiâ vindicatrice provenientis. Proinde data notione vocis *hamád* & poſito agi de indurationis actu, quod non negamus, qui ſcientiam peccatorum Pharaonis ſupponit, ſimul tamen decretum reprobationis, per hunc peculiarem indurationis actum inſinuare voluit Apoſtolus. Nec aliud ſtatuendum de ſimilitudine illâ figuli, & maſſâ quâ aliud vas ad decus, aliud ad

 dedecus

dedecus ſit. Longè ſecus exiſtimat Socinus, qui maſſæ ejuſdem nomine vult intelligi, homines jam probos aut improbos effectos, quæ explanatio perverſio potius Apoſtolici dogmatis eſt. Nuſquam enim Apoſtolus in hac diſputatione, cauſas adfert ex parte hominum, cur hic electus. ille reprobus ſit, ſed in conſilio liberrimæ & juſtæ poteſtatis Dei acquieſcere docet, qui cum Deo expoſtulare præſumunt. Non dicit figulum poteſtatem habere, ex maſſà diſpari vaſa facere diſparia, ſed ex pari & eadem. Vaſa iræ & vaſa miſericordiæ in ſe & à ſe apud Paulum non differunt, ſed Dei tantum judiciis diſtinguuntur. Ira & miſericordia uniforme apud Paulum objectum habent com. 18. Idem de ſuperioribus dicendum vaſorum faciendorum nomine ſingulos jam adultos homines, de quibus aliquid ſingulare decernat, denotari, ſatis confidenter ſibi ſumit contra Apoſtoli Pauli authoritatem, qui Eſavum vas ad dedecus, Jacobum vas ad decus nominavit. Per maſſam eandem intelligunt, Reformatæ Eccleſiæ, humanæ genus peccato inquinatum, ex quo Deus facit & præparat ſibi vaſa miſericordiæ, alios vaſa iræ deſtinat exitio. Non eo inficias Paulum alluſiſſe, ad ea, quæ de ſimilitudine figuli & luti apud Eſajam & Jerem. ſcripta ſunt, tamen non eodem per omnia ſenſu, neque in eundem finem iſtà ſimilitudine eſt uſus; eſt enim ejus maniſeſtiſſima apud Paulum accommodatio ad prędeſtinationis, quod tractat argumentum, ut ſtultas hominum cogitationes reprimeret, qui

cum Deo contendunt, quod hos eligat, illos reprobet, & Deum iraſci voluntate ſuâ induratis, ſine ſtomacho concoquere non poſſunt. cum Propheta convenit tametſi in re diſſimili, uterque vindicat arbitrio Dei, æquiſſimam in homines poteſtatem: aliquã diſſimilitudinem vel ipſa Prælectoris apud Paulum applicatio habet. Apud Eſajam jus figuli in lutum tantum proponitur, ut diſcant afflicti Judæi, ſibi cauſas cum Deo expoſtulandi nullas eſſe. Hîc idẽ jus proponitur ex mente prælectoris, in defenſionem, tum juſtitiæ, tum miſericordię divinę: nam dicit, Deo licet, ex univerſo humano genere, alios homines pænis eorum ſceleribus debitis afficere: alios licet immerentes ſuis donis cumulare. Quæ quidem rectè intellecta vera ſunt, non ita tamen accipienda, ac ſi qui debitis pænis afficiuntur, voluntate ſuâ electi eſſe potuiſſent, & vaſa ad decus fieri; aut unquam fiat, ut vaſa miſericordiæ, vaſa iræ fiant. Cum Deo licere dicit, alios pænis eorum ſceleribus debitis afficere, hoc ita intelligit ut multos etiam probos & ovium Chriſti, quæ ſe aptarunt in vaſa miſericordiæ & ad vitam æternam ordinârunt, ad interitum æternæ mortis reprobatos ſentiat, ut ex iis, quæ in præcedentibus excuſſa ſunt, lectori liquere poterit. Quod ſi Socinus vir fuit ingenio admirabili, ut Hieronym. Moſcorovius habet præfation. ad lectorem. defenſione animadverſionum ejuſdem Socini in aſſertion. Theologic. collegii Poſnanienſis, cujus ſane ingenii dotes non vulgares, non tamen nobis ſapit quemadmodum R.

Moſe Ben Maimon inter Judæos, qui primus Rabbinorum delirare deſiit, de quo apud Judæos diverbium à Moſe uſque ad Moſen, nequaquam fuiſſe hactenus talem Moſen. Sed in viam redeo, cum hæc extra callem videantur.

Decimo quinto loco & ultimo, ad incudem ſuam revocat locum ex cap. 2. prioris Epiſtolæ Pet. com. 8. Negat affirmari à Petro eos, qui non obediunt Euangelio, jam ei rei deſtinatos fuiſſe, ut non obedirent. Diſtinguit ille *inobedientem eſſe & offendere ad verbum: prius peccatum dicit, poſterius pœnam.* Offenſionem ad verbum gravem læſionem & exitialem ruinam interpretatur, eam ex ordinatione Dei rejecti Euangelii conſequens eſſe, citat in firmamentum antecedentis commatis verba.

Petrum non affirmare id, quod hic affirmatum videri ſibi objicit, nec ex verborum conſtructione apud Petrum perſuadere poteſt, nec ex ſuis etiam principiis evincere. Nam unde quæſo certior factus, infideles illos, cum Euangelium annuntiabatur, non fuiſſe juſto Dei judicio induratos Prælect. cap. 14. Omnino videtur firmiſſimè colligi poſſe ex dogmatis Prælectoris, immorigeros qui impingebant, improbos fuiſſe, & alienos à pietate cum Euangelium annuntiaretur; nam ut ipſiſſimis ipſius verbis utar ex paragrapho. 2. Hujus capitis. *qui animo eſt pio, facillimè vel potius omnino Dei verbis aſſentitur, contra verò qui aliter eſt comparatus.* Ex quo efficitur, immorigeros, improbos fuiſſe. Si improbi pœnâ indurationis & incredulitatis digni, ac propterea nihil impedit,

dit, ad id poſitos fuiſſe, ut eſſent immorigeri in juſtam talionem improbitatis ſuæ, cũ hæc Dei adoranda ſint judicia, ut ſtatim prælegentem audivimus, ut liceat illi ex univerſo genere humano, alios homines pænis eorum ſceleribus debitis afficere, alios verò licet immerentes ſuis donis cumulare. Verum dices etſi res ita ſe habere poſſit, aliter tamen ſe habere, ex verbis Apoſtoli manifeſtum. Sed quomodo ex verbis Apoſtoli manifeſtum, cum orationis ſtructura ad utrumque referri patiatur, & inobedientes immediatè antecedat; & offendere ad verbũ, & denique inobodientem eſſe paſſim in ſacris ταυτοδυναμοῦντα ſint, & hîc etiam ex parte æquipolleant. Offendere & incredulum eſſe, pro eodem ſumi patet ex dicto Chriſti. Beatus qui non fuerit offenſus in me Mat. 11. com. 5. ortaque oppreſſione vel perſecutione propter ſermonem, ſtatim offenditur. Paſſim in ſacris σκανδαλίζεσθαι eſt re aliquá offendi, ita ut quis aut impediatur à bono, aut exorbitet à recto, aut in peccatum aliquod ruat. Probant id loca complura 1. cor. 8. 13. Joh. 16. 1. Luc. 17. com. 2, Luc. 7. 23. Marc. 4. 17. Marc. 6. 3. Mat. 18. com. 6. Ita σκάνδαλον omne id, à quo animæ ruina per lapſum peccati Mat. 16, 23. *Offendiculo mihi es*. Mat. 18. 7. *Væ mundo ab offendiculis*. Gal. 5. 11. 1. Cor. 1. 23. *Quod ex fide juſtitiam non quæſiverunt Iſraelitæ*, hoc Paulo eſt προσέκοψαν τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος, offenderunt ad lapidem offendiculi. Quare non video, quam ob rem, offendi & inobedientem eſſe, ex parte idem non valeant, cum

Æquipollentia

 verbo

verbo offendendi & impingendi, tum rejectio lapidis angularis, per incredulitatis perfidiam: tum læſio & ruina, quæ per exitium ſpirituale, optimè & decentiſſimè eodem verbo contineatur. Ita etiam ratio antitheſis poſtulat, nam ut fideles genus Dei electum, quia gratuitâ electione ſuâ, Deus eos lapides vivos Chriſto inædificaverat, in domum ſpiritualem, in gentem & ſacerdotium ſanctum ad ſuam gloriam & in ædificatorum æternam ſalutem: ita oppoſitâ reprobatione juſtâ, Deus aliis electorum prærogativas negavit.

CAP. XIII.

De verbis prædeſtinandi, eligendi, & vocandi, quatenus ad ſalutem noſtram referuntur, quibus ſingulorum ſalutis aut condemnationis neceſſitas in univerſum confirmari videtur.

1. PRædeſtinare in ſacris literis, quod in Græco προορίζειν eſt, paucis admodùm locis ſcriptum extat. Quod verbũ ante definire & conſtituere ſignificat. Cum igitur de Deo dicitur activè, ad nos autem in ſalutis negotio paſſivè refertur, neceſſe eſt, ut antecedentem aliquam Dei de nobis, quod ad ſalutem attinet, definitionem (ut ita dicam) & conſtitutionem declaret. Noſtrates Theologi ita loqui ſolent, ut eum à Deo prędeſtinatum, vel ſimpliciter prædeſtinatum eſſe dicant, quem nominatim ita ſaluti deſtinatum ab omni æternitate eſſe volunt, ut nullo modo perire poſſit. Sacræ autem literæ

literæ iſtum loquendi modum, non addito videlicet ad quid prædeſtinatus quiſpiam ſit, aut quid de eo prædeſtinatum fuerit, vix agnoſcunt. Nam locus ille Eph. 1. v. 11. *Prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus* &c, vel ſupplendus eſt, ſecundùm id quod paulò ante ſcriptũ eſt, verſ. 5. *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum* &c, & perinde accipiendus, acſi dictum fuiſſet, *Prædeſtinati in adoptionem filiorum* &c: vel ita legendus, ut ſequentia illa
verba *ut ſimus in laudem* &c, cum verbo *Præ-* Verſ. 12.
deſtinati conjungantur, *Prædeſtinati ut ſimus* &c, id eſt, ad hoc anteà conſtituti, ut ſimus &c. Sed prior explicatio magis placet, eaque loco illo celebri confirmatur, Rom. 8. 30. *Quos autem prædeſtinavit* &c. Apparet enim, ex præcedentibus repetendum & addendum eſſe, *conformes fieri imagini filij ſui.* Jam verò, quòd aliqui à Deo prędeſtinati eſſe dicuntur, in adoptionem filiorum, vel, ut ſint conformes imagini filij ejus, non ſignificat æternam iſtam, quæ nulla ex parte nullâve prorſus ratione irrita fieri poſſit, & nominatim factam deſtinationem: ſed quia Deus ante mundi jacta fundamenta, per Chriſtum Jeſum & Judæos & gentes ad æternam vitam vocare decreverat, eâq; illos donare qui ipſum dilexiſſent, id eſt, ipſius Dei mandata conſervâſſent, propterea ii, qui Jeſu Chriſto per Apoſtolos ſuos vocanti paruerant, & qui divina præcepta exequi non recuſaverant, & prædeſtinati à Deo in adoptionem filiorum, & prædeſtinati ab eodem, ut eſſent conformes imagini filij ejus, meritò dicuntur:

dicuntur: quamvis nec nominatim unuſquiſq; eorum anteà iis rebus deſtinati eſſent; & fieri poſſet, ut illi in ejuſmodi obedientia & dilectione non perſtarent, ob eamque rem deſtinatio iſta ex ipſorum parte irrita redderetur. Et hæc quidem, quod attinet ad verbum prædeſtinandi, quatenus ad negotium ſalutis noſtræ refertur.

2. *Verbũ eligendi*, quod in Græco eſt ἐκλέγειν ſive ἐκλέγεσθαι, ſignificat ex aliquibus unum aut plura ſumere. Qua in re ex ipſius verbi vi non eſt neceſſarium, ut in eo quod ſumitur, aliquid ſit, quod in iis non ſit, quæ relinquuntur, ſeu non ſumuntur. Quocirca, cum id verbum de Deo activè dicitur, de nobis autem in ſalutis negotio paſſivè, non eſt propter ipſius verbi vim neceſſe, ut in iis hominibus, qui à Deo eliguntur, aliquid ſit, quod aliis deſit, qui non eliguntur, quemadmodum docti nonnulli viri exiſtimaverunt: ſed ſatis eſt, eos aliis omiſſis à Deo, quia illi ita viſum ſit, ſumptos fuiſſe. Solet autem hoc verbum, contra quàm in verbo prædeſtinandi fieri diximus, ita conſtrui, ut nihil addatur, ad quod electus ſit is qui eligitur. Sed ex ſubjecta materia apparet, in quem finem electus, id eſt, ut dictum fuit, ex aliis ſumptus fuerit. Ex quo fit, ut unus & idem electus & non electus fuiſſe dicatur, ut de Juda Iſcariota legimus, quem Chriſtus modò ſe elegiſſe ait, Joh: 6. 70, modò non obſcurè negat, Joh. 13. 18. nempe, quia priore loco de electione ad munus Apoſtolicum, licèt ad tempus, agitur: in poſteriore verò de electione ad ſalutem & beatita-

beatitatem: niſi velimus in poſteriore de firmiore magiſque propria, in priore autem de infirmiore & communiore quâdam electione agi, & utrobique de electione ad Apoſtolatum ſermonem eſſe. Sciendum eſt enim, cùm de ſalute etiam noſtra agitur, duplici ſenſu eligendi verbum efferri. Nam aliquando infirmiorem & magis communem quandam electionem, aliquando verò firmiorem magiſque propriam ſignificat. Siquidem ii omnes, qui Euangelicæ prædicationi, quæ à Deo proficiſcatur, aſſentiuntur, electi a Deo eſſe dicuntur: dicuntur tamen iidem non electi, ſed vocati tantùm, niſi poſtquàm aſſenſi fuerint, vitam quoque vocatione iſta dignam inſtituerint. Paulus 1. Theſſ. 1. 4. ait, eos ad quos ſcribit electos eſſe, (nam in vulgata editione, verba *à Deo*, non cum verbo *Dilecti*, ſed cum verbis *electionem veſtram*, conjungi debent) & ſtatim æjuſce rei rationem reddens inquit, *quia Euangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantùm* &c. Ex quibus verbis liquet, eos omnes à Deo electos eſſe, qui Euangelicæ prædicationi à Deo profectæ aſſenſi fuerint. Apparet enim Paulum, ut probet Theſſalonicenſes fuiſſe à Deo electos, ſive eorum electionem & ſecretionem quandam ab aliis hominibus divinam eſſe, ſatis habere oſtendere, prædicationem, cui iſti aſſenſi fuerant, verè à Deo profectam fuiſſe. Hujus electionis meminit idem Apoſtolus, ad eoſdem Theſſalonicenſes ſcribens, poſteriori epiſtola cap. 2. 13. Atqui Chriſtus apud Matthæum cap. 22. in parabola illa invitato-

Verſ. 5.

tatorum ad nuptias, ſatis apertè demonſtrat, eos qui prædicationi Euangelicæ aſſenſi fuerint, nec tamen, ut eà dignum eſt, ſe geſſerint non eſſe electos, ſed tantùm vocatos: is enim qui ad nuptias quidem invitatus acceſſerat, veſte tamen nuptiali indutus non erat, ſine dubio ejuſmodi homines ſignificat. De eo
Verſ. 13. autem ibi dictum eſt: *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Paulus igitur in locis ſupra allatis, de infirmiore quâdam, magiſque communi electione ait: Chriſtus verò de firmiore magiſque propria. In priore, dixerit fortaſſe quiſpiam, non eſſe neceſſe, ut is qui eligitur, aliquid habeat, quod aliis qui non eliguntur deſit: at in poſteriore omninò is qui eligitur aliquid habeat neceſſe eſt, quod alij non habeant, qui non eliguntur. Verùm hoc, quod ad verbi Eligendi vim attinet, ex accidente fit. Adeò autem verum eſt, in firmiore magiſque propria electione iſta, aliquid in eo eſſe debere, qui eligitur, quod aliis deſit, ut ipſius electionis firmitas inde maximè pendeat. Nam unde factum eſt, ut qui veſtem nuptialem non habebat, minimè fuerit iſta electione electus, niſi ob id ipſum, quod veſtem nuptialem non habebat? Idem apertè colligitur ex verbis Petri, poſteriore epiſtola cap. 1. 10. *Quapropter fratres magis ſatagite, ut certam veſtram vocationem & electionem faciatis*: præſertim, cùm in vulgata latina editione, cui nonnulla Græca exemplaria adſtipulantur, eà verba legantur

per

per bona opera. Utcunque ſit, hîc manifeſtum eſt, non modò veriſſimam eſſe diſtinctionem noſtram firmioris& infirmioris electionis; verùm etiam firmitatem illam majorem à noſtro ſtudio noſtraque diligentia maximè pendére; nec tamen Dei propoſitum excluditur, aut illi non omnia accepta referuntur: niſi enim Deus eos firmiter eligere proque ſuis omninò agnoſcere decreviſſet, qui poſtquàm Euangelio aſſenſi fuiſſent, ad Euangelij pręſcriptum & normam vitam moreſque ſuos conformâſſent ac compoſuiſſent, nulla ejuſmodi electio eſſet: neque enim ſunt hæc per ſe tanto bono digna. Illud addo, ſi quis rem diligentiùs conſideret, ne infirmiore quidem electione illa, hominis voluntatem & factum non requiri: ſed in ea quoque aliquid in eo eſſe debere qui eligitur, quod in aliis non ſit, qui non eliguntur. Sciendum eſt enim, quemadmodum ex utriuſque electionis explicatione noſtra ſatis intelligi poteſt, ſacras literas utramque electionem non ex Dei propoſito curavé metiri, ſed ex eventu ipſo. Quocirca etiamſi, cum Deus ex ſola bonitate ſua ac beneplacito (ut vocant) curat cuipiam Euangelium prædicari, dici poſſet, iſtum à Deo electum fuiſſe, tamen non conſueverunt ſacræ literæ eum à Deo electum fuiſſe dicere, niſi poſtquàm Euangelicę prædicationi aſſenſus fuerit. Itaque in priore quoque infirmioreque electione, aliquid habere debet is, qui eligitur, quod alij qui non eliguntur non habeant, id eſt, Euangelicę prædicationis aſſenſum, quo qui carent, licèt ipſis quoque non minùs

quàm

quàm aliis, Euangelium prædicatum fuerit, & ſalus vitaque Deo oblata, tamen quia ipſorum culpâ factum eſt, ut eventus divinæ voluntati non reſponderit, Deum iſtos elegiſſe non dicit ſcriptura, ſed eos tantùm, qui eo aſſenſu ſunt præditi: quod ita ſe habere tunc apertiùs conſtabit, cum de Vocandi verbo diſputabimus. Neque huic ſententiæ noſtræ repugnant verba illa Pauli, Ephe. 1. 4. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, &c. Namque eo loco Eligendi verbum non propriè uſurpatum fuit, nec electionem ipſam ſive eligendi actum declarat, ſed eligendi decretum, quæ loquendi forma ſanctis literis perquàm familiaris eſt, præſertim verò apud ipſum Paulum, qui affirmare non dubitat, Deum ſuos jam glorificâſſe, Rom. 8. 30. & datam nobis fuiſſe gratiam in Chriſto ante tempora ſecularia, 2. Tim. 1. 9. & alia ejuſmodi non pauca, in quibus verbis, rem ipſam ſignificantibus, ad decretum de re à Deo factum, declarandum utitur. Ex iis quæ hactenus diſſeruimus, ſatis perſpicuum eſſe credimus, ex Dei electione, de qua ſacra ſcriptura loquitur, nihil colligi poſſe, quod in ſalute noſtra nobis comparanda, nihil nos liberè agere oſtendat: ſed potiùs ex ea ſatis intelligi debere, ſine voluntate noſtra ſalutem nobis non comparari, & nihil planè effici, quippe, cùm ne ipſa quidem electio abſque voluntatis noſtræ libera actione aliqua eſſe, aut conſiſtere ullo modo poſſit; ſed nec ullam neceſſitatem ſalutis ſingulorum qui ſervantur, indicant loci in ſacris literis, qui de divina electione loquun-

quuntur. Quamvis enim eę ſententię in multis ipſorũ ſcriptę ſint, ex quibus conſtare videtur Dei electos perire non poſſe, tamen non ſolùm intelligendum eſt, in ejuſmodi locis de firmiore illa magisque propria Dei electione agi, quę omninò, ut dictum eſt, hominis factum requirit; ſed eſt etiam conſiderandum, in illis non dici, electos ab electione excidere non poſſe, ſi ipſi in ea perſiſtere nolint, ſed donec ſunt electi, hoc eſt, vitam degunt Euangelio, cui aſſenſi fuerint, dignam, non poſſe fieri ut pereant. Vide quæ ſupra de ovibus Chriſti, quæ perire non poſſunt, diſputavimus. Illud eſt poſtremò ſciendum, aliquando Eligendi verbo aliquid adeò ſingulare ſignificatum in ſacris literis fuiſſe, ut ne omnes quidem ſervandos comprehenderit, ſed quoſdam duntaxat, ut ex parabola illa, de operariis à vineæ Domino conductis, perſpicuum eſt. Certum eſt enim, omnes illos operarios, quibus eadem merces data eſt, omnes ſervandos ſignificare, quibus eadem vitæ æternæ merces dabitur, & tamen non minùs certum eſſe videtur, ſententiam illam, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, ad iſtos à Chriſto accommodari, & electos non obſcurè dici, qui licèt horâ undecimâ diei ad laborandum in vinea acceſſerint, eandem tamen mercedem, quam cæteri, habuerunt, cæteros verò vocatos. Sed utcunque Chriſti verba accipi debeant, negari non poteſt, ipſum electorum nomine non omnes qui ſervantur intellexiſſe, ſed ſingulares aliquos, id eſt, qui in ſalute conſequenda ſingularem aliquam erga ſe Dei benigni-

Matth. 20.

Verſ. 16.

 nigni-

nignitatem præ cæteris ſunt experti. Verùm, quia in hoc, & ſi qui ſunt ſimiles loci, non de ipſa electione ad ſalutem agitur, propterea, cum de electione ad ſalutem ageremus, duas tantùm illas electiones commemoravimus, quæ, ut oſtenſum fuit, ex ipſis divinis literis manifeſtè eliciuntur.

3. *Sequitur*, ut de Vocandi verbo agamus. Et hoc quidem verbum, cum de Deo activè dicitur, & ad nos paſſivè in ſalutis negotio refertur, idem omninò ſignificat, quod verbum Eligendi in infirmiore ex ſupradictis duabus electionibus: quandoquidem in ſacris literis ii demũ à Deo vocati eſſe dicuntur, qui Euangelio aſſenſi fuerint. Quamvis enim, ut de verbo Eligendi diximus, is videatur vocatus à Deo dici poſſe, cui Euangelium ex Dei voluntate annuntiatur, etiamſi ei nullam fidem adhibuerit, tamen vix invenias ubi id in ſacris literis ſcriptum ſit. Imò ii, qui prædicato Euangelio fidem adhibuerunt, vocatorum nomine, ab iis qui non adhibuerunt, apertiſſimè diſtinguuntur à Paulo, 1. Cor. 1. 23. 24. in his verbis: *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum: gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem vocatis, Judæis atq; Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.* Appellat manifeſtè vocatos, Judæos & Græcos illos, qui Euangelio prædicato fidem adjunxerant: cæteros verò ex Judæis, quibus prædicatum quidem fuerat Euangelium, ſed illud rejecerant aut contempſerant, vocatorum nomine non dignatur, ſed à vocatis diſertè ſeparat atque ſejun-

ſejungit. Idem probatur ex verbis, quæ mox conſequuntur; *Videte* (vel potius videtis) *enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem* &c. Nam idem eſt ac ſi dixiſſet: Videtis, fratres, ex vobis qui vocati eſtis, non multos eſſe ſapientes ſecundùm carnem &c. Sicut enim Electio interdum eos qui electi ſunt ſignificat, ut Rom. 11.7. ita hoc loco Vocatio, eos qui vocati ſunt ſignificare poteſt. Sed quomodocunque nomen *Vocatio* accipitur, certum eſt, loci ſententiam eam eſſe, quam modò diximus. Ex qua conſtat, eos tantùm vocatos dici, qui Euangelium receperunt, idemque, ut dictum fuit, in ſacris literis pollere Vocandi verbum, quod Eligendi, cum verbum Eligendi infirmiorem illam magiſque communem electionem ſignificat, id quod ſequentia verba perſpicuè docent. Ait enim: *ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus* &c. Quos priùs vocatos dixerat, poſteà electos eſſe à Deo affirmat, & pro Vocandi verbo, verbũ Eligendi ſubſtituit, quippe, quod idem polleat idemque prorſus declaret.

Verſ. 26.

Verſ. 27. 28

4. Sed dicet aliquis ex loco iſto apertè colligi poſſe, electionem ſeu vocationẽ iſtam, non ex eventu magna ex parte, uti nos diximus, metiendam eſſe, ſed ex Dei tantùm propoſito, quod eventus eſtendat. Nam cùm ratio quæ redditur ſeu mavis cauſa hujus electionis, ad Dei conſilium tota referatur, *ut confundat ſapientes, ut confundat fortia* &c, ſatis apparet illam

 uni-

univerſam non ex eventu, ſed ex Dei propoſito penderet? Reſpondemus, Imò ex eventu potiſſimùm electionem iſtam Paulum collegiſſe eamq́ue menſum fuiſſe, ut ex ſuperioribus verbis, *Ipſis autem vocatis* &c, &, *videtis enim vocationem veſtram* &c. ſatis conſtare poteſt, qui tamen eventus ad Dei conſilium refertur, quatenus Deus viam Euangelii ad homines eligendos propoſuit, id eſt, conſtituit, ut ii demum ſervari poſſint, qui Euangelio aſſenſi fuerint, quod difficulter admodùm ii faciunt, qui ſecundum carnem ſapientes ſunt, aut potentes aut nobiles. Nam, cùm id Deo ut cætera omnia compertiſſimum ſit, meritò non ſolùm eventus ipſe, quod pauci ejuſmodi homines Euangelio aſſentiantur, & ita ad ſalutem eligantur, Dei opus eſſe dicitur; verùm etiam ejuſce rei finalis cauſa ad Dei conſilium refertur, in eoq́ue inquiritur. Totus enim locus perinde accipiendus eſt, ac ſi Paulus diceret Deum in hominibus ſervandis eam viam elegiſſe, per quam pauci ſapientes ſecundùm carnem, pauci potentes, pauci nobiles, ſervantur; ejuſque rei, cur ſcilicet ejuſmodi viâ Deus elegiſſet, rationem redderet, ita ut præcipuè non Dei conſilium explicet, ſed quænam Euangelij natura ſit, doceat: non Dei voluntatem ipſe dicat atq; decretum, ut pauci ſapientes ſecundùm carnem pauci potentes, pauci nobiles ſerventur, & ad agnitionē veritatis veniant: ſed viam ſervandi homines, quam elegit Deus ejuſmodi eſſe affirmet, ut pauci ex iſtis eam agnoſcere & complecti velint, quemadmodum res ipſa manifeſtè

V.24.&26.

niſeſtè docet. Itaq; cùm via iſta, quam Deus elegit & ſanctiſſima ſit, & omni non modò laude, ſed etiam admiratione digniſſima, cùmque eam Deus omnibus, quibus prædicari Euangelium curat, ex æquo proponat, & nonnulli prætereà, quamvis pauci, ex iſtis ſapientibus ſecundùm carnem, & aliis jam dictis eam amplectantur: certè nec reliquorum contumacię ulla prorſus in Deo cauſa reſidet: quippe cùm non eos ipſe, ſed ipſi ſe ab Euangelio recipiendo excludant, nec neceſſitas aliqua ex Dei conſilio emanat; nec deniq; injuſtitiæ ne minima quidem ſuſpicio in hoc univerſo Dei facto eſſe poteſt.

Satis conſtare ex ſupra dictis arbitramur, 5.
nec Prædeſtinandi, nec Eligendi, nec Vocandi verbum, in ſacris literis, cum ad ſalutem noſtram à Deo procuratam accommodantur, ullam neceſſitatem declarare, liberámve noſtram voluntatem ea in re excludere. Verùmtamen antequàm diſputationem planè concludamus, operæ pretium eſt celeberrimum locum apud Paulum in epiſtola ad Rom. cap. 8. diligentiùs examinare, & quàm ea quæ ibi dicuntur cum iis quæ ſupra docuimus conſentiant, explicare. Eſt enim ibi & Prædeſtinandi & Vocandi verbum expreſſum. Eligendi verò verbum, quamvis expreſſum non ſit, tamen reipſâ quidquid verbum illud ſignificat ibidem continetur, potiſſimùm autem in ipſo verbo Vocandi, quod apud eundem Paulum idem aliquando pollere oſtendimus: imò ſatis expreſſum eſt, in voce electorum, de qua ſuo

loco videbimus. Sic igitur ſe habet locus, quem
Verſ. 28. nos per partes explicando recitabimus: *Sci-
mus autem, quoniam diligentibus Deum omnia
cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſi-
tum vocati ſunt.* Jam ex his verbis, ad quæ con-
ſequentia omnia ſine dubio reſpiciunt & rela-
tionem habent, apertè deprehenditur, de qui-
buſnám hominibus Paulus loquatur, nempe de
iis, qui Deum diligunt, hoſque ſecundùm pro-
poſitum (Dei nimirum) vocatos eſſe ait, id eſt,
iſtos demum, quemadmodum ex ipſius Euan-
gelij natura, quod Deus annuntiari curavit,
colligi poteſt, ex ipſius Dei conſilio Euangelio
fidem adhibuiſſe, & ſaluti deſtinatos eſſe.
Namque neceſſe eſt, ut antequàm Euangelio
quiſquam fidem adhibeat, vel ante ipſius Eu-
angelij prædicationem, vel poſteà Deum dili-
gere incipiat: ſolet enim Euangelij prædica-
tio, etiam in eorum cordibus, qui anteà Deum
non diligebant, eam dilectionem ingenerare,
idque propter ampliſſima promiſſa in ipſo Eu-
angelio contenta, quæ Deus omnibus propo-
nit, propterque ſummam charitatem quam in
filio ſuo, propitiationem pro peccatis noſtris
mittendò, nobis oſtendit. Nam, ut inquit
1. Ioh. 4. 9 Johannes, *Nos diligimus eum, quia ipſe prior
dilexit nos.* & ſupra dixerat v. 10. *In hoc eſt cha-
ritas, non quòd nos dilexerimus Deum, ſed quoni-
am ipſe delexit nos, & miſit filium ſuum propitia-
tionem pro peccatis noſtris.* Quibus tamen ver-
bis, non omninò excludit Johannes hominis
dilectionem adverſus Deum, ante Euangelij
prædicationem: ſed fieri ſolere nos docet, ut
Euangelij

Euangelij prædicatione audita, in qua de Dei erga nos dilectione admonemur, Deum diligamus; & ſalutis noſtræ à Deo procuratæ, non dilectionem aliquam noſtram, adverſus Deum, quæ anteceſſerit, ſed ipſius Dei erga nos dilectionem, cauſam fuiſſe ait. Certè Deum diligi à nobis poſſe, etiam antequàm Euangelium nobis annuntietur, vel unum Cornelij centurionis exemplum demonſtrat. Quanquam Johannes fortaſſe de eximia Act.10.1.2.
quâdam tantùm dilectione noſtra erga Deum loquitur, quæ non niſi ex Jeſu Chriſti ejuſque Euangelij cognitione proficiſci poteſt, de qua ſola ſi Paulum quoque locutum fuiſſe velimus, ſenſus ejus verborum erit: ex iis qui Euangelio ſunt aſſenſi, eos demum ad immutabile de ſalute danda Dei decretum pertinere, qui Deum ea ratione, quæ in ipſo Euangelio præſcripta eſt, ex animo diligunt. Sed ad rem.

Dixerat Paulus, omnia cooperari in bonum Verſ. 28.
diligentibus Deum, hoſque ex ipſius Dei conſilio prædicato Euangelio fidem adjunxiſſe, & ita ad ſalutem æternam vocatos eſſe: quorum rationem redditurus ſtatim ſubjungit: *Nam* Verſ. 29.
quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imagini filij ſui, ut is ſit primogenitus in multis fratribus. Idcircò, inquit Apoſtolus, dixi, iſtis Deum diligentibus, iſtis inquam, anteà à Deo approbatis, omnia cooperari in bonum, quia quos Deus anteà approbavit, hos etiam anteà decrevit ſimiles fore filio ſuo unigenito, quem aliorum filiorũ ut anteſignanum, ſic exemplar

quoddam eſſe voluit. Quocirca, quemadmodum Dei filius unigenitus Jeſus Chriſtus per calamitates & perpeſſiones ad æternam beatitatem pervenit,& propter crucis paſſionem,
Hebr, 2. 9. ut alibi ſcriptum eſt, gloria & honore eſt coronatus: ſic etiam alij filij, qui nimirum & ipſi à Deo approbati ſunt, etiamſi multa mala perpeſſi fuerint, tamen hac ipſa ratione fiet,ut beati in æternum ac glorioſi evadant. Qua de re Apoſtolus ſupra multis diſſeruerat, quò ea omnia quę hîc dicit referenda ſunt. Docuimus autem alibi,verbum *Præſcire* hoc loco idem ſignificare, quod anteà approbare, exemplo allato ex eadem Pauli epiſtola cap. 11. 2. Porrò in his verbis, omninò poſt verbum *præſcivit* ſubaudiendum eſt relativum *hos*, quod in ſequentibus expreſſum eſt. Pergit autem Paulus
Verſ. 30. & ait: *Quos autem Prædeſtinavit, hos etiam & vocavit: & quos vocavit, hos & juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.* Supra diximus, poſt verbum *Prædeſtinavit* repetendum eſſe ex antecedantibus *conformes fieri*, &c. Brevitati enim & concinnati cuidam ſimul ſermonis ſtuduit Paulus. In his verbis docet Apoſtolus,eos qui Deum diligunt, & propterea jam ab ipſoDeo anteà approbati ſunt,ejuſdem decreto gloriæ deſtinatos eſſe, & quibus gradibus ad id ab ipſo perducantur,oſtendit. Unde manifeſtum fit, id veriſſimum eſſe, quod propoſuerat, iſtos ſecundùm Dei propoſitum vocatos eſſe. Vocandi verbum hoc loco idem planè ſignificat, quod 1. Cor. 1. 24. & 26. in nomine vocatorum & vocationis, ut ante docuimus,

cuimus, id eſt, per Euangelij prædicationem efficere, ut ipſi Euangelio fidem adhibeant, & ad Chriſti eccleſiam aggregentur. Juſtificandi autem verbum, frequentiſſima in divinis literis, quarum peculiare verbum eſt, ſignificatione ſua, abſolvere, juſtumque pronuntiare, id eſt, pro juſto habere, ſignificat. Qui igitur diligunt Deum, & ab ipſo approbati ſunt, primùm iiſdem rebus ab eo deſtinantur, quas Chriſto eveniſſe novimus: deinde ad eccleſiam fidelium per Euangelij prædicationem aggregantur: unde illud, *Dominus autem addebat* Act. 2. 47.
ſervandos quotidie eccleſiæ (ſic enim habent ad verbum Græci codices): tùm verò ab omnibus peccatis abſolvuntur, & pro juſtis habentur: poſtremò autem glorificantur, id eſt, firmiore & magis certa quadam ratione immortalitati beatæque vitæ deſtinantur. Itaque meritò ſtatim addit Apoſtolus: *Quid ergo dicemus ad* Verſ. 31.
hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Cum enim nos nominat, non ſe & eos ad quos ſcribit, ſed ſe & omnes veros Chriſtianos intelligit, eos, inquam, omnes qui Deum diligunt, ut ante dictum fuit. Ubi animadvertendum eſt, ſemper de iis loqui Paulum, quibus Chriſtus annuntiatus fuerat, nec verbis ſuis eos diligentes Deum complecti, qui de Chriſto nondum aliquid audierant: Noſtrum autem appellatione ſolere Paulum, ut alij etiam ſcriptores novi Teſtamenti ſolent, ſe & omnes veros Chriſtianos duntaxat intelligere, ita notum eſt, ut id exemplis prolatis probare ſupervacaneum ſit omninò, præſertim cùm paulò ſuperius,

perius, id eſt, à verſu 16. & deinceps, hac loquendi figurâ ſæpiùs uſus fuerit. Quid igitur (ait Paulus) dubitandum eſt iis, qui reverâ, non nomine tantùm, Chriſtiani ſunt, & Deum diligunt, hoc eſt, ejus præcepta conſervare ſtudent? Quis eis nocere poteſt, ſi Deum tantopere propitium habent? Quod ut magis con-
Verſ. 32. firmet, ſubjicit: *Qui & proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Tantam charitatem erga nos tantamque liberalitatem Deus oſtendit, cum, ut nos è Diaboli ſervitute eriperet, & ſui regni participes faceret, propitium & chariſſimum filium acerbiſſimæ morti tradere, proq; nobis eum quodammodo impendere non dubitavit, ut nullum dubium ſupereſſe queat, quin unà cum ipſo filio, omnia per eum nobis promiſſa bona daturus ſit. Deinde, ex iis quæ ante dixerat reſponſionem infert ad ea, quæ Chriſtum profitentibus Deumq; diligentibus objici poterant, vel potiùs eorum depulſionẽ, quę timenda videban-
Verſ. 33. tur, & ait: *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus [eſt] qui juſtificat.* Dixerat, eos, qui Deum diligunt juſtificatos eſſe à Deo, id eſt, ut diximus, ab eo à peccatis ſuis, hoc eſt, peccatorum pœna abſolutos, & pro juſtis habitos. Quis igitur, etiamſi iſti aliquando peccatores fuerint eos accuſare audebit? cùm Deus ipſe, coram quo accuſatio iſta inſtituenda eſſet, omnem peccatorum reatum in ipſis deleverit, cùm ipſe pro non peccatoribus, id eſt, perinde ac ſi nunquam pecâſſent, eos habeat? Vides autem, Apoſto-

Apoſtolum iſtos Dei electos nominare. Itaq; Dei electi ſunt illi, inter eos quibus Chriſtus annuntiatus fuit, qui Deum diligunt, & ejus mandata faciunt, firmiore illa verbi Eligendi ſignificatione. Et illicò ſubjungit: *Quis eſt qui condemnet? Chriſtus* [*eſt*] *qui mortuus eſt*, ſubaudi, pro illis. Dixerat enim, Deum tradidiſſe proprium filium ſuum, id eſt, Chriſtum pro omnibus. Quis, inquit, erit, qui iſtos condemnet? cùm ipſe Chriſtus, qui judex omnium à Deo conſtitutus eſt, pro ipſis mori voluerit? Num ipſe eos, quos tantopere amat, condemnabit unquam? Verùm, ut quod dixerat aliquantò clariùs explicet ſimul atq; confirmet, & præterea idem evidentiùs probet, ea verba ſubjungit: *Imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*. Reſurgendi verbo ſatis id explicat, quod anteà tacitè dixerat, Chriſtum omnium judicem à Deo conſtitutum fuiſſe. Nam idem Paulus Athenienſibus dixit, Deum diem quandam ſtatuiſſe, in qua juſtè judicaturus ſit orbem, per virum quendam huic muneri à ſe deſtinatum, cujus rei fidem omnibus fecerit, cum eum virum à mortuis excitavit. Reſurrectio igitur Chriſti (ut iſtic Paulo placet) oſtendit illum judicem omnium à Deo fuiſſe conſtitutum, quemadmodum ipſe Chriſtus prædixerat. Sed ſimul etiam eum à morte in æternum liberatum eſſe demonſtrat. Ex quo conſequitur, eos qui ejus membra ſunt, hoc eſt, qui ipſum imitantur, ipſoque duce & auctore Deum, ut ille docuit & fecit, ex animo diligunt, à morte ſimili-

Verſ. 34.
Verſ. 34.
Act. 17. 31.

ſimiliter in æternum liberandos fore, & ſic nulli condemnationi (nam mors pœna peccati eſt) propter præteritas iniquitates ſuas eſſe
Verſ. 34. obnoxios. Sed addit, *qui eſt ad dexteram*, ſive, ut eſt in Græco, *in dextera Dei*, id eſt, nunc divina etiam poteſtate præditus eſt, & primum ſecundùm Deum dominationis & gubernationis in eccleſia, iiſque quæ ad eccleſiam quoquomodo pertinent, gradum obtinet. Quocirca poteſt ſuos perpetuò juvare & fovere, nec permittere, ut illis aliquid contingat, quod ipſis in bonum non vertatur. Sed quia non ſatis eſt poſſe, niſi adſit voluntas, idcircò poſtremò
Ibidem. addit: *qui etiam interpellat pro nobis*, hoc eſt, quemadmodum poteſt, ſic etiam vult nos juvare, idque perpetuò facit: quod interpellandi ſeu rogandi pro nobis verbo declaravit, ut oſtenderet, quidquid Chriſtus nobis largitur, id poteſtate eum largiri ſibi à Deo tradita, non autem quam ex ſeipſo habuerit; & quod ad hanc partem attinet; perinde eſſe, ac ſi Chriſtus precibus id à Deo impetraret, ut ſua auctoritas & prærogativa Deo intacta conſervetur, agnoſcaturq; ipſum ſolum omnium bonorum primam cauſam & fontem eſſe. His explicatis, Apoſtolus uſque ad capitis finem nihil aliud agit, niſi ut ex ipſis inferat, fieri non poſſe, ut res ulla nos ſeparet à charitate Dei & Chriſti, id eſt impediat, quominùs nos Deus amet, & iis beneficiis afficiat, (idq; per ipſum Chriſtum) quę Chriſtus ejus nomine nobis pollicitus eſt: non autem, ut nonnulli ſunt arbi-
V.35.36.&c trati, loquitur Paulus de dilectione noſtra

erga

erga Deum. Etſi enim calamitatum meminit, quæ non poſſint nos à dilectioneDei ſeparare, ſenſus tamen eſt, calamitates non eſſe indicia iræ Dei contra nos, nec tanti eſſe, ut nobis felicitatem noſtram à Deo promiſſam eripere poſſint. Loquitur Paulus, ut demonſtratum fuit, de iis qui Deum diligunt, quibus omnia cooperari in bonum affirmat, atque ad hunc ſcopum omnia ſua verba dirigit. Unde perſpicuum eſt, non dilectionem noſtram erga Deum, ſed Dei erga nos, ſi illum dilexerimus, conſtantem atque perpetuam fore, eum tanta eloquentiæ vi, quâ hoc loco uſus eſt, oſtendere ac perſuadere voluiſſe.

Ex antedictis ſatis conſtare videtur, verba Prædeſtinandi, Eligendi, Vocandi, ad Deum activè relata, & ad ſalutem noſtram accommodata, nullam in ſacris literis vim habere, ad neceſſitatem aliquam de ſingulorũ qui ſervantur ſalute inducendam: celebremq; locum illum ad Rom. 8. 29. 30. &c. *Quos præſcivit* &c. nullum aliud immutabile Dei decretum continere, præter hoc, quod, qui Deum diligunt, fieri non poteſt, quin à Deo ea dilectione, quam in Chriſto exhibuit, diligantur, & ſic in æternum ſerventur. Nec alia ſanè ratione explicandi ſunt omnes ij loci, in quibus de divino eoque antiquiſſimo quorundam hominum ſervandorum decreto agitur, nempe, ut nõ certi quidam homines nominatĩ intelligantur, ſed genus quoddam hominum. Quocirca, cum, exempli cauſa Chriſtus Matth. 25. 34. ſeipſum in judicij die ſic ad ſervandos homines loquentem inducit,

Venite

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, non eſt intelligendum, unumquemque ex illis nominatim ab orbe condito ſaluti deſtinatum fuiſſe: ſed eos ex eo hominum genere eſſe, quibus ſalus ab ipſo mundi exordio parata fuerat. Colligitur hoc aperté ex iis, quæ ſtatim ſubjiciuntur v. 35. *Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare* &c. Apparet enim perinde eſſe ac ſi dictum fuiſſet: Iis omnibus qui mihi eſurienti manducare dediſſent &c, paratum fuit hoc regnum ab ipſa mundi conſtitutione: Atqui vos mihi eſurienti manducare dediſtis &c: Igitur vobis hoc regnum à mundi conſtitutione paratum fuit. Alios ſimiles locos ex hoc uno, quiſque facilé interpretari poterit. Itaque eorum examinationem omittemus. Aliquid tantùm dicemus de
6. iis locis, in quibus ſcriptorum in libro vitæ fit mentio, ut in Apoc. cap. 13. 8. & 17. 8. & 21. 27. Sciendum eſt enim, præter id quod modò dictum eſt, quodque ejuſmodi ſacris teſtimoniis rectiſſimè accommodari poteſt, methaphoricum iſtum loquendi modum nullam neceſſitatem ſignificare ſolere, & fieri poſſe, ut qui ſcripti ſunt in libro vitæ inde deleantur. Moſes certè Exod. cap. 32. 32. rogat Deum, ut vel populo ignoſcat, vel ſe de libro, quem ſcripſerat, deleat: cui Deus reſpondet, v. 33. ſe eos de libro ſuo deleturum, qui peccaſſent. Et David Pſalm. 69. 29. orat, ut inimici ſui ex libro viventium deleantur: & in Apoc. quoq; cap. 3. 5. ait Chriſtus, ſe ejus qui vicerit non deleturum nomen de libro vitæ. Et circa finē

ejuſdem

ejuſdem libri ſcriptum eſt : *Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.* Apoc. 22. 19. Cum igitur in ſuperioribus illis Apoc. locis, quorundam ſit mentio, quorum nomina non ſunt ſcripta in libro vitæ agni, idq́ue ab origine ſeu conſtitutione mundi, (neq́ue enim in primo loco ea verba *ab origine mundi*, conjungenda ſunt cum iis, poſt quę ſtatim ipſa ſequuntur *qui occiſus eſt*, ſed cum ſuperioribus, ut ex ſecundo loco patet) ex quo ſatis manifeſtum eſt quoſdam eſſe, quorum nomina in libro illo vitæ ab origine mundi ſcripta ſunt, intelligendũ eſt, iſtos ita ſcriptos eſſe, ut deleri tamen poſſint, nec alios, eſſe, niſi illos, qui vitam poſſunt adipiſci, id eſt, eos omnes, qui non adorant beſtiam, neque admirantur eam. (nam qui eam adorant, aut admirantur, nullo modo ſervari poſſunt) idque ab ipſa mundi conſtitutione ſtatutum eſſe, ut qui beſtiam non adoraverint, nec admirati fuerint, ſervari poſſint, cæteri verò minimé. Quod ſi tamen placeat, eos qui in prædictis locis tacitè in vitæ libro à conſtitutione mundi ſcripti eſſe dicuntur, omninò ſervari debere, ſatis eſt oſtendiſſe, ibi non de certis quibuſdã hominibus nominatim agi, ſed de hominum quodam genere: ex quo intelligitur, ſuperiorem illam generalem reſponſionem ad hos quoque locos, quemadmodum præfati ſumus, rectiſſimè accommodari poſſe. Nec verò quẽquam moveat, quod in his locis nominum ſit mentio, quaſi proprium cujuſque nomen ea voce ſignificetur. Methaphorica enim, ut dictum

ctum fuit, locutio eſt, ab iis derivata, qui aliquo in libro eos nominatim ſcribunt ac notant, de quibus ſecum aliquid ſtatuunt atq; decernunt. Itaq; ea locutione nihil aliud quàm decretum de quibuſdã hominibus ſignificatur, ſive certa ſint eorum propria nomina, ſive incerta. Satis eſt enim, eorum qualitatem quandam certam eſſe, quæ in hac metaphora proprio nomini planè reſpondet. Verum, nomen alicujus ſcriptum eſſe in libro vitæ, non ſignificare, eum nulla prorſus ratione interire poſſe, ſatis id demonſtrare videtur, quod Paulus ad Philip. cap. 4. 3. audet affirmare, quorundam certorũ nomina, Clementis, inquam, & aliorum ſuorum adjutorum eſſe in libro vitæ. Siquidem nec ullo modo veriſimile eſt, Deum Paulo pateſeciſſe certos iſtos homines perire non potuiſſe; nec ſi pateſeciſſet, Paulum id ipſum omnibus aliis aperuiſſe, præſertim ſimplici ejuſmodi affirmatione, nullo tantæ divinæ pateſactionis vel indicio vel teſtimonio, vel majore ſaltem ac diligentiore aliqua confirmatione & narratione aliqua adhibita. Adde, quod idem Paulus ad Philemonem ſcribens v. 24, Demam inter adjutores ſuos recenſet, de quo tamen ad Timoth. ſcribens ait: *Demas me reliquit, diligens hoc ſeculum*. Nihil aliud ergò ſibi vult Paulus, cum dicit adjutorum ſuorum nomina eſſe in libro vitæ, quàm ipſos in ſalutis certiſſima via eſſe, in qua ſi perſeveraverint, vitam æternam adipiſcentur: non autem eos omninò vitam æternam adepturos, & ita nunquam fieri poſſe, ut ab ea via aberrent atque deſciſcant.

2. Tim. 4. v. 10.

CAP.

Refut. Cap. XIII.

De verbis prædeſtinandi eligendi & vocandi, quatenus ad ſalutem noſtram referuntur, quibus ſingulorum ſalutis aut condemnationis neceſſitas in univerſum confirmari videtur.

SEct. 1. de notione vocis prædeſtinandi, ejuſque in ſacris uſu, primò tractat, & caſtigatione aliquâ non indigni videntur Prelectori Theologi, qui nominatim ſaluti deſtinatos, ab omni æternitate, ut nullo modo perire poſſint, à Deo prædeſtinatos, vel ſimpliciter predeſtinatos eſſe dicere ſolent, hanc loquendi formã à ſacris recedere, aut vix in iis agnoſci. Verùm enimvero leviculum hoc eſt, nam vox προορίζειν rarius occurrit in N. Fœderis libris, & cum Theologi æterne ſaluti deſtinatos, unâ voce prædeſtinatos nuncupant, quin ſubintelligas id ad quod ſunt prædeſtinati, nihil obluctatur, cum communiter recepta ſit, quod rem ipſam ſpectat illa Thomæ prædeſtinationis definitio 1. part. ſum. quæſt. 23. art. 2. *Prædeſtinatio eſt præparatio gratiæ in præſenti & gloriæ in futuro; ſive eſt præparatio beneficiorum Dei*, ut dicit Auguſtinus in libro de prædeſtinatione ſanctorum. In loco illo ad Epheſ. 1. com. 11. *Prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus*, non minus cætera quàm adoptionis beneficium intelligi poteſt. Prædeſtinare.

Hæc ubi de notione vocis accepimus, venit ad rem ipſam, ad profligandũ ipſum queſtionis

caput tria prodit. 1. *prædeſtinationem aliud nihil eſſe quàm Dei voluntatem, quâ ſtatuit vocare & ſe diligentes mandatáq; ſua conſervantes in filios adoptare.* 2. negat *prædeſtinationem decretũ eſſe de certis & ſingularibus perſonis ſalvandis*, quam prædeſtinationem ſingularium nominatim factã, deſtinationem vocat: ſingulares perſonas jam vocatas & obedientes dici per denominationem à decreto generali, quo vocare Judæos & gentes, & ex iis credentes ſervare decrevit. Tertiò *prædeſtinationem hanc generalem de ſalvandis obedientibus, quoad particularẽ ejus, ad ſingulares perſonas applicationem, mutabilem eſſe & irritam fieri poſſe.* Ita Socinus dum prædeſtinationem admittere videtur, nihil ejus extra inanem umbram reliquit. Omnes gratiæ divinę actus, quibus in ſuis ad ſalutem perducendis occupatur Deus, perperam interpretatus Socinus, ut hactenus aliquoties obſervavimus: Semper negotium reducit ad pręcepta & promiſſa Euangelij. prædeſtinationem decretum opinatur generale & confuſum, de ferendâ aliquando lege Euangelij: Judæis & gentibus quam promiſſione æternę vitę ſanciret. Verùm contra hæc animadvertendum eſt, Deo quà ligislatori prædeſtinationem non tribui: Qui legem naturæ habent, ab illâ lege prædeſtinati non dicuntur, non Adam à lege ſibi latâ, nec priſcam Judæorum gentem, à lege per Moſen latâ, non ſubditos à Principe prædeſtinatos dixeris, ob promulgatas leges in commune ſocietatis bonum. Nullibi quoque Euangelium à Chriſto aut Apoſtolis vocatur prędeſtinatio.

2. Quæ

2. Quæ poteſt eſſe prædeſtinatio, quâ prædeſtinati non magis prædeſtinati quam reprobati; ut lex obedientibus vitam promittit; ita immorigeris æternam mortem comminatur; ex æquo vitæ & morti deſtinat, quapropter cum prædeſtinatione, reprobatio in lege invenitur. 3. Prædeſtinatio eſt præſcientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur. Per hanc verò Socini prædeſtinationem, nulla ullius certa eſt liberatio. Talem verò, in Deo prædeſtinationem concipiendam eſſe, ex quâ infallibiliter inferatur prædeſtinati ſalus, ſatis docere poſſunt ea, quæ in ſuperioribus diſputavimus, de infallibili gratiæ efficacitate, quæ gratia talis ex deſtinatione & conſilio Dei. 4. Aut linguæ verba non ſuppetunt, quibus prædeſtinatio perſonarum ſingularium, vel ut loquitur noſter nominatim facta deſtinatio exprimi poſſit, aut nulla cauſa eſſe poteſt, cur dicta illa Rom. 8. com. 29. *Nam quos præcognovit, eos etiam prædeſtinavit.* Eph. 1. v. 5. *qui prædeſtinavit nos, in adoptionem filiorum. ibid com.* 11. *Cum eſſemus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus*, prædeſtinationi ſingulari non aptemus: propter hoc enim datus ſermo, ut præſto forent, mutuæ voluntatis indicia ut Plato in Timæo ait. 5. Epictetus Irus pauperie, ſuperum deliciæ, ut habet ejus Epigrammation, pulcherrimè ſic de divinæ providentiæ vi & variantibus ſuper eâ ſententiis apud Arrianum, qui diſſertationes ejus collegit & digeſſit. *Quod ad Deos attinet, ſunt qui negent ullum numen eſſe.*

Sunt qui eſſe donent, ſed ignavum & incurium, & nulli rei providere. Sunt tertij, qui & eſſe, & providere, ſed non niſi magnis & cœleſtibus, terrenorum autem nulli. Quarti & cœleſtibus & terreſtribus, ſed univerſis duntaxat, non autem ſingulis & unicuique ſeorſim. At quinti in quâ parte Vlyſſes & Socrates, aſſerunt ſtatuuntque, quod te o Deus, nec in minimo motu lateam aut fallam. Cicero 3. de naturâ Deorum. Stoici illud, *non univerſo generi hominum ſolum, ſed etiam ſingulis, à diis immortalibus conſuli ac provideri.* Idem 4. Academ. *Dei majeſtatem uſque ad apium formicarumque perfectionem deducunt.* Sacra conſonant. Prædeſtinatio providentiæ Dei eximia pars, non ſingulis & unicuique ſeorſim, ſed univerſis duntaxat, confuſo quodam decreto providet, cui dogmati Apoſtolus Paulus reſiſtit, quæ non caſu, qui rationis expers eſt; ſed Dei conſilio, & quidem non deſtinantis tantùm, ſed prædeſtinantis, *Epheſios in ſortem adſcitos eſſe* ait. Nihil divinarum benedictionum caſu aut cæcâ temeritate Epicuri ad eos devolutum ingerit Apoſtolus, ſed ex æternâ Dei omnia & ſingula diſponentis ordinatione. Omnia enim ab æternâ Dei providentiâ derivat Apoſtolus & eò ſemper digitũ intendit, quod tam perſpicuũ apud Apoſtolum, quã meridiana lux. Quod ſi Deus numeravit ſtellas cæli & quod minutum magis, capillos capitis noſtri; certè numeravit & conſcripſit etiã, quos ad perpetuam fœlicitatem ſervare decrevit. 6. Suam non bene meminit doctrinam, cũ Deum decreviſſe docet, ante jacta mundi fundamenta,

ta,per Chriſtum Jeſum & Judæos& gentes ad æternam vitam vocare;eaque illos donare,qui ipſum dilexiſſent, id eſt, ipſius Dei mandata conſervâſſent. Enimverò, cum vocatio illa ad fidem & reſpiſcentiam ſit,fides autem & reſipiſcentia peccatum præſupponat,Deus peccati non præſcius iſtiuſmodi decretum condere non potuit, ſaltem non abſolutè, ſed tantùm conditionatè: nondum enim poſitâ conditione, quæ peccatum eſt, incertum erat an tale decretum inveniret locum: cum conditionata nihil ponant in eſſe, niſi poſitâ conditione.

7. Ex hac etiam ſententiâ de prædeſtinatione, ſequetur fideles V. Teſtament. ſine prædeſtinatione & electione ſalvandos.

Sect. 2. Non minus τερατολογεῖν videtur noſter,in tractatu vocis eligendi. Ad rerum quædam capita reducam,quæ ad hanc vocem diſſeruit, nonnihil à nobis diſcutienda. Electionem dividit dupliciter,in eam quæ eſt per Euangelicæ prædicationis aſſenſum,& eam, quæ eſt per vitam, ex præſcripto Euangelij inſtitutam. * Priorem electionem vocat infirmiorem & magis communem: poſteriorem,firmiorem magiſq; propriam. Priore itaque & infirmiore electione electum eſſe,eſt Euangelicæ prædicationi ut à Deo profectæ, aſſentiri. Propoſitio Euangelij eſt conatus quaſi & ſtudium eligendi: ille conatus, à libero hominis arbitrio exceptus aſſenſu Euangelicæ prædicationis, facit ut aſſentiens actu & eventu ipſo ſit electus. Vides hîc iterum,ut electionis gratiam, in ipſam Euangelicam prædicationē transfor-

Prodigioſa narrare.

met mirâ metamorphoſi. Ita ſupra vidimus, corda aperire; operari velle & perficere; Patrem trahere, idem eſſe quod, Euangelium, Dei Euangelium eſſe. Huic ejus confuſioni, quâ prædicationem Euangelij, cum electione gratiæ confundit, teſtimonium à Paulo non præbetur 1. Theſſ. 1. v. 4. Verùm quidem eos omnes à Deo electos eſſe, qui Euangelicæ prędicationi, verâ fide aſſenſi fuerint; non tamen hæc idem ſunt, neque id hîc à Paulo, aut ullibi affirmatur. Neque enim com. 5. ejuſdem cap. Apoſtolus intendit oſtendere prædicationem ſuam à Deo profectam eſſe: aut ſuæ doctrinæ divinitate oſtendere eos à Deo electos eſſe, ac ſi à Deo eligi, eſſet, doctrinam Dei proponi, electum eſſe, eidem credere. Huic affirmationi nihil teſtimonij præbent Apoſtoli verba.

Magis perſpicua. Hęc ſunt λευκότερα, divinam Theſſalonicenſium electionem, demonſtrari à Paulo ex efficacitate gratiæ & virtutis Spiritus ſancti quibus Euangelij prædicatio conjuncta fuit. Hæc ipsâ Pauli oratione aperta & perſpicua ſunt. 2. Alienum à ſcripturis ſacris, ſi quid aliud, prædicando elegiſſe Chriſtum, & eligendo prædicâſſe. 3. Electio non eſt actus hominis qui eligitur, ſed ſolùm Dei eligentis; non ergo probanda ſententia, quæ electionem actum utriuſque facit: ſacræ literæ non hominem à ſe ſed à Deo eligi dicunt: Prælector contra magis electos dici ab actu hominis, quam ab actu Dei, cum ſcribere non erubuit, ſacras literas utramque electionem, non ex Dei propoſito curave metiri, ſed ex eventu ipſo. Contra legitur

gitur *Propter electos, quos elegit* Marc. 13. 20. *Ego ſcio quos elegerim*. Joh. 13. 18. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos* Joh. 15. 16. ibidem com. 19. *Sed ego elegi vos ex mundo. Quæ ſtulta mundo elegit Deus* 1. Cor. 1. 27. *Sicut elegit nos in ipſo* Eph. 1. com. 4. *Elegit pauperes hujus mundi* Jac. 2. v. 5. Ab hoc actu divinæ electionis electi Dei electi dicuntur Rom. 8. v. 33. Col. 3, com. 12: nuſquam verò ſeipſos elegiſſe dicuntur. Hæc itaque Socini electio non eligitur ex ſcripturis: neque quicquam etiam teſtimonij eidem præbetur à Paulo in ſecund. Epiſt. cap. 2. com. 13.

Alteram electionem ſtatuit, ex prævisâ obedientiâ & pietate eſſe, cum non multiplex, ſed una ſit electio, quâ electi ad gratiam & gloriam ſunt prædeſtinati. Auguſtin. lib. 2. de bono perſeverantiæ cap. 13. Quod ſcripturis conſonat, quæ electos non dicunt eligendos. Electio non promittitur, obtemperantibus, tanquam finis ſanctificationis, & obedientiæ merces: neq; ſolent Apoſtoli electionem divinam in poſtremo benedictionum ſpiritualium ordine collocare; ſed ab eâ noſtræ ſalutis, & divinarum benedictionum primordia petere. Non de eâ agit Apoſtolus Paulus, poſt pertractatam doctrinam morum, in graviſſimâ illâ Epiſtolâ ad Rom. ſed ab electione, redemtione, aliiſq; ſummis gratiæ beneficiis, efficaciſſimum argumentum petiit, quo eos adhortatus eſt, ut ſe Deo conſervarent. Non ſcripſit Apoſtolus, in ſanctitate morum inculpatos eligendos, aut quia tales electos eſſe; ſed electos nos eſſe, ut

ſimus ſancti & inculpati, Epheſ. 1. com. 4. Neque Scriptura hortatur homines ut eligantur, nec reprehendit quia non eliguntur: aut Deum voluiſſe eligere, homines autem noluiſſe eligi. Sanitati etiam fidei adverſatur, electionem diſtinguere in firmiorem & infirmiorem, cum firma ſit & immutabilis ad ſalutem electio. Etenim electi *omni ſpirituali benedictione benedicuntur* Eph. 1. 4. *Prædeſtinati juſtificantur & glorificantur*, Rom. 8. 30. *Electi aſſequuntur* Rom. 11. com. 7. Legitur quidem loco Petri 1. Epiſtol. cap. 1. v. 10. *Quapropter fratres magis ſatagite*, ut certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hoc fieri per bona opera, quemadmodum vulgata habet verum eſt cui nonnulla græca adſtipulantur: Regius enim codex & alii duo poſt σπουδάσατε interjiciunt ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων & ποιεῖσθαι vertunt in ποιῆσθε. neutiquam tamen hinc efficitur, mutabilem electionem eſſe, aut poſſe labaſcere. Firmari dicuntur in ſacris, non tantum quæ in ſe infirmiora, novum robur acquirunt, ſed quæ in ſe firmiſſima ſunt, dum quod ſunt in ſe, eſſe firmiſſimis argumentis demonſtrantur. Prædicarunt Apoſtoli, ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante βεβαιοῦντος per ſigna ſubſequentia Marc. 16. 20. Firmant miracula ſermonem, non certitudinem veritatis indendo, ſed indubitatis cognoſcendi principiis manifeſtando. Philip. 1. v. 7. in defenſione & confirmatione Euangelij, intellige non efficientiæ, ſed probationis conſtantia profeſſionis, integritate morum aliis Euange-

Studete. Vt per bona opera. Facere faciatis.

angelium Chriſti ἐβεβαιώθη. Eodem modo teſtimonium Chriſti in Corinthiis confirmatum. Ita per bona opera firmatur electio, dum certitudo ejus, conſcientiis fidelium, ex iis, ut divinis indiciis & argumentis manifeſta fit.

Ponit ſecundò poſtquam utroque nutaſſet ſententia μεσσηγὺς γαίης ϗ οὐρανοῦ ἀστερόεντος Hom. Iliad. ε. In medio terræ ſimul & ſtellantis Olympi. Ad utramque electionem requiri, ut electi habeant aliquid, quod non habent qui eliguntur, quod non probatur à Prælect. & Scripturis non leviter quoque adverſatur; quæ cum de cauſis noſtræ electionis agunt, non ad bonos arbitrij uſus, ſed ad ſolius miſericordiæ divinæ beneplacitum, digitum intendunt, id præter alia totus 9. cap. ad Rom. contextus ſatis oſtendit. Neque verò qui veſtem nuptialem non habebat, ideo non electus, quia veſtem nuptialem non habebat, neque id à Chriſto dicitur.

Quanquam verò propoſitum electionis funditus evertat Socinus; hoc tamen Dei propoſitum videri vult non excludere, ſed omnia eidem accepta referre, eam ſolam ob cauſam, quod pios, pro ſuis agnoſcere, ex gratiâ decrevit Deus. Quæ confeſſio nihil extra præcepta & promiſſa, ex recepto Prælectoris more continet. Brevitatis autem causâ contra hanc declarationem videri poſſunt, quæ ad vocem prædeſtinationis diximus. Neque tantùm merita humana ab electione divinâ removentur; ſed & operum bonorum præviſio ſub quacun-

que tandem ratione concepta, eo quod electio ut fidei &omnis ſanctimoniæ principium & origo inducitur. *Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Elegit nos ut eſſemus ſancti & inculpati coram eo.*

Vocem electionis in verbis illis; *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,* non de ipſo electionis actu, ſed de decreto electionis aliquando faciendæ accipiendam tradit, ac ſi electio actu credentium tantum ſit, & prioritate temporis fide prior eſſe non poſſit, aut ipſa electio æterno mentis conſilio, & immanente voluntatis actu, peragi nequeat: quod neque argumentis à rectâ ratione petitis, neq; ſcripturæ authoritatibus poteſt confirmari. Tum verò iſta vocis, eligendi ſignificatio, expoſitam ab ipſo de electione opinionem nihil juvat; nihil enim officit vocem electionis ſumi, pro ipſo actu electionis, enallage temporis præteriti pro futuro: quo pacto etiam dici poteſt, Deus glorificaſſe, quos certò glorificaturus eſt. Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctorum cap. 17. *Electi ſumus ante mundi conſtitutionem, eâ prædeſtinatione, in quâ Deus ſua futura facta præſcivit: electi autem ſunt de mundo, eâ vocatione, quâ Deus, id quod prædeſtinavit implevit.* Ait porro nullam neceſſitatem ſalutis ſingulorum, qui ſervantur indicare locos in ſacris literis, qui de divinâ electione loquuntur: electionem ponit ut in voce prædeſtinandi obſervavi, quâ electi non magis reprobati, quam electi, quâ ſtante tam damnari, quã ſalvari poſſunt. Contra hanc fluctuantem electionem procedunt

diſputata

diſputata cap. 7.in principio,videſis etiam rationem tertiam in voce prædeſtinationis. 3. Probatur electos non poſſe non ſalvari; electi omnes ſunt prædeſtinati: at illi vocantur juſtificantur glorificantur:non datur ergo electum eſſe,& non glorificari. Electi ſunt præcogniti, abſit autem ut Deus præcognitos ſuos abjiciat. Si abeſt abjiciantur, non poſſunt ergo abjici Roman.11. com. 1. *Oves Chriſti* rapi non poſſunt,electi ſunt oves, rapi itaq; ad exitium non poſſunt, de quo videſis cap. antevertenti ad locum Joh.10. com.29. *Si fieri poſſet ſeducerentur electi* Matt. 24. v. 24. Salus ergo electorum neceſſaria. Nihil ad farinam confert quod ait, in ejuſmodi locis, in quibus conſtare videtur, Dei electos perire non poſſe, de firmiore magiſque propriâ electione agi. Nam primò quod ſi vera eſſet electionis diſtinctio, probandi neceſſitas incumberet adverſario,de iſtâ poſteriore electione agi in iſtiuſmodi locis. 2. Si ſalus ratione poſterioris electionis eſſet neceſſaria, eſſet aliqua neceſſitas ſalutis ſingulorum. Reſpondet deinde, conſiderandum eſſe, non dici electos ab electione excidere non poſſe; ſed non poſſe fieri ut pereant, donec ſunt electi: quæ reſponſio ſi contendat cum noſtris dictis, ſubſiſtere non poterit, ut ego quidem arbitror.Hujus veritatis fidem nobis ſatis facit D. Chriſtus,electos ab electione excidere non poſſe,ſive ut noſter loquitur,non poſſe nō vivere vitamEuangelio dignam,cum aſſerit,ſeduci non poſſe. Si enim electi ſeduci non poſſunt,non poſſunt non porrò vivere vitam

tam Euangelio dignam. Etenim ut ab electione, quæ & quatenus ſe per vocationem efficacem exeruit, vocatio ad fidem & ſalutem eſt, ita ab eadem perſeverantię bonum promanat. Dices etiam ſic electos ſeduci, & deſinere vitam Euangelio dignam vivere,quia in hæreſes incidunt & atrociſſima peccata committunt: quod quidem verum eſt; ſed iſta ſeductio vim tantam non habet, ut electus deſinat electus eſſe;aut ita ſe dedat peccato, ut ij qui deſuper renati non ſunt.Inſtabit fortaſſis quis amplius, nullum in prædictis caſibus, inter electum & reprobum,regenitum &irregenitum diſcrimē eſſe; quod adeo grave non eſt ut tolli non poſſit. Dato etiam in ipſis operibus carnis,ut perpetratis ab electis, nullam eſſe intrinſecam & eſſentialem differentiam, quâ diſtinguuntur ab iis,ut perpetratis à reprobis;non evincetur, nihil inter electum & reprobum,regenitum & irregenitum diſcriminis eſſe,habitibus&principiis internis nihilominus diſtinguentur. Deinde dico quod concupiſcentia ſpiritus in electis & regenitis præeunte Apoſtolo Paulo ad Gal.5. com. 17. quæ non eſt in reprobis & irregenitis.

Objiciunt nonnulli, ſi propriè exponatur phraſis illa Matth. 24. v. 24. nullam eſſe admonitionis emphaſin, ut ſi dicat, tanta erit ſeductio, ut ſeducant etiam, quos ſeducere non poſſunt. Sed nemo hæc verba in tam apertè nugatoriam contradictionem reſolvit, ſed per conditionatam reddenda, ut apertè ſanè in ipſo textu redduntur, ſed & ſic inquit non nemo

mo emphaſis tollitur: nam ſenſus eſſet, ſeducerentur, ſi Deus eos permitteret ſibi: at quid mirum, ſi tales non ſeducantur, imò quomodo tales ſeducerentur. Verùm hæc ratiocinatio ſumit verba admonitoria ſolùm, & non conſolatoria eſſe, cum verum ſit Chriſtum, in toto hoc orationis decurſu, non tantùm admonere ſuos, verùm etiam ſuaviſſimis promiſſionibus conſolari com. 22. & 31. In quo ſane verſu agitur de electis electione peremptoria: ſeduci autem finaliter & ſic electum eſſe, eſt impoſſibile. Nulla verò ratio patitur, electos electione peremptoriâ Chriſti dicto v. 24. eximere. 2. Per ſententiam noſtram de perſeverantiâ electorum, adhortationis vis non infringitur. Si ſic dicam, tanta erit ſeductionis vis, ut electi etiam ſeducendi forent, niſi gratia electionis impediret, itaque ne ſeducamini, non erit inſulſa adhortatio. Nam primò electio adhortando cuſtodit; electus adhortando cuſtoditur. 2. Per piam ſolicitudinem electi aſſiduè firmare debent in conſcientiis ſuis, electionis gratuitæ fiduciam. 3. Si cum abſoluto decreto antecedente, de non permittendâ ſeductione, non conſiſtit admonitio; tum etiam Apoſtolos quibus hæc admonitio fit, gratia electionis à ſeductione tutos non fecit: & tam potuerunt, non prædicare, quàm prædicare; tam falſa quàm vera. Quæ ſi affirmentur, ſequetur Dei propoſitum, de prædicando per Apoſtolos ubique terrarum Euangelio, reſcindi potuiſſe, & promiſſionem illam v. 14. fuiſſe pendulam: potuitque vas illud electum, ut nomen

men Dei inter gentes portet pſeudochriſtiani ſpiritus fieri; nam alioqui adhortationi ſua non conſtabit vis; ſed ſatius eſt, omnia ejuſmodi argumenta perire, quàm hæc admittere. Si quæ ergo emphaſis in his verbis, non eſt illa, quæ vult perſeverantiam horum electorum, non eſſe vi electionis infallibilem. Tollatur ſanè illa emphaſis, tolli enim debet, cum in verbis non ſit. Inſtat quid mirum, ſi tales non ſeducantur? Sed an mirum eſt Chriſto, tales non ſeduci, quinimò mirum eſſet ſeduci.

Aliud adhuc movetur. Si phraſis hæc propriè ſumatur, non eſſe rationem, cur diabolus miniſtros ſuos excitet, ad ſeductionem, cum ſciat ſeductionem eſſe impoſſibilem, idque ex ore ipſius Chriſti. Dilemmate magis adhuc premi poteſt hoc pacto. Scit alterutrum, aut electos, aut reprobos eſſe, & ſic fruſtraneam operam in electis, & vanam in reprobis eſſe. Ad hoc diſſolvendum dico, etſi diabolus ſciret, ſeductionem impoſſibilem, non tamen à ſeductione ſuperſederet, quod exemplo ſalvatoris à diabolo tentati, invictè comprobatur, qui ſeduci non potuit agnoſcente Prælectore: *Non potuiſſe non obedire Deo* prælect cap. 14. In quo à veritate non abit, Chriſtus enim Mediator & Redemptor noſter eſt, ex abſoluto Dei decreto. Multi per illum venturum, ad mediationis opus peragendum, peremptorio Dei decreto ſalvati ſunt. De eo etiam conſtabat Satanæ Jeſum Nazarenum eſſe ſanctum illum Dei, & tamen non ſemel ſuam, quam potuit induſtriam adhibuit ad principẽ ſalutis noſtræ ſupplan-

plantandum. *Venit* inquit Chriſtus,qui eſt ipſa veritas,quod necDiabolo incognitum,*& in me non habet quicquã*: Vides utSalvator prędixerit fruſtaneam ejus operam fore,non tamen propter ſe ab impiis inChriſtum conatibus cohibuit, etiamſi ergo ſingulorum electionem perſpectiſſimam haberet ſibi, non putaret tamen deeſſe ſibi rationes , cur ſuoş ſatellites excitaret, ad ſeducendos electos. Non pepercit Apoſtolo Paulo etiamſi ſalus ejus inDei conſilio non vacillaret: neque poterat per Dei gratiam , quâ erat confirmatus, deſinere Euangelizare gentibus. Et quamvis Judas erat reprobatus ad prodendum Chriſtum Act. 1. com. 16. non tamen Satanas neglexit immittere in cor Judæ ut proderet eum. Cum Satanas ſeducit, opus facit , ad quod naturâ ſuâ depravatâ eſt propenſiſſimus, 1. Reg. 22. com. 22. Comparatum eſt cum eo(utpote homicida & leone rugiente) ut carnifice impio,qui decretum judicis promtiſſimè exequitur.

Sed ut ad noſtrum revertamur. Ait poſtremò ad vocem eligendi, *aliquando eâ aliquid adeo ſingulare in ſacris literis ſignificatum fuiſſe, ut ne omnes quidem ſervandos comprehenderit.* Hoc quidem ita protruditur , ſed veritati non conſonum: electi enim non dicuntur à ſingulari favore & benignitate Dei, quâ electi ab electis vincuntur, ſed à gratioſo electionis beneficio, quod electorum commune, ut oſtendunt loca, in quibus de hac electionis gratiâ tractatur, vide Matth. 24. v. 22. 24. 31. Epheſ. 1. v. 4. Rom. 9. com. 11, Rom. 11. v. 5. Profert pro ſuâ

ſuâ opinione Prælector locum Matth. 20. *Vbi de operariis vineæ à Domino conductis. Certum eſſe ait, omnes illos operarios, quibus eadem merces data eſt, omnes ſervandos ſignificare, quibus eadem vita æterna merces dabitur.* Ego verò crediderim oppoſitum eſſe certius: per operarios dominicæ diſpenſationi obmurmurantes, non intelligi ſalvandos, ſed à ſalute rejiciendos. Cauſa quod ſic ſentiam eſt; quia fideles & electi nuſquam leguntur ita expoſtulare cum Deo, tanquam injuſtitiæ reo, ob communicatam aliis aut filiationis gratiam, aut juſtificationis bonum, aut æternę vitæ mercedem gratuitam: non convenit in fideles & ſalvandos de divinâ benignitate, in ſe aut in alios electos conqueri: non ex atro livore obtrectant, immenſis divinę gratię cumulis; ſed grato animo & ore ad immortalem Dei laudem celebrant. Mentem parabolæ indicant verba com. 16, in quibus redditio totius continetur: *ultimi inquit Dominus erunt primi, & primi erunt ultimi,* ut antecedenti cap. com. ultimo dixit, *multi autem primi erunt ultimi, & ultimi primi.* Ne qua ambitio aut vana ſui confidentia Apoſtolus efferret, monuit Dominus eo argumento, quod multi primi forent ultimi; ex quibus verbis concipiendum, primos illos, qui in ultimos transformantur, à ſalute excludendos: ultimos illos, qui primi forent ſalvandos: ultimi primi quia revera ſunt, quod primi eſſe videbantur: primi ultimi, quia revera ſunt, quod ultimi putantur eſſe. Hunc ſenſum planè ſatis, tum ſcopus Chriſti, tum redditio parabolæ ſuppeditat;

tum

tum id quod ſequitur de vocatis & electis. Per vocatos & electos, electos ab electis diſtingui, gradu divinæ benignitatis, nec ullo argumento idoneo, neque loco ſimili firmari poteſt. Idem loquendi modus occurrit Matt. 22. in parabolâ invitatorum ad nuptias, ubi per invitatum, qui ſine veſte nuptiali acceſſerat, agnoſcente Socino, hac ipsâ ſectione, vocati, qui non electi, intelliguntur. Quare cum rationes nullas, meras verò aſſertiones adferat noſter, σιλοξενείῳ grammate, hoc eſt, negatione defungi poſſum. Ad id quod ſequitur, *negari non poteſt, ipſum electorum nomine, non omnes, qui ſervantur intellexiſſe, ſed ſingulares aliquos, id eſt, qui in ſalute conſequendâ, ſingularem aliquam erga ſe Dei benignitatem, præ cæteris ſunt experti*; quia rationes nullæ adferuntur, rejicitur. Deniq; etiamſi iſta ſignificatio ſingularitatis admitteretur; nullatenus conſequeretur electionem non inferre neceſſitatem ſalutis electorũ.

Sect. 3. Diſtinctio vocationis duplicis ex ſcripturis petita eſt quamquã ægrè agnoſcat Socinus, non enim difficile eſt vocationem inefficacem invenire, cũ de eâ non ſemel ſatis apertè, in utriuſq; Fœderis libris ſcriptũ reperiatur Eſa. 50. com. 2. *Quamobrem cum venio nemo adeſt? quum voco nemo reſpondet?* Eſa. 66. com. 4. *Etiam ego eligam in adventionibus eorum, & timores eorum adducam eis, eo quod vocavi & non reſpondent, locutus ſum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis.* Jer. 7. com. 13. *dum alloquor vos, inde à diluvio indeſinenter non auditis & inclamanti vos non reſpondetis* & com. 27. *quum*

 elo-

eloqueris apud iſtos, omnia verba iſta, ſimiliter non auſcultant tibi, & quum inclamas eos non reſpondent tibi. Pro. 1. 24. *vocavi & renuiſtis*. Matt. 22. com 8. *Vocati non erant digni* ibidem com. 14. *multi vocati, pauci electi*. Luc. 14. com. 24. *Dico enim vobis neminem virorum illorum, qui vocati fuerant, guſtaturum cænam meam*. Etſi verò frequenter credentes vocati dicuntur & vocatorum nomine ab infidelibus nonnunquam diſtinguuntur. non tamen ab actu obedientiæ, ac libero arbitrio proficiſcente, quo Euangelio reſpondetur, à credentibus; ſed à vocatione divinâ efficaciter in iis ad iſtum obedientiæ actũ eliciendum agentes ſic denominantur, connotatâ conſequenter obedientiâ ex eâ profluente. Id ſatis paſſiva vocis ſignificatio oſtendit, quæ non actum hominis, ſed Dei in homine clariſſimè deſignat: hæc verò vocatio talis eſt, ut cum eâ non componatur, ſic vocatum non ſalvari, quia iſta vocatio ex propoſito ſecundum electionem eſt Rom. 9. com. 11. quos prædeſtinavit hos vocavit Rom. 8. 30.

Solent metonymico dicendi genere ex adjunctis res ſubjectæ ſignificari Cic. 1. Verr. *quas res luxuries in flagitiis; crudelitas in ſuppliciis; avaritia in rapinis; ſuperbia in contumeliis efficere potuiſſet, eas omnes ſe hoc uno prætore, per triennium pertuliſſe.* Idem pro Milone *omnem Italiæ pubem, pro juventute dixit*. Ita metonymicè, *præputium pro præputiato accepit Paulus* Rom. 2. com. 26. 27. utramque tũ circumciſionis tum præputii vocem, non aliter acceptam legimus Rom. 3. v. 30. vocem electionis ſic

acci-

accipiendam etiam Rom 11. v. 7. ratio antitheſis arguit, dicitur enim οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν. ut vocem vocationis, in illo Paulino ad Corinthios teſtimonio 1. cor. 1. v. 26. *Videtis enim vocationem veſtram fratres*, metonymicè ſumamus, ratio non ſuppetit ut in adductis. Interim de eo non magnopere contendendũ, modò recipiatur quod jam dictum eſt de vocationis divinæ efficaciâ, quâ fideles, ab iſtâ gratiæ divinæ efficaciâ ſic denominati, ad fidei obedientiam adducuntur.

reliqui verò occalluerunt.

Hęc divina vocatio, quamquam ſit electio, quâ electi, de mundo eliguntur eâ vocatione, quâ Deus id quod prædeſtinavit, implevit, ut ait Auguſtinus de prædeſtinatione Sanctor. cap. 17. non tamen coincidit cum electione illâ, quæ in actũ humani arbitrii transformatur.

Sect. 4. omnes quas poteſt machinas adhibet, in corrumpendo hoc divinæ vocationis & electionis teſtimonio. Contendit hanc electionem & vocationem, ex eventu potiſſimum; non ex Dei propoſito, quod eventus oſtendat, metiendam eſſe. Ait antiquum obtinens, ſapientes potentes nobiles non electos dici, quia Deus elegit viam Euangelii, de ſervandis credentibus, ſecundum quam paucos tales ſervandos novit. Iterum totam electionis vim in præcepta & promiſſa Euangelica reſolvit. Scientia autem illa, quâ novit Deus paucos eorum qui ſpecioſi in carne, credere & eligi ex accidente ſe habet ad electionẽ & non electionem, cum neutrius intrinſecam rationem ingrediatur: nam per eam ut ſic dicam, Deus ſolummo-

do ſe ipſum ut eligentem & non eligentem intuetur, quatenus decreto utroque generali, ſc. crede & ſalvaberis; & qui non crediderit condemnabitur, quoſdam comprehenſos videt. Jam verò Apoſtolum interpretatione ſuâ dicentem facit, quod ex ipſius verbis, nullâ arte exprimi poteſt; neque enim inſonant Apoſtoli verba de electo Euangelio, aut non electâ ſalutis viâ, ſenſibus & affectibus potentum & nobilium conveniente; ſed de non vocatis & electis iis, qui carnis prærogativis eximii: Hæc duo multum differunt, electam eſſe viam ſalutis, genio mundano, ſapientum potentum nobilium ſplendori adverſam & repugnantem, & ipſos illos ad hanc ſalutem capeſſendam non eſſe vocatos & electos, quorum poſterius non prius illud Apoſtolus aſſeruit. Deinde prælector totam diſcriminis rationem, quę hic inter non vocatos & electos, ab ipſis vocatis & electis petit; cum ipſa vocatio & electio ex parte Dei, tum non vocatorum, tum electorum communis ſit. Deum non vocâſſe ſapientes carnaliter, erit eos venire noluiſſe: alios à Deo electos eſſe, erit ſeipſos elegiſſe, quod planiſſimè Apoſtolo repugnat, qui hos non ſuo arbitrio, ſed Dei eligentis & non eligentis beneplacito diſtinxit. Accedit quod ſi Deus viam ſalutis elegit, genio indoctorum & ignobilium convenientem, ad confundendos alios, non poteſt intelligi divinam electionem ex parte Dei eligentis communem eſſe. Antecedens verum eſt apud Socinum qui iſtam confuſionem cauſam ponit finalem conſilii divini; hoc enim verba

illa

illa operantur. *Verum etiam ejuſce rei finalis cauſa, ad Dei conſilium refertur, in eoque inquiritur.* Conſequentia argumenti facilè etiam oſtenditur; nam velle quoſdam eligere ad quoſdam confundendos, non eſt velle omnes ex æquo eligere. Contradicentia ſunt, velle eligere & velle confundere. Videns iſtam difficultatem Socinus, reſilit, dicens, *ita ut præcipuè, non Dei conſilium explicet, ſed quænam Euangelii natura ſit doceat.* Mox majori uſus confidentiâ ait: *Non Dei voluntatem, ipſe dicat atque decretum eſt.* Auſus ita tum ſuæ confeſſioni, tum ipſius Apoſtoli apertis verbis obluctari. Quod vero nonnulli ex iſtis ſecundum carnem ſapientibus, & aliis jam dictis Euangelium amplectantur, hoc non ex bono arbitrii eorum uſu procedit, ſed à vocationis & electionis divinæ beneficio, quod Apoſtolus teſtatur: neque tamen contumaciæ reliquorum, cauſam in Deo reſidere dicimus. Non electio, nõ eſt incredulitatis cauſa, ſed interna vitioſitas increduli: neceſſitatem nullam ex Dei conſilio emanare, aut etiam hic non habere locum, ſi ſibi conſtet, ne ipſe quidem affirmare poteſt, quod ſæpiuſcule probavimus; nullam verò hic, aut in ullo Dei opere injuſtitiam eſſe, nos ſanctè & religioſè profitemur: pravæ autem injuſtitiæ ſuſpicioni, ſanctam juris divini defenſionem, opponendã putamus.

Sect. 5. Poſtquam apicibus vocum deſudavit, quarum non leve momentũ, ad rectè præcipua ſalutis noſtræ myſteria agnoſcenda, manum nondum tollit, ſed locum graviſſimum Pauli ad Rom. 8. qui teſtimoniorum Achilles

 eſt,

eſt, in hoc diſputationis pulvere, in planitiem deducit, quam autem ſolitis technis pondus invictæ veritatis, huic loco impreſſæ elidere ſtudeat, videamus. Exordium & ſubjectum operis eſt in verbis com. 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt.* His verbis thema poni, ad quod omnia inſequentia diriguntur, tanquam indubitatū ſupponit. Id quamquam permitti poteſt, ſine veritatis & cauſæ damno, certius tamen ex oratione Apoſtoli arbitramur, dirigenda hæc, ad confirmationem propoſitionis v. 17. propoſitam de patientiâ filiorum Dei ſub cruce. Cui propoſitioni confirmandæ, multa præclara argumenta attulit Apoſtolus: hoc thema his verbis & ſequentibus Apoſtolus perſequitur, & in eodem pertractando ad finem cap. perſiſtit, ut ipſa textus Apoſtoli inſpectio docere poteſt.

Ad methaphraſin accedamus Primum itaque exegeticè reddens verba illa, **τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς**, ait valere Deum diligentes, ex ipſius Dei conſilio Euangelio fidem adhibuiſſe, & ſaluti deſtinatos eſſe. Sed quale illud conſilium, ex mente ejus, non aliud intelligitur, quàm conſilium voluntatis ſigni, quod ipsâ generali pręcepti & promiſſionis propoſitione promulgatur & indicatur: Saluti deſtinatos ſic vocatos eſſe, aliud nihil eſt, ut huic Pelagiano ſacrorum ſacerdoti placet, quam per liberum arbitrium credentes pertinere, ad decretum illud generale, de ſalute dandâ obedientibus. Idem qui ſemper latet anguis in herba: merum ſemper Palagi-

Iis, qui ſecundum propoſitum vocati.

Pelagianiſmum propinat, dum omnia in lege & doctrina ponit. Quid ergo hic habemus, Deum diligentes credidiſſe Euangelio Deo id poſtulante & præſcribente, ideoque ex legis edicto crede & ſalvaberis, beatos fore: in hac ergo exegeſi non unus error. Primò Dei propoſitum, non eſt ipſum mandatum obedientiæ, Euangelio præſcriptum; ſed eſt decretum gratioſum providentiæ divinæ, quo decrevit ſuis Spiritum obedientiæ indere, & ad ſalutem Euangelio promiſſam divinæ virtutis efficacia perducere. Confirmatur, quia vox propoſiti in argumentum myſteriorum ſalutis uſurpata, nunquam ſignat mandatum ſalvandi, obedientià præſtandum; ſed ſemper divini beneplaciti decretum ſecundum quod Deus efficaciter facere decrevit, ut credant & ſalventur homines. 2. Tim. 1. com. 9. *Qui ſervavit nos & vocavit vocatione ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum* Ep. 1. com. 9. *Secundum beneplacitum ſuum, quod propoſuerat in ſe* Rom. 9. com. 11. propoſitum Dei quod eſt ſecundum electionem. Hic non propoſitũ, quod voluntate præſcribentis continetur, ſed voluntate efficientiæ, intelligitur. Itaque & hic non voluntas ſigni inſinuatur, ſed voluntas efficientiæ, de qua dixit Apoſtolus, *quum eſſemus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui omnia efficit ex conſilio voluntatis ſuæ* Eph. 1. v. 11. quam abſurdè autem, hæc & ſimilia loca ad ipſa mandata Euangelii trahantur, quæ omnibus ex æquo proponuntur, in ſuperioribus videri poteſt pluſculis in locis, videantur dicta

ad verbum prædeſtinandi & eligendi alia paſſim præſertim in antevertentibus ad cap. 12. Secundò vocatos non rectè ab obedientiâ arbitrii, à gratiæ internâ efficacitate obediendi non donatâ deſcribit, cum paſſivæ ſignificationis vox ſit, quâ efficax Dei, in homine operatio ſignificatur, promanante ex eâ hominis ad Deum converſione. Quæ ratio patitur, quæ Spiritus S. Deo aſſignat, humanam ſuperbiam ad homines transferre? Et quid iſta volunt, diligentes Deum, ex Dei conſilio, Euangelio fidem adhibuiſſe, ut ex conſequentibus colligitur. Declarant alterutrum; aut Dei dilectionem fidei antecedaneam eſſe, aut eandem comitantem. Scribit enim, namque neceſſe eſt, ut antequam Euangelio, quiſquam fidem adhibeat, vel ante ipſius Euangelii prædicationem, vel poſtea Deum diligere incipiat.

Quę dicit de prędicatione Euangelii in cordibus eorum, qui antea Deum non diligebant, ingenerante propter ampliſſima promiſſa &c. non denuo vexabimus: quæ hic omitto, ex iis quæ pręcedente cap. agitata ſunt repeti poſſunt. Id verò adverſis frontibus Scripturis obluctatur: Diligi Deum ante fidem & prædicatum Euangelium. Auſus eſt ſcribere contra majeſtatem veri, Johannem non omnino excludere, dilectionem adverſus Deum ante Euangelii prædicationem. Quid ait non omnino excludere, ſuam nunquam liberabit fidem. Dico itaque primò, ſi ex dilectione Dei cognoſcimur in Chriſto eſſe, in quo nemo eſt, qui fide non recepit Euangelium, tum

tum non datur dilectio, ante cognitum Euangelium. At ex dilectione Dei cognoſcimur in Chriſto eſſe, quæ aſſumptio apud Johannem eſt primæ Epiſtolæ capite 2. commate 5. *Qui autem ſervat ſermonem ejus, verè in hoc charitas Dei adimpleta eſt: per hoc ſcimus nos in ipſo eſſe.* Majoris conſequentia patet; nam ſi Dei dilectio etiam eorum, qui non ſunt in Chriſto, tum ex dilectione Dei nemo cognoſcitur in Chriſto eſſe. 2. Scripſit idem Apoſtolus, eadem epiſtol. eodem cap. v. 10. *Qui fratrem ſuum diligit, in luce manet*; Socino ſi credimus, fratres etiam diligunt, qui de luce nondum audierunt. 3. Eodem cap. *qui exercet juſtitiam ex ipſo natus*, qui Deum diligit ex mente Pauli, ille profecto exercet juſtitiam. Ergo Deum diligens, ex Deo natus eſt, quod ex Diametro Socino contradicit, qui dilectionem à regeneratione ſeparat. 4. Fraterna dilectio noſtræ ſalutis, quæ juxta ſcript. à dilectione Dei non divellitur, argumentum eſſe non poteſt, cum hæc etiam admiſſo Socini dogmate, reperiatur apud eos, qui ſpem non habent, & abſque Deo in mundo ſunt. At verò argumentum illud firmiſſimum, aut falſa collectio Johan. ejuſdem Epiſtol. cap. 3. v. 14. *Nos ſcimus nos tranſlatos eſſe, ex morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Eodem & illa pertinent, quæ leguntur commate 18. 19. & 23. 24. cap. 4. com. 7. Multa alia in hac causâ evidentia, apud eundem Apoſtolum leguntur. Inprimis adverſarium urunt illa, quæ ſibi objicit ex quarto cap. commate. 19. *Nos diligimus eum, quia ipſe prior*

 dilexit

dilexit nos, & ſupra com. 10. *in hoc eſt charitas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit Filium ſuum, propitiationem pro peccatis noſtris*. Contra hæc teſtimonia primò excipit iſtis verbis Johannem non excludere omnino, hominis dilectionem adverſus Deum ante Euangelij prædicationem. Verùm effugium, non ſolutio eſt; manifeſtæ enim affirmationi Apoſtoli contradicit: *Deum priorem dilexiſſe*: ſi prior dilexit nos Deus, quàm eum diligamus; ſi eum diligimus, quia prior dilexit nos, quod non niſi ex Euangelio cognoſcitur, quomodo dici poteſt, nos prius Deum dilexiſſe, quàm ipſe dilixerit nos. Secundò excipit, iſtis Apoſtoli Johannis verbis doceri, *ſalutis noſtræ à Deo procuratæ, non dilectionem aliquam noſtram adverſus Deum, quæ anteceſſerit; ſed ipſius Dei erga nos dilectionem cauſam fuiſſe*. De hac exceptione non magis, quàm de antecedente laborandum, quia in prædictis locis, de cauſis noſtræ ſalutis à Deo procuratæ, ſub eâ ratione, quod cauſæ noſtræ ſalutis, non diſputatur. Non in priore, quia ut verba luce meridianâ clarius indicant, non tractatur de cauſis ſalutis noſtræ: non noſtram quæ anteceſſerit, ſed Dei charitatem ejus cauſam eſſe, non deciditur; verùm noſtræ dilectionis, prior Dei dilectio, cauſa eſſe docetur. Non in altero illo. *In hoc eſt charitas* &c. non dicit in hoc eſt charitas, quæ ſalvat nos, ſed ſimpliciter in hoc eſt charitas; non dicit quod nos dilexerimus Deum, ut miſerit Filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris, nihil ejuſmodi apud

Apoſtolum legitur. Itaque non ſolummodo hoc noſtrę charitatis antecedens effectum, negandum eſt, verùm etiam ipſam charitatem noſtram antecedere; quod ex multis Epiſtol. locis comprobavimus, & ipſis etiam antevertentibus hujus loci non obſcurè indicatum eſt, in quibus humana charitas, ex divinâ, tanquam nativo ſuo fonte & ſcaturigine derivatur. Miſſus Filius ex charitate Patris, ut propitiatio pro peccatis noſtris eſſet. *Chriſtus pro nobis mortuus, cum adhuc peccatores eſſemus* Rom. 5. 8. Quum eſſemus quondam alienati & hoſtes mente operibus malis, nunc ſanè reconciliavit quæ omnem exiſtentiæ prioritatem charitatis noſtræ excludunt.

Tertia exceptio eſt Johannem fortaſſe, de eximiâ quadam tantum dilectione noſtrâ erga Deum loqui, quæ non niſi ex Jeſu Chriſti, ejuſqueEuangelii cognitione proficiſci poteſt, dilectionem ergo Dei, aliquam antecedere monſtretur ex Apoſtolo Johan. aut aliis ſacræ veritatis teſtibus. Aut ſi exceptiones valere debent, quæ nullis ſacrarum literarum, aut rationum inde deductarum pręſidiis muniri poſſint, nihil reſtabit, cujus defenſio ſuſcipi non poſſit. Poſſet quis eadem arte excipere, non vitam æternam quamlibet Euangelio parefactam eſſe, ſed eximiam quandam: rectius mihi ſapiunt illi, qui ſcripturis inhærent, quam qui in fatuis ſuis commentis ſapere ſibi videntur. Dices, non ſine fundamento rationis ſic excipi, quia Cornelius centurio dilexit Deum, ante Euangeliũ annuntiatum. Ad hoc reſpondetur

detur oſtendi non poſſe, Cornelium fide pacto promiſſionis non inhæſiſſe; aut promiſſionem Euangelii per Prophetas, in ſcript. ſanctis factam, cognitam ei non fuiſſe cum diligeret: conſolationẽ Iſraelis exſpectâſſe ſufficit. Cùm enim hic diſputamus, dilectionem Euangelici pacti fidem non antecedere, id non aliter accipi volumus, quam dilectionem non eſſe, niſi credentium pacto Euangelico, aut ut Patribus promiſſo, aut ut exhibito in Chriſto Mediatore, neque enim fideles v. Teſtam. Dei dilectione ſpoliamus. Deinde dico ex hiſtoriâ de Cornelio centurione, ex ipſâ Petri concione, quâ ei Euangelium annuntiabatur, patere ante eam annuntiationem, aliquâ Euangelii cognitione imbutum fuiſſe: nam ait Cornelio cum ſuis com. 37. 38. *Vos noſtis quod geſtum eſt in totâ Judæâ, initio facto à Galilæa, poſt baptiſma, quod prædicavit Johannes, ut Jeſum Nazarenum unxerit Deus Sp. S. & potentiâ*: proinde per hanc annuntiationem, non primitus illi Euangelium patefactum fuit, ſed pleniore & accuratiore cognitione fuit imbutus, quemadmodum Apollos ab Aquila & Priſcilla, exquiſitius in viâ Dei fuit inſtitutus, cum tantum Joan. baptiſma ſciret.

Pergens in tractatione graviſſimi loci, interpretamenta ſua ad ſententias & voces verſuum duorum inſequentium adfert. Integram autem interpretationis vim, quam diffuſiore oratione propoſuerat, ita paucis contraxit. *Qui igitur diligunt Deum, & ab ipſo approbati ſunt, primum iiſdem rebus ab eo deſtinantur, quas*

Chriſto eveniſſe novimus: deinde ad eccleſiam fidelium, per Euangelii prædicationem aggregantur. Unde illud: *Dominus autem addebat ſervandos quotidie eccleſiæ (ſic enim habent ad verbum græci codices) tum verò ab omnibus peccatis abſolvuntur, & pro juſtis habentur: poſtremò autem glorificantur, id eſt firmiore & magis certâ quadam ratione, immortali, beataque vitæ deſtinantur.* Dilutum profecto & diſtortum interpretamentum obtrudit. Primò vocem προέγνω interpretatur à Deo approbatos ratione charitatis & fidei ſuę: ſub ratione enim diligentium & credentium à Deo apprabatos putat, hoc eſt quà & quia tales; cum contra hæc vox de Deo uſurpata in argumento beneficiorum ſalutis noſtræ, ſignet actum Dei gratuitum, qui non conſequitur ad dilectionem in præcognito præſcitam; id verum, ſive præcognitus, ſui causâ ſit præcognitus, ut fideles omnes, ſive in bonum alterius ut Chriſtus. Multo verò minùs de hoc loco dubitari poteſt, quia præcognitioni vox prædeſtinationis conjungitur: cum ergo dilectio & fides, prędeſtinationis objectum non ſit, efficitur præcognitionis etiam obejectũ eſſe non poſſe, præſcitos enim prædeſtinat: ſi ergo dilectio præcognitioni objiceretur, etiam prædeſtinationi. Jam verò diligentem fidelem, quà talem, prædeſtinationis objectum non eſſe probatur, quia iſtæ res inter effecta prædeſtinationis recenſentur: crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Elegit nos in ipſo ut eſſemus ſancti & inculpati in charitate. Deinde ſi diligentes prædeſtinantur, tum tales

Præcognovit.

les

les denominantur à dilectione quę abſque fide & ante fidem eſt, vel eſſe poteſt, vel à dilectione, quæ abſq; fide non invenitur. Non priori modo, quia ita dilectio eſt ens imaginarium ut oſtendi, non entis autem nullæ actiones, nullæ paſſiones. Non poſteriori modo, quia ea prædeſtinationem non antecedit, ſed ſequitur & ab eâ gignitur. Dices non agi hîc à Paulo, de prædeſtinatione, ſecundum integram ſui rationem concepta, ſed de prædeſtinatione, quà illa eſt deſtinatio ad conformitatem gloriæ per paſſionem crucis, cum Chriſto obtinendam, in quâ opinione etiam noſter eſt. Sed nego de prædeſtinatione ſic non agi: nam de eâ ut matrice vocationis, juſtificationis, & glorificationis agitur; quæ ambitu ſuo ſpirituales bededictiones omnes, quarum communio prædeſtinatione deſtinatur, comprehendit: tum verò prædeſtinatio ad conformitatem cumChriſto dilectionem & fidem prædeſtinatorum non præſupponit ſed includit, quia virtutes iſtæ renovatione novi hominis conferuntur, *qui renovatur in agnitionē congruentem imagini ejus, qui ipſum condidit* Col. 3. com. 6. Et cum fideles gloriam Dom. intuentes, in eandem imaginem transformantur, hæ virtutes non ſunt excludendæ. Mortificatione veteris vivificatione novi hominis Chriſto conformamur Rom. 6. com. 5. *nam ſi cum eo plantati coaluimus conformatione mortis ejus, nimirum etiam reſurrectionis erimus.* Spiritus autem fidei & charitatis per hæc omnia diffuſus. Accedit, quod ſi prædeſtinatio, ut noſter conſentit

ſentit ſit ad conformitatem in paſſionum tolerantiâ & gloriâ, ajo tum dici non poſſe ex mente Paulina diligentiũ eſſe, ſed ut diligant, quia aſſperrimis temporibus, quibus ſundata chriſtiana fides, non dabatur hæc dilectio ſine tolerantia paſſionum. Unde ſunt iſta 1. Theſſ. cap. im. 3. *Indeſinenter commemorantes efficacem veſtram fidem & laborioſam charitatem & tolerantem illam ſpem,* & v. 6. *Et vos imitatores noſtri facti fuiſtis & Domini, recepto ſermone cum afflictione multâ cum gaudio Sp. S.* 2. cap. 1. v. 4. *Adeo ut nosipſi de vobis gloriemur apud Eccleſias Dei, de tolerantiâ veſtrâ & fide* in omnibus perſequutionibus veſtris. De hac verò laborioſâ charitate cum cruce colluctante, Paulus locutus, cum diceret. *Novimus ys qui diligunt Deum* quod tam manifeſtum ut non putem quemquam negaturum. De perſeverantiâ in paſſionibus perpetuus hic ſermo: & cum dicit omnia cooperari in bonum diligentibus, Chriſtianorum calamitates reſpicit. Inprimis verò nihil ἀπεριςκεπτότερον excidiſſe acuto homini videtur quam Deum diligentes, ad Eccleſiam fidelium per Euangelii prędicationem aggregari. An ergo Deum diligentes eximiâ charitate, ut ſupra locutus, vel ut in ſequentibus ait ipſe Paulus, & omnes veri Chriſtiani, quos Deum diligentes interpretatur, nondum quà tales vocati ſunt, non vocati, nõ aggregati ad Eccleſiam, per prædicationem Euangelii, ſed aggregandi? Jam eſt confeſſus eximiam charitatem nonniſi ex Euangelii cognitione proficiſſci: quod ſi vocati & aggregati jam ſunt, tum nec

Magis incircumſpectum.

vocari

vocari & aggregari poſſunt, aut opus habent. Turbant ergo hæc & pervertunt indiſſolubilem Apoſtoli ordinem. Poſtremò glorificationem ſine exemplo per aſſeverandi fiduciam, cum prędeſtinatione confundit: firmam deſtinationē eam nuncupat, quaſi prædeſtinationis vox infirmiorem notet, quod nullo argumento idoneo ſuſtineri poſſet, aut prædeſtinati prædeſtinentur poſtmodum. In iſtis commentis vectentur, qui meliorum rerum guſtum non habent. Vocatio ſecundum πρόθεσιν eſt: Hòc propoſitum non nutat, non irritum fit, ſed manet Rom. 9. com. 11. Præcognitio Dei, irrita non poteſt fieri 2. Tim. 2. com. 19. *Solidum fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc, novit Dominus eos qui ſunt ſui.* Stat ergo inconcuſſus locus adverſus eos, qui nihil niſi labile ædificium ſalutis ſtruunt nullamque firmam & immutabilem prędeſtinationèm agnoſcunt extra legem præſcribentem, promittentem, prohibentem, comminantem, quâ omnes, reprobi & electi ſunt, eſſe poſſunt; quia non magis ex parte Dei præcogniti prædeſtinati ſunt præcogniti & prædeſtinati, quam non præcogniti & reprobati, quæ ipſiſſimam Socini ſententiam nobis exhibent. Ac propterea iſtis admiſſis nihil prohibent prẹſcitos & prædeſtinatos hos, de quibus Paulus, dicere reprobatos eſſe, & reprobos præcognitos, quæ ſunt abſurdiſſima.

Propoſitō.

Dicimus ergo aut certam & immutabilem ſingularium perſonarum æternam prædeſtinationem, verbis ſignificari non poſſe, aut tam ponderoſo verborum apparatu, à Paulo ſigni-

ſignificatam eſſe, quæ ubi non agnoſcitur tolluntur omnes, aut unus pluresve hujus catenæ annuli, quam oportet ſacram & intemeratam.

Poſt hæc pergit Socinus, paraphraſin ſequentium etiam verborum adſerens, quam ad finem uſque capitis proſequitur; in quâ cum nihil fere occurrat argumentum prædeſtinationis ſpectans, quod novâ diſcuſſione, aut acriore examine indigeat, levi brachio tranſcurrere poſſum. Scribit jam finem facturus. *Loquitur Paulus ut demonſtratum fuit, de ÿs qui Deum diligunt, quibus omnia in bonum cooperari affirmat*, atq; ad hunc ſcopum omnia ſua verba dirigit. Id quamquam dextrè acceptum permitti poteſt, ut ſupra dixi, non ita tamen intelligendum aut accipiendum id ac ſi dilectio Dei ſit qualitas prævia in dilectis, omnibus illis inſignibus gratiæ beneficiis, quæ hic Chriſtianis hominibus à Paulo tribuuntur: de eximiâ dilectione Schola Prælectoris id non concedit, quæ Euangelicę vocationi eam deberi profitetur. Jam verò cũ inter hæc divina beneficia, quæ Deum diligentibus contigerunt, recenſeatur maximum illud divinæ charitatis opus, quod Deus proprio Filio non pepercit, & mors filij, quam pro nobis ſubiit, ut præſentiſſimum adverſus condemnationem remedium, luce meridianâ clarius patet, noſtram Dei dilectionem his tantis beneficiis non præceſſiſſe. *Commendat enim ſuam erga nos charitatem Deus, quod quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit* Rom. 5. com. 8. ſed ab iſtis beneficiis eam prognatam eſſe, cum noſtra charitas, pręcipuus

etiam actus ſit veræ pœnitentiæ, quam huic divinæ charitati, & efficaciæ mortis Filij, generatim loquendo prorſus deberi, Prelector non diffitebitur. Quanquam ergo hæc beneficia fidelibus impenſa, iiſdem quà talibus in ſolidum animæ ſolatium, ſpirituales demonſtrationis & eloquentiæ vi à Paulo ſuggeruntur; inde tamen non efficiendum, tales jam fuiſſe, cum hæc impenderentur. Propterea etiam etſi Chriſtiani & Deum diligentes prædeſtinati & electi, nullo modo inde inferendum, non prius fuiſſe prædeſtinatos & electos, quàm fideles & Deum diligentes fierent, quod tamen noſter totâ paraphraſi intendere videtur. Cætera quæ adfert, inprimis de ratione interpellationis, quia alibi fortaſſe commodior & plenior dabitur occaſio, eâ de re differendi, omitto. Quæ adjicit de Dei prærogativâ, quæ quomodo qualis agnoſcenda ſit, judicari poſſunt, ni fallor, ex doctrinâ de perſona & deitate Chriſti, de quâ re noſtrum ſcriptum ad Socin. contra Wiekum paſſim. Quare nunc iſta deſinere poſſum, & nonnulla alia, quæ in hac metaphraſi adferuntur, cum ea, omiſſis aliis ſedem argumenti prædeſtinationis non attingant.

Quomodo Socinus, dum agnoſcere videri vult prædeſtinationem, funditus eam tollat, ex univerſo harum Prælectionum genio apparet. Omnia gratiæ beneficia, quibus ad ſalutem perducimur, condit ſub æterno decreto de obedientiâ & pietate præſcribendâ, & de æternâ vitâ piis & obedientibus promittendâ.
In

In hoc Pelagianiſmo interpolando ita ſemper totus eſt, vix ut amplius Herculem illum heroa, ſabuloſis ſcriptis multum vexatum in Augię ſtabulo perpurgando laborâſſe exiſtimem. Quia verò contrarium ſatis probatum arbitror & non ſemel id confutatum, moroſiſſimi negotij res ſit, toties eadem chordà oberrare, tantummodo paucis expendam, quæ à Prælectore hîc porro adferuntur.

Certos nominatim homines non intelligi, ſed genus quoddam hominum, putat ſe evicturum, ex verbis illis Chriſti. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi*, quia ſtatim ſubjicitur: *Eſurivi enim & dediſtis mihi.* Sed quæ hæc conſequentia, Quotquot paratum eſt Dei regnum, operibus charitatis ſuam declarant pietatem: nulla ergo electio ab æterno ſingularium perſonarum; cum ex ſententiâ prædeſtinationis ſingularium perſonarum certiſſimum ſit, omnes eos, qui ſaluti æternæ determinati & ſingulari decreto ſunt deſtinati, per viam bonorum operum ad ſalutem contendere, ſicut ſcriptum eſt ſecund. ad Tim. 2. com. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc. Novit Dominus eos qui ſunt ſui, & ſecedat ab injuſtitiâ omnis qui nominat nomen Chriſti.* Eodem prorſus modo noſter Jeſus Chriſtus, ad ſuam glorificationem impetrandam colligit. Johan. 17. comm. 4. & 5. *Ego te glorificavi in terrâ, opus conſummavi, quod dediſti mihi ut facerem, nunc igitur glorifica me tu Pater apud temetipsũ eâ gloriâ, quam habui apud te, priuſquam eßet mundus*

Ex iſtis verbis Chriſti, iſtiuſmodi ſyllogiſmus etiam conſtrui poteſt, non abſimilis ei quem Socinus, ex ſuperiori teſtimonio formavit, pro negatione prædeſtinationis ſingularium perſonarum. Sylogiſmus ſic habet. Qui te glorificant in terrâ, opus conſummant, quod dediſti eis, eos tu etiam decreviſti in cœlis glorificare. Atqui ego te glorificavi in terra: opus conſummavi, quod dediſti mihi ut facerem. Ex hac argumentatione noſtrâ ſimiliter infertur, aut inferri poterit, ſi valet Socini ratiocinatio, Chriſtum non nominatim ſaluti deſtinatum eſſe: id cum hoc loco & alibi legatur, non aliter accipiendum, quàm Chriſtum, ad immutabile & indeterminans decretum à conſtitutione mundi factum pertinere; quemadmodũ ob hanc cauſam credentes prædeſtinati à Deo dicuntur, quamvis nemo credentium nominatim antea deſtinatus eſſet, ut ſect. primâ capitis hujus prælegentem audivimus.

Poſtremò adfert ea Scripturæ loca, in quibus Scriptionis in libro vitæ aut ſimilis locutionis mentio fit. Primò excipit ad iſtiuſmodi teſtimonia, *methaphoricum iſtum loquendi modum, nullam neceſſitatem ſignificare ſolere, & fieri poſſe, ut qui ſcripti ſunt in libro vitæ, inde deleantur: id notare tantum, eos ſervari poſſe, ex Scriptur. probat Moſaicâ, aliis.* Ad hunc locum è Moſe prolatum ita D. Franciſcus Junius in analyticâ Exod. explicatione. *Quæritur quâ fide Moſes dicere potuerit: Si non, dele me jam de libro &c. Reſponſio eſt ſidem in ſanctis ſpectari, aut ex communi ratione promiſſionũ Dei, aut ex ſingulari revela-*

velatione. Ratio communis eſt, quum promiſſiones Dei communes, aut mandata apprehendit: ſingularis verò, quum apprehendit res ſingulari revelatione & teſtificatione expoſitas. Ex ratione communi ſingula demonſtrabo, credebat Moſes Iſraelem populum Dei eſſe: ex ſingulari credebat ſe Mediatorem typicum eſſe á Deo datum, ex fide autem operatur charitas ut loquitur Apoſtolus ad Gal. cap. 5. 6. *& ex fide oratio proficiſcitur. Quemadmodum itaque fidei duplex eſt ratio, ita etiam ſenſus charitatis duplex, & opus orationis duplex. Itaque Moſes ſenſu charitatis communi & pietatis ſanctæ, condonari populo à Deo poſtulabat: ex ſenſu verò charitatis ſingularis, quâ populum ſuum (prout Deus vocaverat) tanquam Mediator ſingulariter datus proſequebatur, poſtulabat ſe deleri de libro, niſi Deus populo condonaturus eſſet. ac proinde in hoc facto Moſis, aliud commune aliud ſingulare eſt: commune, quo ſecundum charitatem communem, & ex officio charitatis communis bene precatur populo:, ſingulare verò, quo ſecundum ſingularem fidei guſtum, Mediator à Doo datus intercedebat pro populo, & ipſe ἀνάθεμα fieri præoptabat, pro gentilibus ſuis.*

Quapropter in actionibus ejuſmodi ex charitatis ſenſu proficiſcentibus id ſemper fuit obſervatum, ut conditionem implexam haberent, *quemadmodum & in motibus naturalibus accidit. Nam ſecundum motum naturalem dicebat Chriſtus,* tranſeat à me calix iſte: *accedebat conditio ſi fieri poteſt: ſic in motibus charitatis conditio ineſt ſi Deo placebit, ſi videbitur &c.* in interpretatione reſponſi divini verba ejus ſunt.

 Nam

Nam quemadmodum liber figuratè dicitur (Deo enim quid opus libro?) ſic figurate inſcriptio & deletio illius, pro eo quod eſt recenſio in numerum filiorum Dei, aut abdicatio; ſive recenſitorum (ut fit) in libro communi Eccleſiæ: ſive non recenſitorum ut fit in libro ſingulari Dei, nam in libro communi Eccleſiæ vocari, in libro ſingulari Dei, non niſi electi Dei præſcripti ſunt multi autem vocati, pauci electi Mat. 16. 20.

Moſes certè ex libro vitæ deleri non potuit, cum & fidelis eſſet & fideliter munere ſuo, in totâ domo Dei fungeretur Heb. 3. com. 5. erat hoc **ἐκ τῶν ἀδυνάτων**, non minus, quam Paulum Apoſtolum anathema pro fratribus fieri. **Ex impoſſibilibus.** Jam verò quod ad reſponſum Dei, quo dicitur, qui peccaverit mihi, *ut vetus*, vel qui peccavit mihi *ut nova Vatabli*, vel qui peccabit in me, *ut Junii analyſis*, eum delebo de libro meo. Dico quando Deus delet è libro vitæ, non evinci ex eo, deletionem illam eſſe actum poſitivum, inſcriptioni divinæ contrariè oppoſitum, cum evidens ſit ex uſu ſcripturæ ſacræ, ſignare etiam actum negativum, ſive negationem inſcriptionis. Hæc vocis delendi notio probàtur, tum ex hoc, tum ex ſequente Davidis teſtimonio. Probatur ex priore, quia continet comminationẽ factã peccatoribus quibuslibet, qui ex principiis Socini vel ſcripti ſunt in libro vitę, ſecundũ præſentem juſtitiæ ſtatum, vel nunquam fuerunt ad juſtitiam converſi, proinde nunquam ſcripti in libro vitæ. Conſequenter deletio ratione jam inſcriptorum, opponitur inſcriptioni contrariè: ratione nunquam inſcriptorum con-

contradictoriè, quapropter negare non poteſt adverſarius, vocem delendi, ad utrumque ſignificatum adhiberi poſſe. Pſ. 69. com. 29. de quo ſecundo loco dicendum ſcriptum extat, *deleantur de libro viventium: & cum juſtis ne ſcribantur*; hinc patet, deleri etiam eos de libro viventium, qui nunquam eo inſcripti fuerunt; etenim ſi ſcripti fuiſſent , jam cum juſtis non tantum fruſtra ſed & ridiculè precatus eſſet David, ne cum juſtis ſcriberentur. Dices non de primâ inſcriptione , ſed de ejuſdem continuatione, hæc accipi poſſe , ac proinde deleri & non ſcribi, non coincidere: deletionem eſſe ſcriptionis jam factæ ; non ſcriptionem dicere negationem , ſcriptionis ulterius continuatæ. Verum hæc non multũ ad farinam conferunt. 1. Non dicit ne ſcribantur amplius , ſed ne ſcribantur. 2. Non iteratò prædeſtinat, non iteratò ſcribit. 3. Hæc imprecatio Davidis non eſt adverſus apoſtatas concepta, qui à juſtitiâ defecerunt , ſed adverſus impios & inimicos Davidis de quorum apoſtaſia à verâ fide & injuſtitiâ ne verbum quidem. Deinde etiamſi quidam tales fuiſſent , ut ex doctrinâ Prælectoris eſſe potuerunt certum nihilominus, nõ omnes tales fuiſſe ; omnibus nihilominus imprecatur, deleantur de libro viventium, & cum juſtis ne ſcribantur. Itaque dato etiam de apoſtatis agi, ſecundum ſententiam adverſarii , & de iteratâ aut continuatâ ſcriptione verba fieri, firmum interim manebit, deletionem etiam hic negativè inſcriptioni opponi, & deleri idem eſſe quod non inſcribi. Itaque

cum hæc ita ſint, nunquam ſcriptos deleri etiam ex libro vitæ, evidens eſt ex phraſi illâ argumentum efficax non deduci ad concludendum, aliquos revera ſcriptos deleri poſſe. Hac reſponſione ergo ſatis dilutum etiam ſequens ex Apocalypſi teſtimonium. Jam verò ita non eſſe ſcriptos electos & fideles ut deleri poſſint ex electorũ albo, patet, quia deficere non poſſunt. Cum ſcriptura cauſas recenſet, quare quidã draconẽ & beſtiam non ſunt adoraturi, digitum ad hanc inſcriptionem in libro vitę intendit Apoc. 17. com. 8. *mirabuntur inquit incolæ terræ, quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ à jacto mundi fundamento* & Apocal. 13. 8. *Itaque adorabunt eam omnes incolæ terræ, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni illius, mactati à jacto mundi fundamento.*

Secunda ejus ad hæc loca quæ de libro vitæ & ęterna ſcriptione agunt reſponſio eſt, *Si quis velit omnino ſervari debere ſcriptos in libro vitæ, ſatis eſſe oſtendiße, ibi non de certis quibuſdam hominibus nominatim agi, ſed de hominum quodam genere.* In hac reſponſione, nimium prodigus non immeritò videtur, ſcriptos in libro vitæ, à conſtitutione mundi omnino ſervari debere; cum incertum eſſet an tales ſalvarentur: incertum verò id per doctrinam Prælectoris; quia peccato non præcognito, non potuit hæc ſcriptio conditionata, fideles & non adorantes beſtiam ſalvabo, niſi conditionatè fieri, & in caſum dubium diſponere, ſi peccet homo, ſi veniat beſtia: neque enim qui Deum præſcientiâ ſuâ privat, beſtiæ quæ tota ex peccato conflata eſt,

eſt, præſcium fuiſſe, dicere poſſunt. 2. Si in iſtis locis non ageretur de certis quibuſdam hominibus, ſed de hominum quodam genere, tum non haberemus iis prædictum, aliquos fore, qui draconem & beſtiam non adorarent, qui ſe ſervarent incontaminatos & ſalvarentur. Conſequentia eſt evidens, quia poſito hanc ſcriptionem generalem, permanentem & indelebilem eſſe; piis cultoribus dabo vitam; *ſit caſibus hoc nullis annis delebile nullis:* pius ſit nemo, ſalvatur nullus: omnes in univerſum adorent beſtiam ſalvum interim erit hoc hominum genus, neque draconem neque beſtiam adorabit. At verò habemus locis iſtis Apocalypſis prædictum, futuros aliquos qui draconem & beſtiam non adorarent, qui ſe ſervarent incontaminatos. Apocal. 13. 7. 8. *Sed & datum eſt ei bellum gerere cum ſanctis, & eos vincere, & data eſt ei poteſtas in omnem tribum & linguam & gentem. Itaque adorabunt eam omnes incolæ terræ, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni illius mactati à jacto mundi fundamento.* Datum ei bellum gerere cum ſanctis, ſancti ergo futuri: ſequenti verſu libro vitæ inſcriptos dixit, quoſdam dicit adoraturos, quoſdam non adoraturos: incolæ terræ creatas deſignant perſonas quæ adoraturæ, tales ergo etiam ex lege contrarietatis, qui non adoraturi. Accedit quod iſtâ inſcriptione generali, inſcripti ſunt communiter omnes, non minus incolæ terræ, quam qui iis opponuntur, at inſcriptio hæc diſcretiva eſt, deſignat ergo perſonas ſingulares: hæc ex aliis etiam Apocalyp-

ſis locis evincuntur Apocal. 17. 8. *mirabuntur incolæ terræ, quorum nomina ſcripta non ſunt in libro vitæ à jacto mundi fundamento.* Apocal. 21. com. 7. *non intrabit in eam quicquam quod inquinat, aut abominandum patrat.* 3. Hanc phraſin non ſignificare legem mente divinâ conceptam, quâ obedientiam præſcriberet, & ſub conditione ejus ſalutem promitteret; ſed ut nos contendimus gratioſum Dei beneplacitum, de certis quibuſdam hominibus, ad ſalutem & media ſalutis efficaciter perducendis, evincitur ex voce nominum quæ ſcripta dicuntur: nam ut rectè Socinus, metaphorica locutio eſt ab iis derivata, qui aliquo in libro eos nominatim ſcribunt ac notant, de quibus ſecū aliquid ſtatuunt atq; decernunt. Pergit *eâ locutione nihil aliud, quam decretū de quibuſdam hominibus ſignificari, ſive certa ſint eorum propria nomina, ſive incerta.* Satis eſt enim, eorum qualitatem quandam certā eſſe. Eſto per propria nomina, non deſignetur nomen uniuſcujuſque, quo ſignificabatur in communi hominum ſocietate, & ab aliis diſtinguebatur; ſingulares tamen perſonę deſignantur: hoc ipſo quod Deus credentes conſtituit ſervare, nullorum nomina libro vitæ inſcribuntur, cum inſcriptio nominum non ſit niſi perſonarum certarum ſingularium: militum nomina non inſcribuntur, cum à principe ordinatur quales eligendi, & præmia ſtrenuè pugnantibus decernuntur; ſed cum ſinguli nomen ſuum militiæ dant χειρῶν δεῖ τῷ πολέμῳ καὶ οὐκ ὀνομάτων πολλῶν. Syneſ. Epiſtol. LXXXIX, manibus opus eſt bello, non multis nominibus,

minibus, pro militibus dixit. Ita ergo ut juſta methaphoricæ locutionis ad Deum accommodatio ſit neceſſe dicamus ſignificari ſingularium perſonarum deſignationem ad ſalutem. Ajo deinde ex adverſarii confeſſione, qualitatē eorum qui ſcribuntur in libro vitæ debere eſſe certam, hoc enim operantur illa, niſi falſus judicij ſim, *ſatis eſt enim eorum qualitatem quandam certam eſſe*. Sumo quod conceditur ſi certa qualitas, ſcriptorum in libro vitæ certa eſt, aut quia revera jam illis inexiſtit; aut quia certum inexſtituram. Non priori modo certa, quia prædictio erat de iis, qui nondum erant extra nihilum: ſi modo poſteriori certa, certitudo illa derivanda ex decreto & conſilio Dei, & ſic habemus intentum: à divinâ enim ſcriptione in libro vitæ, eſt, quod ſancti nomen habent in cœlis.

Inſtat nomen alicujus ſcriptum eſſe in libro vitæ *non ſignificare, eum nullâ prorſus ratione interire poſſe, quia Paulus affirmare audet, quorundam certorum nomina, Clementis inquam & aliorum ſuorum adjutorum eſſe in libro vitæ:* putat ergo, hoc decretum ſalutis immutabile non notare. Rationes duas adfert. Primò dicit *nullo modo veriſimile eſſe, Deum Paulo pateficiſſe, certos iſtos homines perire non potuiſſe.* Dicitur non probatur. Sequitur alterum quod plus ponderis non habet: *nec ſi pateficiſſet, Paulum id ipſum omnibus aliis aperuiſſe.* Sed unde quæſo id illi oboluit? Argumenta adferuntur: præſertim inquit ſimplici ejuſmodi affirmatione, nullo tantæ divinæ patefactionis vel indicio, vel

Ipſe dixit. vel teſtimonio; vel majore ſaltem ac diligentiore aliquâ confirmatione & narratione adhibitâ: quaſi verò divinis hominibus ſpiritus S. infallibili ductu præditis, ſimpliciter aliquid affirmantibus, Chriſtianis hominibus ſufficere non debeat αὐτὸς ἔφη: aut ſingulares divinæ patefactiones, ſine indiciis & teſtimoniis non adferantur. Cum Paulus myſterium diceret 1. Cor. 15. com. 51. *Non omnes obdormiemus, ſed omnes mutabimur*, id ex plenitudine Apoſtolicę authoritatis protuliſſe ſat habuit. Magiſterium ſpiritus humanis regulis non eſt alligandum. Secundò ad hæc omnia reſponderi poteſt; Paulum ſolummodo, ex judicio charitatis ita pronuntiâſſe: ſic enim D. Calvinus in com. ad hunc locum. *Si quis autem objiciat temere facere Paulum, qui de arcanis Dei jus ſibi pronuntiandi uſurpet. Reſpondemus, nos ex ſignis utcunque poſſe judicare, quibus electionem ſuam Deus palam facit, quantũ tamen fert captus noſter. Ergo in quibuſcunque relucere cernimus adoptionis notas, eos interim habeamus pro filiis Dei, donec libri aperiantur, qui penitus omnia patefacient.*

Altera ratio eſt, *quod Demas recenſeatur à Paulo inter adjutores ſuos, de quo tamen ad* Tim. 2. cap. 4. 10. *Demas me reliquit diligens hoc ſeculum.* Ad id reſpondetur 1. Judicium charitatis infallibile non eſſe. 2. Id lapſum eſſe potuiſſe, qualis in ſanctos audit, qui propterea ex albo electorum non eraduntur. 3. Demam ex verè ſanctis nunquam fuiſſe, ac propterea, quamquam inter Pauli adjutores recenſeatur Epiſtol. ad Philem. v. 24. col. 4. v. 14. ſermone

mone illo Paulinæ conſolationis non fuiſſe comprehenſum: quæ reſponſio eo minus adverſario improbanda; quod ex ipſius etiã ſententià dici non poteſt, adjutorum talium, qui verâ fide non erant præditi, nomina in cælis ſcripta fuiſſe, cum veri tantum fideles in ſalutis certiſſimâ vià ſint, in quâ ſi perſeveraverint vitam æternam adipiſcentur: quod Socino eſt nomina eorum in cælis ſcripta fuiſſe.

Cap. XIV.

Sacra teſtimonia, in quibus ſingulare aliquod divinum decretum commemoratur, ex quo probari videtur, quod ad ſalutem aut damnationem attinet, nihil penitùs in hominis libertate eſſe, & eorum explanatio.

HActenus de iis ſacris teſtimoniis actum eſt, quæ potiſſimùm inter alia ſuadere videantur, in ſalutis negotio nihil prorſus in hominis poteſtate eſſe, omniaque à Dei decreto pendére, quippe in quibus id aliqua ratione in univerſum affirmatum videri poſſit. Reliquum eſt, ut de iis teſtimoniis agamus, in quibus ſingulare aliquod divinum decretum exponitur, unde conjici poſſe videatur, Deum in hominibus vel ſervandis vel damnandis, nullã penitùs rei alicujus, præterquàm ſuæ voluntatis, rationem habere, neque ea in re ullam eſſe hominis libertatem.

Antequam verò aliud faciamus, dicendum eſt, unicâ reſponſione omnia ejuſmodi teſtimonia

monia dilui poſſe: Ex ſingularibus enim quibuſdam exemplis non fas eſt conſtitui regulam: ſed regulæ ex iis conſtituendæ ſunt, quæ ad omnes generatim pertinent, deque omnibus generatim dicuntur; vel ſi illæ ex ſingularibus exemplis petendæ ſunt, ea tot eſſe debent, ut univerſitatem quandam inducere videantur. Mitto, quòd exempla nullam vim ad regulam conſtituendam habere poſſunt, cum jam contraria regula invenitur conſtituta, quod hîc factum eſſe alibi fortaſſe oſtendemus. Nunc ſingularia iſta exempla ſingulatim exponamus atque examinemus.

I. Exod. 4. 21. & 10. 1. 20 & 11. 10. & 14. 4. 8. 17. *Occurrit* primo loco Pharaonis exemplum, cujus cor induratum fuiſſe à Deo dicitur, ne dimitteret populum, Decreto igitur Dei ejusque operâ factum eſt, ut Pharao populum, aliquandiu non dimiſerit; & tamen ex ipſa hiſtoria patet, Deum multas plagas Pharaoni immiſiſſe, ob eam ipſam cauſam, quòd non dimitteret populum. Itaque ea ipſa propter quæ Deus pœnas aliquas hominibus irrogat, non ab hominis libera voluntate, ſed ab ipſius Dei decreto proficiſcuntur; & conſequenter in homine condemnando ſeu puniendo, Deus ſuæ ipſius voluntatis tantùm rationem habet, neq; in ejus rei cauſa, ulla hominis libertas animadverti poteſt. Reſpondeo. Quanquam de hoc exemplo nonnulla jam dicta à nobis fuerunt, ex quibus reſponſio facilè colligi poteſt, tamen non abs re erit, hîc ea latiùs explicare ac confirmare. Dico igitur Pharaonem iſtum ejuſque deceſſorem, in Iſraëlis populo contra

omne

omne jus faſque affligendo, tàm graviter peccâſſe,ut meritò potuerit Deus,non ſolùm ejus cor indurare ne dimitteret populum,néve ſibi perMoſen jubenti hac in re obtemperaret;verùm etiam propter idipſum deinde eum graviter punire. Nam,cum quis in ſcelus aliquod neceſſariò prolabitur, ſi ejus neceſſitatis ipſe ſibi cauſam dedit, non excuſatur, ſed perinde punitur, ac ſi planè voluntariè ac liberè ſcelus illud admiſiſſet. Nam ſi quis dicat, iſtius quoque rei, quod Ægypti reges Iſraëlis populum affligerent, auctorem Deum fuiſſe, quemadmodum à nobis, cum de Dei præſcientia ageremus, dictum eſt: Reſpondeo primùm, me cum id dixi ſimul etiam oſtendiſſe, quòd Deus auctor illius afflictionis fuiſſet,cauſam ſimiliter in ipſo Ægyptiaco populo quærendam èſſe, eamque ejus populi, præter alia ſcelera, inſignem idololatriam ſtatui poſſe: Deinde dico, Deum quidem multò ante conſtituiſſe, ut Iſraëlis populus affligeretur,id eſt, ſervitute premeretur, ut ex prædictione illa apparet, Gen. 15. v. 13. ſed non tamen decreviſſe, ut tàm graviter affligeretur ut afflictus fuit, utq; Ægypti reges tantopere in eum ſævirent, ut, ne reliqua commemorem, etiam ipſum propagari tandem prohiberent,& qui exinde mares naſcerētur interfici omnes juberent. Quocirca, cùm Ægypti reges multò gravius Iſraëlis populum afflixerint, quàm à Deo prædictum & conſtitutum fuiſſe deprehendatur,digni fuerunt, qui ob eam cauſā à Deo punirentur, & in alia ſcelera prolabendi neceſſitatem

ejus

ejus decreto incurrerent, unde cum ſumma Dei gloria, ipſorum punitionis commodiſſimè occaſio quodammodo captari poſſet, etiamſi veriſſimum eſſet, afflictionem iſtam in univerſum ſola Dei voluntate decretam fuiſſe, ejuſq; nullam prorſus cauſam in Ægyptiaco ipſo populo quærendam eſſe. Totum autem hunc locum, quòd ſcilicet juſto Dei judicio factum ſit, ut populus ille non modò graviſſimas pœnas ſubierit, ſed etiam in neceſſitatem ea perpetrandi incurrerit, unde via ad punitionem facta eſt, ſatis egregiè tractat auctor libri Sapientiæ, qui tandem cap. ultimo verſ. 4. ait digna neceſſitate factum eſſe, ut Ægyptij Iſraëlitas, quos ſupplicantes ejecerant, tanquam fugitivos perſequerentur, & eorum quæ Paulò ante acciderant obliviſcerentur, quò non cõmpletam adhuc tormentis planè explerent ſuam punitionem. Quare (ut hoc obiter hoc loco dicamus, quod iis, quæ ſupra de Dei præſcientia diſputavimus, addendum erit) non mirum eſt, ſi in ipſo capitis initio idem auctor dixerit, iſtud Ægyptiorum factum prævisum iræ divinę fuiſſe, quippe, quod decretũ jam foret, quemadmodum & Exod. c. 3. 19. dicit Deus, ſe ſcire Pharaonem non dimiſſurum populum ſuum, nempe, quia ut nõ dimitteret ipſe decreverat, ejuſque cor indurare conſtituerat, ut ex cap. 4. 21. & reliquis ſequentibus capitibus apertè conſtat.

Sap. 19. 1. 2. | Cap. 7. 3. &c. C. 14 4. &c

2. *Alind* exemplum ſecundo loco antecedenti ſimile occurrit, de Sichon rege Chesbon, cujus, ut Moſes Deut. cap. 2. 30. ait, Dominus ſpiritum

tum induraverat,& cor obfirmaverat,ne ea faceret,quæ juſtiſſimè ipſe Moſes,tanquam dux populi Iſraëlis,ab eo petierat pro ipſo populo, ut ea eſſet occaſio cū ipſo belligerandi, eumq; cum ſua gente perdendi,ejuſq;regionem occupandi. Hîc enim ſimiliter iſtius regis&gentis illius peccata antecedebant, propter quæ commeriti fuerant, ut ipſe ita induraretur, & proinde unà cum univerſo populo ſuo funditùs deleretur. Apparet enim ex compluribus locis & inter cæteros ex cap.20. Levitici v.23. eas gentes quæ à populo Iſraëlitico deletæ fuerunt, quorumque regiones ipſe occupavit, ſceleſtiſſimas fuiſſe, ob idque tantæ cladi à Deo reſervatas eſſe.Adde quòd iſte Sichon ejuſque populusAmorrhæi erant,de quibus ante annos amplius 400, ut propter iniquitates ſuas ſuis ſedibus expellerentur,Deus decreverat,ut colligitur ex cap. 15. Gen. v. 16. ubi poſt quartum ſeculum futura iſta expulſio ab ipſo Deo prædicitur, & additur, idcircò eam uſque ad illud tempus differri, quia nondum completa eſſet iniquitas Amorrhæorum.

Tertium exemplum erit, id quod ſcriptum 3.
eſt de filiis Heli Sacerdotis, 1.Sam.cap.2.25. quòd vocem patris ſui ipſos monentis &à ſceleribus retrahere conantis non audiverint,quia Dominus voluit eos interficere. Ad iſtud exemplum ſunt qui reſpondeant vocem Hebræam *Chi*,quæ reddita eſt *quia*,potuiſſe reddi *idcirco*, ita ut ſenſus ſit,non Dei voluntatem illorum contumaciæ cauſam fuiſſe, ſed contra, illorum contumaciam Dei voluntatis. Verùm

rari admodùm vel potius nulli ſunt loci, ex quibus intelligi poſſit, vocem *Chi idcircò* etiam ſignificare. Quod in Hebræo eſt *Chaphetz* iſti interpretationi perinde ut illi alteri videtur poſſe accommodari. Declarat enim id verbum non ſimplicem voluntatem, ſed cum deſiderio & oblectatione quâdam, adeò ut ſæpe nihil aliud ſignificet quàm cupere: quaſi dicere voluerit ſcriptor ille, Deum deſideràſſe Heli filios interficere, & propterea ejus rei occaſionem inveniſſe, efficiendo ut parentis dicto audientes non eſſent; vel, quod rectius eſt, propterea noluiſſe ut parenti auſcultarent, ne juſta cauſa illos puniendi ſibi præriperetur. Quamobrem alia ratione ad exemplum illud reſpondendum eſt, nempe, hîc quoque ejuſmodi divinæ voluntatis, quâ quis in ſcelus aliquod neceſſariò incurrit, cauſam antecedentem extra ipſum Deum extitiſſe. Etenim iſti Heli filii, antequàm à patre monerentur, jam non ſolùm deliquerant, ſed & graviſſimè & ſæpiſſimè peccaverant, idque non una ratione, ut ex antecedente hiſtoria manifeſtum eſt. Porrò, quemadmodum Dei conſilio factum eſt, ut Heli filii
1. Sam. 2. 25
patri recta monenti non auſcultaverint: ſic etiam eodem Dei conſilio factum eſt, ut Abſolomus bonum, id eſt, utile Achitophelis conſilium ſecutus non fuerit; & Roboamus ſenioribus recta monentibus non obtemperaverit. Nam & Abſolomum perditum adoleſcentem ſuorum ſcelerum pœnas dare, nec quod flagitiosè moliebatur ad optatum exitum perducere, decreverat; & à Roboamo, ob Salomonis
2. Sa. 17. 14. 1. Reg. 12. 15.

patris

patris idololatriam, decem tribus deficere volebat, quod etiam ſe facturum anteà & comminatus fuerat, & per Achiam prophetam confirmaverat, externoque adhibito ſigno adumbraverat. 1. Reg. 11. 11. 12. 13. & v. 29. 30. 31. &c.

4. Sed quid dicemus, quòd ipſe Deus, ut Davidem caſtigaret, ejus uxores coram toto Iſraële, & coram ipſo ſole, id eſt, (ut Vatablus explicat) palàm & publicè ejus ſodali (is fuit Abſolomus filius) comprimendas dedit. 2. Sam. 12. 11. 12. Nonnè ex quarto hoc exemplo ſatis intelligi videtur, ipſa graviſſima ſcelera, ob quæ Dei ira in homines venire ſolet, ab ipſius Dei voluntate pendère, & ideò fieri, quia Deus ut fiant anteà decrevit. Animadvertendum eſt, ut alibi à nobis dictum fuit, Deum peccatis peccata punire, id eſt, pœnam peccatorum conſtituere ipſum deinde in alia peccata labi, quemadmodum Paulus primo capite epiſtolæ ad Romanos diſertè teſtatur, V. 24. 26. 28. &c. ubi propter ſpretam Dei cognitionem, propterque idololatriæ peccatum poſt cognitum Deum, homines ab ipſo Deo in reprobum ſenſum (ut vulgata editio habet) traditos fuiſſe affirmat, Verſ. 27. ut facerent ea, quæ non conveniunt; & anteà dixerat, turpia quædam ſcelera, quæ homines ejuſmodi admittebant, debitam eſſe mercedem impietatis eorum. Abſolomus, cum ad ſtuprum Patris ſui uxoribus inferendum divino conſilio adactus fuit, jam graviſſimè peccaverat, quippè qui non modò Ammonem fratrem ſuum dolosè 2. Sam. 13. 28. &c. & 15. 3. 4. &c. interemerat, ſed & paternum regnum occupare aggreſſus fuerat, & per ſummum ſcelus

jam pleroſque ex Iſraëlitis ſeduxerat, eoſque patris ſui, ipſorum legitimi Regis, obedientia
2 Sam. 12. 11. 12. & 16 21 22. averterat, ad ſeque traduxerat. Quare meritò ita Deo volente, in tam atrox flagitium novercas ſuas publicè conſtuprandi eſt prolapſus, quo ſolo turpiſſimo facinore admittendo, ſatis pœnarum pro præteritis ſceleribus dediſſe videri quodãmodo poterat. Atque interim Deus, idoneo inſtrumento ad eam rem delecto, Davidem, ut ſe facturum prædixerat, ea ratione ob adulterium ab eo commiſſum graviter caſtigavit.

5. *Quintum* exemplum id eſſe poteſt, quod de
2. Sam. 16. V. 6 7. 8, 13. Semei legimus, qui Davidi Abſolomum fugienti maledicebat, idque ipſo Davide teſte, v. 10. 11. Deo ſic jubente faciebat: & tamen idem David moriens Salomoni mandat, ut ip-
1. Regum 2. V. 8., 9. ſum Semei, quia ſibi maledixerat, interficiat, ejus rei nimirum occaſione aliqua, quæ juſta cauſa videri poſſet, inventa, ut oſtendunt verba illa, v. 9. *Quia vir ſapiens es tu &c.* In exemplo iſto conſiderandum eſt, non ita apertum eſſe, Semei ipſo Deo auctore Davidi maledixiſſe, ut plerique exiſtimant. Nam, etſi David ipſe dixerit, Deũ illi pręcepiſſe, ut ſibi malèdiceret, non Davidem in abditum Dei conſilium inquirere voluiſſe, aut Spiritu prophetico ita locutum fuiſſe: ſed non ſine Dei voluntate id fieri animadvertiſſe, quatenus non ſolùm, ſi Deus noluiſſet, factum illud Semei externum ſibi maledicendi non extitiſſet; verùm etiam maledictio illa, pars divinæ caſtigationis ob adulterium & homicidium à ſe perpetratum, non

minùs

minùs quàm ipſa fuga erat. Cæterum fieri poteſt, ut Semei planè ſua ſponte Davidi maledicere cogitaſſet & decreviſſet, quod decretum Deus, ut Davidem caſtigaret, ad exitum perduci voluerit. Etſi enim David dicitDeum ita præcepiſſe, hyperbole tamen omninò eſt in ejus verbis, cùm nulla ratione id Deus præceperit, eſtque intelligendum non niſi Deo volente,quemadmodum paulò ante expoſuimus, id fieri.Quod ſi tamen velimus,ipſius Deiconſilio factum eſſe, ut Semei ad Davidi maledicendum impelleretur, ſtatuendum ſimul eſt, Semei malum hominem jam fuiſſe,atque ejuſmodi, ut Deus meritò ad id perpetrandum eo uſus fuerit, unde factum ſit,ut meritò quoque ejuſdem illius facinoris, in cujus admittendi neceſſitatem culpâ ſuâ incurrerat, pænas dederit.

Sexto loco exemplum illud perpendendum eſt,quod extat.2.,Sam.24.1.ubi ſcriptum eſſe videtur, Deum,cum iratus eſſet Iſraëlis populo,incitaſſeDavidem,ut juberet numerare populum univerſum, propter quam cauſam Deus deinde ipſum populum & conſequenter Davidem quoque punivit, & immiſſa per angelum peſte ſeptuaginta millia hominum abſumpſit. Ignoratio Hæbraicæ linguæ, perverſę iſti ejus loci interpretationi occaſionem dedit. Sciendum eſt enim,pro eo quod apud Latinos imperſonali quodam modo,id eſt,perſona agente ſuppreſſa dicitur *incitatus eſt*, apud Hebræos dici ſolere *incitavit*, idemque in omnibus aliis uſu venire,ſimileſque locos ad hunc 6.

modum ſolere explanari: Incitavit Davidem, ſubaudi, is qui incitavit, quod, ut diximus, breviter idē eſt, quod apud Latinos, David incitatus eſt. Deinde animadvertendū eſt, ſimplicē copulam apud Hebræos (id quod etiam apud Græcos & Latinos fieri conſuevit) ſæpiſſimè exegeticę particulæ vim habere, unà cum quâdam reddendi rationem ſignificatione, ita ut commodiſſimè in Latina lingua *nam* reddi poſſit. Quamvis igitur in Hebræo codice ad verbum ita ſcriptum ſit: *Et addidit adhuc Iehova ad iraſcendum ad Iſraëlem, & incitavit Davidem in ipſos* &c: tamen ſic totus locus Latinè interpretandus eſt: *Et iratus eſt adhuc Jehova in Iſraëlem: Nam David incitatus fuit in ipſos* &c. Quis verò fuerit, qui Davidem incitaverit, videtur ſcriptum eſſe 1. Paralip. 21. 1. ubi ad verbum ex Hebræo legitur: *Et ſtatim Satan contra Iſraëlem, & incitavit Davidem* &c. Sed hîc quoq; eadem loquendi figura eſſe poteſt. Quare ſatius fortaſſe eſt Vatablum audire, qui ſuperiori loco ſic annotat: Quidam Hebræorum non malè ſubaudit *cor*, incitavit cor Davidis Davidem, quaſi dicat, David à propria concupiſcentia fuit tentatus.

7\. *Septimò*, alicujus momenti eſſe videtur id, quod ſcriptum eſt apud Hoſeam cap. 8. 4. & ſeq: Ibi enim Deus acriter Iſraëlitas increpare videtur, quòd reges ſibi elegiſſent Hieroboamum ſcilicet & alios (nam de decem tribubus loquitur) idque non ex ſe, id eſt, non ex ipſius ſententia, & principes conſtituiſſent, quos ipſe non cognoviſſet, id eſt, non approbâſſet. Et

tamen

tamen defectio illa decem tribuum ad Hiero- 1.Reg.11.12. 11.3.131. &c.
boamum, ut ſupra diximus, & patet ex capite
undecimo libri primi regum, à Dei conſilio
atque decreto profecta fuerat. Itaque videtur
Deus eorum cauſa & auctor eſſe, quæ ipſemet
deinde improbat, & propter quæ hominibus
iraſcitur.

Ad hoc exemplum reſpondeo, Deum non increpâſſe Iſraëlitas ob id, quòd ad Hieroboamum Roboamo relicto defeciſſent, ſed, quòd ſe inconſulto (idque ſignificant verba illa, *Non ex me*) id feciſſent: Etſi enim fieri non poterat, quin deficerent, non tamen eis libertas ea de re Dominum conſulendi adempta fuerat. Adde, quòd non decreverat Deus ut Hieroboami ſtirps in eo regno perpetuò duraret, niſi is ſibi obediens fuiſſet, in ſeque colendo Davidis veſtigia inſecutus eſſet, quemadmodum ſcriptum eſt eodem capite undecimo libri primi regum. (1. Reg. 11. 38.) Quod quia Hieroboamus non fecit, nulla prorſus cauſa erat, cur decem illę tribus ejus poſteros in regno confirmarent, præſertim cùm ipſi quoq; impij eſſe perſeverarent: hoc enim nec tacitè, id eſt, decreto ſuo Iſraëlitis non patefacto, nec expreſsè, id eſt, ſuper eâ re ſententiâ ſuâ promulgatâ, aut reſponſo dato, approbavit Deus: propterea ait, *Principes conſtituerunt & non cognovi.* (Hoſe. 8. 4.) Fuit igitur hac in re non leve peccatum Iſraëlitarum idque nulla ratione ex decreto Dei, ſed ex libera ipſorum voluntate manavit, propter quod meritò illis Deus iratus eſt: etiamſi ut à Roboamo deficerent, & Hieroboamum regem haberent, à Deo

 omninò

omninò decretum fuerat. Quanquam non deſunt, qui ea quæ apud Hoſeam leguntur, ad confœderationes referant cum Rege Ægypti factas, adque auxilia inde contra Aſſyrios petita, quod expreſsè illis exprobrat Deus ejuſq; propter idipſum comminatur, apud Eſaiam cap. 30. 1.2.3. &c. vide locum.

8. *Octavò*, Judæ Iſcariotæ exemplum ſubit, de
Ioh. 17. 12. quo ſcriptum eſt, eum periiſſe ut impleretur ſcriptura. Ex quo perſpicuum eſſe videtur, ejuſmodi hominem, antequàm naſceretur, exitio devotum fuiſſe, & ob eam rem Chriſto prodendo, quæ cauſa ejus exitij extitit, deſtinatū. Hîc diligenter conſiderandum eſt, fuiſſe quidem multò antequàm Judas naſceretur decretum, ut unus ex Chriſti domeſticis & commenſalibus eum proderet, ſed non tamen ut Judas Iſcariota is eſſet. Verùm, tum demum ipſe Judas divino conſilio ad id electus fuit, cum à Chriſto in numerum duodecim diſcipulorum eſt cooptatus, id eſt, cum jam ejuſmodi eſſet, ut ad divinum illud decretum exequendum meritò eligi poſſet, quippe qui non modò improbus eſſet, ſed etiam ea potiſſimùm impro-
Ioh. 12. 6. bitate prædìtus, quâ ea in re maximè eſſet opus: furem enim eum fuiſſe legimus, & propterea avarum, quam avaritiam in eo ſummam fuiſſe oportet, cùm in Chriſti ejuſque familiarium convictu, quibus nihil ab eo vitio alienius fieri poterat, nihilvé ab eo magis revocans atq; deterrens, avarus eſſe perſeveraret. Atqui avaritiâ Judam ad Chriſtum prodendum impulsū fuiſſe ſacræ literæ apertiſſimè teſtantur:

Quid

Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam &c. Dignus igitur fuit Judas, qui ei ſceleri perpetrando deſtinaretur, ejuſque avaritiâ ea ratione palam traductâ, ſuæ improbitatis meritis pœnis addiceretur. Matth. 26. 14. 15. 16.

Nonum exemplum ſuppeditabit nobis univerſus ipſe populus Judaicus, qui exciſa urbe primaria Hieroſolyma, ingente clade judicio divino affectus eſt, ob id potiſſimùm quòd Jeſum Chriſtum interemerant, cùm tamen, ut Jeſus Chriſtus ab ipſis interimeretur, multò ante à Deo conſtitutum fuiſſet, ut ex prophetarum prædictionibus conſtat, & Petrus ſatis apertè teſtatur. Actor. 2. 23. & cap. 3. 18. & reliqui Apoſtoli confirmant, Actor. 4. 28. 9.

Hîc porrò animadvertendum eſt, Judaici populi ſcelera jam inde ab ipſo initio, ut ipſis Stephanus exprobrat, Actor. cap. 7. 51. 52. 53. tot tantaque fuiſſe, ut meritò eorum malitiâ Deus ad filium ſuum interficiendum abuſus fuerit; idque multò anteà conſtituerit, ut ſimul ſalutis æternę nobis tradendæ viam inveniret, ſimulque occaſionem ejus populi pro meritis puniendi quàm accomodatiſſimam haberet.

Scio quid contradici poſſit: ſed nimis longum eſſet ad omnia reſpondere, locoſque ſacrarum literarum huc pertinentes diligentiùs examinare. Hoc dixiſſe fuerit ſatis · ſi Deus omninò decreverat, ut filius ſuus à Judæis interficeretur, eorum perpetua & ingentia ſcelera id abundè commerita fuiſſe: ſin verò id non omninò decreverat ipſe, ſed tantùm præ-

viderat (quod tamen nos falſum planè eſſe arbitramur) nihil eſſe cur exemplum in medium aſſerri deberet.

10. *Decimò* ſcriptum invenimus apud Judam in
Verſ. 4. initio ferè ejus epiſtolæ, quoſdam, qui irrepſerant in Eccleſiam, videlicet, ut eam falsâ doctrinâ labefactarent, jam pridem ad eam damnationem deſcriptos fuiſſe. Ex quo intelligi poteſt, eos qui damnantur ideò damnari, quia ſic anteà Deus decrevit. Locus iſte ut apparet, de falſis prophetis ait, qui, ut diximus cum de Dei prænotione diſſereremus, ab ipſo Deo excitari ſolent. Intelligendum eſt autem, Deum falſos prophetas in populo eos eſſe velle, qui jam ſint ſceleſti, & propterea digni qui tam infami muneri deſtinentur, idque multò ante ipſe Deus facit, quàm munus reipsâ ſuſcipiant. Quamvis enim jam decretum factum ſit, adhuc tamen Deus, qui neminem perire vult, ſed omnes ad pœnitentiam venire, expectat ſumma cum patientia, ſi fortè reſipiſcant, & decreti ſui revocandi ſibi cauſam præbeant, donec tandem rebus planè deſperatis id exequitur, quod jam pridem decreverat: hæcque eſt damnatio illa, de qua loquitur Judas, qui, ut ex conſequentibus patet, de impiis hominibus loquitur, qui agnitam veritatem rejiciunt, & tandem eam inſectantur, & factis dictiſque blaſphemant, quibus, quemadmodum
Verſ. 13. idem Apoſtolus teſtatur, caligo tenebrarum in æternum ſervata eſt.

Hucuſque multa exempla expendimus malorum quæ Dei conſilio fiant, oſtendimuſque non

non idcircò concludi poſſe, ex ſola Dei voluntate damnationem pendere, cùm in unoquoq; ipſorum, in quo de Dei conſilio apparet, de hominis etiam malitia appareat, quæ id conſiliũ antecedit, quæque ejus conſilij cauſa eſt. Eſtq; in tota hac diſputatione illud memoria repetendum, quod à nobis de Dei prænotione agentibus dictum eſt; Deum non culpę ſeu peccati alicujus, quod in facto inſit, auctorem cauſamque unquam eſſe, ſed facti ipſius duntaxat. Malitiam enim & iniquitatem, à qua omnis culpa proficiſcitur, reperit ipſe in homine, quem ad aliquod facinus patrandum adigit, quia jam malus & iniquus eſt, ut ea ratione, dum alia judicia ſua exequitur, hominis iniquitatem in apertum producat, eumque cùm illo ipſo facinore patrando, tùm pœnas eo facinore dignas ſubeundo; ſibi debitum ſupplicium pati atque experiri cogat. Nunc de exemplis agendum eſſet, ex quibus, Deum ſola ſua voluntate quempiam ſervare, idque neceſſariò, intelligi poteſt, aut certè ita videtur. Hæc fortaſſe multa ſunt: ſed nos duobus contenti erimus.

Prius erit de Paulo, qui ſe ab utero matris à Deo ſegregatum eſſe dicit, & per ipſius gratiam vocatum. Verùm ibi agitur non de ſegregatione & vocatione ad ſalutem, ſed ad Euangelii prædicationem Chriſtique cognitionem. Quod ſi de ſalute etiam æterna ipſius Pauli ageretur, nulla tamen neceſſitas intelligenda eſſet, cùm ipſe Paulus alibi dicat, ſe affligere corpus ſuum, ne quando, cum aliis prædicaverit, ipſe

1. Galat. 1.15
1. Cor 9.27

ipſe reprobus fiat. Porrò phraſis illa *ab utero*, proverbialis eſt & hyperbolica, ut ex his locis patet, Pſal. 22. 10. & 58. 4. & 71. 6. Eſai. 48. 8. & 49. 1. & ad Dei ſummam providentiam explicandam, hominiſque merita excludenda uſurpatur. Certè ipſe Paulus alibi dicit,
1 Tim. 1. 13 ſe miſericordiam conſecutum fuiſſe, quia ignorans peccâſſet. Ex quo ſatis conſtat, Deum in Paulo ſervando, eorum etiam quæ in Paulo erant, aliquam rationem habuiſſe, nec verè atq; omninò ab utero matris eum ſaluti deſtinâſſe.

Poſterius exemplum, quo Auguſtinus &
2. cæteri plurimùm nituntur, eſt de ipſo Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem certũ eſt ante mundum conditum æternæ ſaluti omninò deſtinatum fuiſſe. Nam quale caput fuit, talia membra eſſe debere ajunt. Reſpondeo. Si ita certa deberent eſſe membra, ſicut certum eſſe debuit caput, argumentum proceſſurum. Nunc caput quidem certum eſſe debuit, alioquin ipſa via ſalutis noſtræ, quam Deus elegiſſet, incerta fuiſſet: membra autem non modò incerta eſſe poſſunt, ſed etiam debent: aliter Deus qui membra non eſſent, nulla ratione ob id ipſum quòd membra nõ ſint, punire poſſet. Nec verò ſi Chriſtus non poterat non obedire Deo, ideò obedientiæ ſuæ præmio afficiendus nõ fuit: in ea enim obedientia, non liberæ voluntatis ſed laborum & perpeſſionum ratio fuit habita. Idque nos vehementer in obedientia noſtra confirmat. Nam ſi is, qui neceſſariò obedivit, tanto pręmio eſt affectus, certè nos, qui poſſemus non obedire, noſtra mercede nõ fraudabimur.

Itaque

Itaque tandem concludo, neminem eſſe,ex iis quibus Euangelium purè annuntiatur, (niſi priùs juſto Dei judicio ob peccata ſua induratus atque excæcatus fuerit) qui liberè & ſuâ ſponte ei aſſentire non poſſit: quo facto non eſt verendum,ne ipſius Euangelii præcepta facere non poſſimus. Iis enim qui Euangelio aſſentiuntur, omnia largitur Deus, quibus ad ea perficienda indigent. Atque hac ratione liberum arbitrium in homine eſſe ſtatuo,quodDei gloriæ, ut quidam inneptè ajunt, non repugnare, vel id docere poteſt, quòd, ut inter omnes conſtat, Deus ipſe homini à ſe condito liberum arbitrium dedit. Ex quo liquet, hanc vim in homine ad ſummam Dei gloriam pertinere, tantum abeſt,ut illi adverſetur. Eam verò per primi hominis peccatum extinctam non fuiſſe, ſupra ſatis demonſtratum fuit.

Refut. Cap. XIV.

Sacra teſtimonia, in quibus ſingulare aliquod divinum decretum commemoratur, ex quo probari videtur, quod ad ſalutem & damnationem attinet, nihil penitus in hominis libertate eſſe & eorum explanatio.

Nondum Socinus quemadmodum ex argumento hujus 14. capitis planum eſt,finem facit in medium adferendi iſtiuſmodi ſacræ ſcripturæ teſtimonia,in quibus deDei decretis & actionibus ſalutem aut exitium ſpectantibus, de efficacitate gratiæ divinæ in arbitrio, oppoſitis

oppoſitis judiciis,deque humanæ libertatis ratione& arbitrii viribus,quæ quales ſint in univerſũ Arcem è cloaca fecit,& ut dicitur lapidẽ è ſepulchro pro Deo veneratus eſt: totus in arbitrio efferendo,quemadmodum Empedocles amore immortalitatis in Ætna, ita hic noſter amore arbitrii abſumitur, nondum vela colligit quod poterat: quia verò nondum occludit ſeplaſiam,mihi etiam pro bono viſum præeuntem ſequi: reponam quæ potero per Dei gratiam: ſub in Pallada certamen commoverit: attamen nonnunquam eſt obitor non importuna locutus, ut in bello etiam adminiſtrant haſtas, qui minus ad pugnam idonei. Sed ad rem.

Teſtimonia quæ ſibi objicit, non uſque adeo directé punctum difficultatis & controverſiæ attingunt; nam pleraq; non agunt de electione divinâ, aut ei contrariâ reprobatione, aut de negatione gratiæ divinæ, ejuſdemque efficacitate quæ reſiſtentiam tollit arbitrii, & relapſum ad priſtinum peccati ſtatũ per Apoſtaſiam impedit, ſaltem ex eorum ſententiâ, contra quos adverſarius ſibi agendum etiam cenſuit. Teſtimonia producta pleraque agunt de pæna indurationis divinæ, quà improbi indurantur in peccatis ſuis: quia verò Prælectori hæc adferre viſum, videbimus,quid ad propoſitam quæſtionem ex iis efficiatur, & quid bonæ frugis colligi poſſit ex iis quæ præſcribit.

Primò nihil hic teſtimoniorum congeſſiſſe ſe arbitratur, quod non uno reſponſionis ictu debilitet. *Ait fas non eſſe ex ſingularibus exemplis regulam conſtitui,vel ea tot eſſe debere,ut univer-*

univerſitatem quandam inducere videantur. At mi homo mille talium adduxerim; in integros populos gentes, iſtiuſmodi judicia Deus atteſtantibus ſacris exercuit: ſuppetant ergo, tot & tanta exemplorum agmina per univerſum Sc. corpus ſparſa, ut magnam inducant univerſitatem, vide ſis quintum locum 12. cap. Prælect. Regula itaque ſecundum quam Deus ex conſilio & beneplacito voluntatis ſuæ regulat humanum genus, duplex eſt. Una eſt quorundam miſerendi per electionem gratuitam: altera eſt quorundam non miſerendi per reprobationem juſtam. Hanc duplicem divinæ adminiſtrationis regulam Pauli verba evidentiſſimè ſuggerunt nobis Roman. 9.18; *cujus vult miſeretur, quem vult indurat*. Dei propoſitum non eſt omnium miſereri, quia propoſuit ſalvare per electionem: pugnant verò velle omnes & ſingulos ſalvos facere, & velle ſalvare per electionem: ἐκλέγειν enim eſt ut ſupra Prælector deſcripſit, ex aliquibus unum aut plura ſumere, contra propoſitum & intentionem primam, dicendum ergo potius, Deum noluiſſe eligere, ſed propter malitiam hominum illi ad electionem deveniendum fuiſſe. Jam verò Deum velle omnes & ſingulos ſalvos facere, quædam etiam principia Prælectoris non permittunt. Nam aut chriſtiana religio, non eſt unica ſalutis via, & abſolutè neceſſaria ad obtinendam æternam vitam, aut ſi ea ſic neceſſaria eſt, tum in Ethnicis non datur arbitrij poteſtas, quâ malo æternæ mortis & condemnationis eluctari poſſint: id ex eo patet, quia in eorum Eligere.

corum poteſtate non eſt, ad Euangelium chriſtianæ religionis normam pervenire: id in eorum poteſtate non eſſe Prælector confitetur cum ſcribit Prælect. cap. 12. *Cæterum, cum eos Chriſti oves appellari dicimus: qui ad ipſius doctrinam ex animo amplectendam ſunt accommodati, non omnes prorſus ejuſmodi homines intelligimus, ſed eos, quos jam Deus decrevit per Euangelij prædicationem ad Chriſti cognitionem vocare.* Ex quo efficitur, cum Deus non ſtatuerit omnibus facientibus quod in ſe eſt, dare gratiam Euangelij quæ ſola beat ad æternam vitam, Ethnicos non habere liberum arbitrium in iis quę ad ſalutem.

Paragrapho primo exemplum Pharaonis producitur. De reſponſionibus adverſarij ad hoc exemplum videatur Prælect. cap. 7. par. 6. cap. 12. par. 14. cap. 10. par 3. Id quidem concedi poteſt idololatriam & alia ſcelera, in causâ fuiſſe, cur Deus ut ſanctiſſimus judex, per Ægyptiorum impiam manum, populum ſuum affligeret, & hoc pacto eos peccando ſe neceſſitati peccandi implicuiſſe, atq; ita & peccâſſe & periiſſe neceſſariò. Verùm id cum unâ manu dederit alterâ mox eripit, reſponſionem formans quâ oſtendit Ægyptios quadantenus ita liberè afflixiſſe, ut ratione divini decreti non afflixerint neceſſariò, & ſecundum hoc à Deo punitos eſſe: dicit *fuiſſe quidem à Deo conſtitutam afflictionem ipſam* Gen. 15. v. 13, *ſed non gravitatem afflictionis*; ab hac afflictionis gravitate, quæ ita libera, ut reſpectu Dei judicis non neceſſaria, derivat

derivat neceſſitatem conſequentis peccati regum Ægypti & ex eo pœnæ & exitii. Primò quemadmodum ſuperius affirmavit cap. 10. Prælect. decreviſſe quidem ab initio Deum, ut populus ſuus, ab unâ aliquâ gente affligeretur; ſed ut ea gens Ægyptii forent, non ante decreviſſe quemquam affirmare poſſe, quam in Ægyptum populus tranſlatus eſt, ita hic ex cerebro ſuo inter afflictionem & modum afflictionis diſtinxit, nullâ ad hoc ductus ratione, quæ ex textu prædictionis, aut complementi hiſtorici deduci poſſet; iſta verò ejus reſponſio doctrinę de providentiâ malè conſona, cum Deus arbitrio ſuo non tantum res ipſas ſed & rerum modos gubernet: neq; tantum afflictio populi Dei à decretis divinę providentiæ determinatur, ſed & magnitudinis modus: providentia Dei non tantum paſſionem ipſam Servatoris, ſed & modum ejus definivit Act. 4. com. 28. *Ut facerent quæcunque manus tua, & conſilium tuum prius definierant ut fierent.* cum non minima pars Chriſtianæ conſolationis adverſus crucē in eo ſita ſit, quod à Deo immittatur in ſuorum æternum bonum, valde enarvatur Chriſtianæ conſolationis vis, ſi dicatur maxima & aſperrima mala Dei conſtitutione non immitti, ut ipſa mala; languet ergo conſolatio, quam ordo providentię ſuggerit, cū nullum ab eâ adverſus mala graviſſima remedium, ubi maximè requiritur medius Euripides, cui omnes humanę clades συμφοραὶ θεήλατοι: aliter Apoſtolus Johan. qui non tantum indicavit mala, ſed & quaſlibet graviſſimas afflictiones, fuerunt ergo illæ

calamitatēs à Deo immiſſæ Apocal. 1.

Hh conſti-

conſtitutæ. Cũ Apoſtolus ait *diligentibus Deum omnia cooperari in bonum* : nonne omnia triſtia & adverſa intellexit, & ad eorundem tolerantiam Deum diligentes prædeſtinatos eſſe, ſuperiori cap. prælectum fuit: vana ergo Prophetiæ Gen. 15. Diſtinctio affingitur & audacter citra Scripturas ullas, aut rationes inde ductas, exagitatur: tam enim Dei providentia ordinavit omnia mala ſub v. Fœdere, quam jam ſub Novo. Pindaricum illud æternæ veritatis. **πάντων ταμία, ἔργων ἐν οὐρανῷ** omnium rerum diſpenſationes & adminiſtri in cœlo.

Scundò datâ hac diſtinctione, prodit nihilominus peccandi neceſſitas, quæ peccantem tali neceſſitate conſtrictum non liberat à pœnâ. Dices quamvis Pharao & Ægyptii ſub neceſſitate peccati & exitii fuerunt, poſtquam commiſerunt hæc peccata, & tum non habuerunt, quod Prælector defendit arbitrium, antea tamen habuerunt, quod ſufficit ad quæſtionem pro eo concludendam. Audio quid dicatur, ſed interea pertendo non probari, nec probari poſſe ullo argumento, quo ſolent illud **ἰσόῤῥοπον** arbitrii probari in iis quæ ad ſalutem. Etenim ſi homo ob peccati meritum eâ arbitrii poteſtate privatur, & privari poteſt, & tamen non ceſſant præcepta promiſſiones minæ exhortationes, reprehenſiones expoſtulationes aliaque id genus, ſalvâ juſtitiâ ſinceritate bonitate æquitate Dei, aliis, ex iſtiuſmodi mediis nulla talis arbitrii libertas concluditur, quia ob peccati meritum omnes ſervi, ficulnea ergo omnia iſtiuſmodi argumenta ſunt, ad firmandam

æqualiter vergens

dam iſtam theſim , nec eſt quod quis metuat fulminatricem iſtamPelagii legionem,ob peccati meritum ſervos eſſe peccati omnes,probatur, quia omnes in corruptionis ſtatu, & ſub dominio peccati naſcuntur,quod patet per ea, quæ de peccato originali diſputata ſunt: quod ſi Pharaoni,ob prædeceſſoris etiam ſui peccata, peccandi immiſſa neceſſitas, cur ob peccatum primi parentis, hominem arbitrii libertate ſpoliatum eſſe, iniquum cenſebimus. 11. probatur ſic, hominem non poſſe non eſſe peccatorem,quia regeneratio fides,juſtificatio gratuita, omnibus abſolutè neceſſaria, quæ peccati ſervitutem & vim ſupponunt. Juſtificatio gratuita quam Scriptura docet, non liberat ab æternâ morte, niſi per remiſſionem peccatorum, quod ſi quilibet neceſſariò peccator, apparet neminem habere liberum arbitrium ne ſit peccator, quapropter ſequenti cap. ubi prolegomena juſtificationis noſtræ per Chriſtum, male concluſum, hominem non minus poſt lapſum,quam ante liberum arbitrium habuiſſe, ita verò ſentit hominem habere, ut poſt lapſum non fuerit amiſſum. Itaque ex hoc diſcurſu fit evidens, neminem ita habere hoc liberũ arbitrium, ut non habuerit aliquando ſervum, quia peccavit voluntas ſecuta eſt peccantem,peccatum habendi dura neceſſitas. Reſtat ergo dicendum Pharaoni & aliis per gratię donum ejuſque efficaciam redditam fuiſſe libertatem, & ejus libertatis abuſu, perpetratam malitiam, ob quam à Deo indurati. Contrà hoc effugium,animadvertendum,gra-

tiam electionis , per vocationem efficacem, quâ arbitrium à ſervitute peccati,& neceſſitate peccandi liberatur, non eſſe talem ut rejiciatur, quod ſi ergo gratia quâ ſanatur & ſalvatur arbitrium,Pharaoni & Ægyptiis contigiſſet, deſiiſſent eſſe mali : quamobrem ſi per gratiam fuiſſent, à peccandi neceſſitate liberi in eam peccandi neceſſitatem non incidiſſent, ad quam Socinus , in omnibus ſuis reſponſionibus hic recurrit. Iſtam verò noſtrã reſponſionem ſupponimus in antecedentibus demonſtratam ſupra cap. 11. quæro quæ ſigna in Pharaone , aut in totâ hiſtoriâ ſacra, aut in doctrinâ Pauli de Pharaone , ubi hæc controverſia de ſalute & exitio ex profeſſo diſputatur, Deum Pharaonem voluiſſe eligere,non elegiſſe quia eligi noluit, Spiritum novum indidiſſe illi , leges ſuas ejus cordi inſcripſiſſe; fuiſſe vas miſericordiæ, miſericordiam conſecutum ut loquitur Petrus , 1. Pet. 2. com. 10. quæ neceſſe eſſet eſſe vera, ſi veritatem noſter ſcripſit, Pharaonemque alioſque quos hic recenſet,iſtam de quâ hic controvertitur arbitrii libertatem habuiſſe. 3. Nulla proferri poſſunt Scripturæ teſtimonia quibus probetur,hanc libertatem indifferentiæ poſt lapſum omnibus & ſingulis communem ; quin ſimul evincetur ex iiſdem , poſt unũ aut plura actualia peccata manere eandem libertatem,quia ubi de gratiâ agitur , quæ datur aut offertur peccatoribus, nunquam oſtendi poterit , communem eam omnibus, quà peccato originali & non actuali infectis : cum autem nemo dicat omnibus ex-

poſitam

poſitam eſſe gratiam & libertatem poſt actualia peccata, defendi etiam non poteſt libertas indifferentiæ poſt lapſum.

Paragraphus 2. Quia ad hoc ſecundum exemplum, reſponſionis ratio cum antecedente eadem formatur, per datas jam ſolutiones eidem occurritur. Præterea ſecunda Socini ad exemplum de Sichone rege ejuſque regno reſponſio, efficaciter evincit Amorrheorum nepotes, qui quarto ſeculo victuri, quo fieret gentium expulſio Abrahamo prędicta Gen. 15. com. 16, ſemper ſub neceſſitate peccandi fuiſſe, & hoc liberum arbitrium, quo ſervari poſſent, nunquam habuiſſe. Etenim cum ante annos amplius 400, Deus decreverit ut propter iniquitates ſuas ſuis ſedibus expellerentur, incubit nepotibus peccandi neceſſitas, ubi pœna neceſſaria, ibi peccata neceſſaria; at pœna nepotum neceſſaria, ergo & peccatum, cum non potuerint pœnam non incurrere, non potuerunt non incurrere peccati neceſſitatem. Si potuerunt Deo obedire & ſervari, potuerunt non puniri: poſſe verò non puniri, & puniri neceſſario contradicentia ſunt. Quod ſi quis objiciat decretum illud de delendis Amorrhæis reſcindi potuiſſe, & conditionatum fuiſſe, ſi nepotes majorum veſtigiis inſiſtant delebo, nepotes enim fuerunt, etenim vita humana iſtis temporibus, ad quartum ſeculum non porrigebatur, id ſi quis urgeat jam, ille in iſtos inexplicabiles caſſes ſe induet, promiſſionem de poſſidenda terrâ Canaan Abrahamo & ſemini ejus factam revocabilem fuiſſe & infirmam:

ex quo conſequeretur irritam potuiſſe fieri promiſſionem; fidem & ſpem Patrum inani expectatione deludi potuiſſe, quæ quàm ſint abſurda & à vero abhorrentia, me tacente res ipſa loquitur, neq; iſta aſſeverantem vel totus Areopagus abſolvere poſſet. Vana nec irrita poteſt fieri promiſſio Gal. 3. com. 17. Fides eſt ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων Heb. 11. com. 1. & 8. Per fidem vocatus Abrahamus, auſcultavit Deo, ut abiret in locum, quem accepturus erat in hæreditatem, & exivit neſciens quò eſſet venturus.

Fidès eſt hypoſtaſis rerum ſperandarum, & argumentum locum quæ non videntur.

Tertio paragrapho adducitur id quod de filiis Heli ſacerdotis, 1. Sam. cap. 2. com. 25. ſcriptum eſt, *eos nimirum patri ſuo non auſcultaſſe quia Dominus eos voluit interficere*; vocem Hebræam *Chi* interpretes reddunt per quia; ita verſio interlineata, vulgata Vatabli, aliæ habent: voculam hanc rectè notat rationalem, non illativam eſſe: gloſſarij ſcriptores non reddunt hanc vocem per idcirco, quare rejectâ opinione eorum, qui per idcirco hanc voculam interpretantur, reſpondet ut prius. Sed quomodo per iſtas reſponſiones difficultas non exhauriatur, antedictis me commonſtraſſe arbitror. Etſi verò filij Eli aliique nefarij & ſcelerati homines, à multis impiè patrandis, honeſtate civili ſe continere potuerunt, nullo modo tamen ex eo efficitur, habuiſſe id de quo quæritur liberum arbitrium, nempe ad veram fidem reſipiſcentiam & æternam vitam.

Quarto paragrapho adfert hiſtoriam efficacis Dei providentiæ, quæ Abſaloni patris ſui uxores

uxores inceſto polluendas permiſit: quia verò nihil adfertur, præſentem quæſtionem ſpectans, quod jam non excuſſum, in dictis acquieſco: pleraq; rectè intellecta admitti poſſunt, niſi quod nonnunquam aſper & ſpinoſus nimium. Ita fieri ſolet qui ſuper rigidioribus loquendi modis cum Reformatis doctoribus acriter expoſtulant, impune ſibi licere volunt quæ in aliis reprehendunt.

Quinto loco adfert exemplū Semei, qui Davidi Abſalomum fugienti maledicebat Deo id præcipiente. In hoc exemplo ait *ita apertum non eſſe, Semei ipſo Deo auctore Davidi maledixiſſe.* Quid ſit illi Deo auctore aliquid fieri cap. 7. & 11. viſum eſt: peccata quà neceſſaria ratione providentiæ divinæ, illi dicuntur Deo auctore fieri. Nos dicimus peccata conſideranda dupliciter, vel quà peccata; vel quà continent judicia miſericordiæ, juſtitiæ, probationis, caſtigationis, punitionis: non ſub priori ratione, ſed ſub poſteriore Deo tribuuntur, quomodo verò humana neq; exemplum neq; legem à divinis iſtis accipere poſſint cap. 11. docuiſſe me puto. Sed ad rem. Dictū illud Iehovę ut eſt in fonte, unde & Helleniſtæ ὅτι κύριος εἶπεν αὐτῷ, ita exponit ut confirmet eam quam ſibi impugnandam ſumit ſententiam: etenim ſi Deus id dixiſſe vel quod re idem eſt præcepiſſe dicitur, quia non ſolum hoc non eſt factum Deo nolente, verum etiam quia maledictio illa pars divinæ caſtigationis ob adulterium & homicidium à Davide perpetratum, evidens eſt præceptum illud decretum eſſe, quo conſtitutum eſt ut ma-

quia Dominus dixit illi

ledictione illâ caſtigaretur David: ſane qui caſtigat aliqem ejus caſtigationis auctor eſt: caſtigatio à caſtigante decernitur. Voluntatem Dei quâ maledictionis actum impedire noluit, cur abdito Dei conſilio oppoſuerit, nullus video, cum decretum providentiæ divinæ, quo aut facere aut permittere decrevit, in univerſum occultum Dei conſilium ſit; caſtigatio per linguam maledicã arcano Dei conſilio fiebat.

Hoc miſſo aliud excogitat: fieri potuiſſe, præceptum divinum ipſum actum externum maledictionis tantummodo decreviſſe, deliberationem autem & conſenſum voluntatis potuiſſe ſuę ſpontis eſſe. Hic primò malè ſpontaneum Dei decreto opponitur. Omne quoq; peccatum ſpontaneum, voluntas non cogitur; quod coactum eſt, non eſt voluntarium: iſta involvunt repugnantiam. Sed attendamus ad id, quod hîc præcipuè conſiderandum venit. Ponit hæc reſponſio in caſu poſſibili diſcrimẽ, quoad Dei providentiam inter maledictionem immanentem & emanantem, ſive animo conceptam & ore prolatam. 1. Hæc reſponſio à caſu poſſibili petita, nullo argumento veriſimili, quod hiſtoria loci ſubminiſtret, fulciri poteſt. Imaginetur cui adlubeſcit, conceptam animo maledictionem Dei decernentis conſilio fuiſſe ordinatam, & prętER externum etiam actum à voluntate imperatum, deliberatum voluntatis propoſitum, ſe eodem poſſibilitatis ſcuto, rationibus deſtitutus teget. 2. Nullum poteſt proferri exemplum ejuſmodi providentiæ, quæ primas & præcipuas peccati partes,

ita

ita arbitrio permiſerit, externo tantùm opere, decretis providentiæ reſervato. 3. Deus malis, qualis erat Semei permittit peccata, per ſubſtractionem aut denegationem gratiæ ſuæ, per excæcationem & obdurationem cordis; quæ ergo gubernatio Dei, ad actus externos extenditur, circa internos occupatur;ab internis incipit in externis deſinit: & quæ eſt ratio externorũ in relatione ad Dei providentiã, ea & internorũ. Veniunt illi actus ab eâ cæcitate cordis quæ occulti judicij Dei,ſed tamen juſti: *pœna peccati monſtratur ut Auguſtinus de infidelitate & fide mendacij ait* lib. 5. contra Julian. c. 3. Figuratam porro & impropriam pręcepti vocem hîc eſſe non negamus, à mandatis enim, quibus obedientia & norma vivendi præſcribitur, transfertur hîc ad ſignificandum decretum voluntatis beneplaciti, qui modus figuratæ locutionis, non eſt infrequens in ſacris Matth. 8. com. 26. *Dicitur Dominus objurgâſſe ventos & mare* Pſal. 106. 9. *Ipſo increpante mare algoſum exſiccatum eſt*, Hag. 1. v. 11. *Ne advocante ſiccitatem ſuper hanc terram & ſuper hos montes, & ſuper frumentum, & ſuper muſtum & ſuper oleum, & ſuper id quod prolatura eſſet hac terra*, quæ ad creaturas ratione & intellectu præditas propriè ſpectant, ad res inanimatas etiam transferuntur, ad vim providentiæ divinæ quæ ad omnia & in omnibus ſe exerit declarandam. Sic Pſalm 78. 23. *& mandavit ætheribus deſuper, & januas cælorum aperuit.* 4. Maledicendi cogitationes, & proæticam maledicentis intentionem, Dei præcepto David

non ſubduxit, cum diceret com. 10, *quid mihi & vobis filij Seruiah, ſi maledicat? nam Jehova dixit maledic David : Et quis dicet ei cur feciſti ſic?* Vides maledictionem ut voluntate ſuſceptam, non tantùm ut opere conſummatam, Dei præcepto ſubjici. Cum enim cum eo expoſtulari vetat ſuper cauſis maledictionis, ad conſilium mentis hoc referendum. Cauſę propter quis agens agit, agunt in intellectum & voluntatem, non in potentiam exequentem, eas in juſto & inculpabili Dei præcepto quærendas religiosè agnoſcit & profitetur David, ideoque acquieſcendum eſſe, quia Deus dedit in cor ejus ut malediceret. vide etiam Apocal. 17. 17. 2. Theſſ. 2. com. 11.

Tandem his reſponſionibus relictis, venit ad generalem & communem: ut rem ad compendium deducam, nihil denuo adferam.

Sexto loco proponitur exemplum Davidis, qui merâ curioſitate motus, obfirmato animi conſilio, nequicquam principibus viris obluctantibus, populum numerari voluit. Sentit hoc loco Hebraiſmum eſſe in voce incitavit. Vero propius eſt Hebraiſmum eſſe poſſe, tum quia 1. Chronic. 21. v. 1. Satanæ hæc incitatio aſcribitur, tum quia verba tertiæ perſonæ, non rarò indefinitè & imperſonaliter uſurpantur, nullo nominativo expreſſo Gen. 16. v. 14. *Idcirco vocavit puteum iſtum ſcilicet quiſque hoc eſt*, vocabatur puteus iſte. Amos 4. v. 2, *& tollet vos aculeis*, hoc eſt tollemini; Hebræi ſubaudiunt *ha ojeb* in imicus vel *batſar* hoſtis. Tale quoque illud in Euangelio

Lucæ 12. com. 20. τὴν ψύχην σου ἀπαιτοῦσιν ἀπὸ σοῦ, animam tuam abs te repetent, ita Joh. 15. 6. συνάγουσι καὶ βάλλουσι ex uſu Helleniſtico pro imperſonali, συνάγεται καὶ βάλλεται. Verſio Tremellio. Juniana Hebraiſmum hunc obſervat loco ita reddito. *Perrexit autem ira Jehova accendi in Iſraelitas, quum incitâſſet adverſarius Davidem*, Satanam intelligunt adducto loco 1. Chron. 21. Annotant in Scholiis; nomina conjugata verbis ſuis, ut contra verba nominibus incluſa latent, ex linguæ proprietate. Verum etiam eſt *ve*, copulam, cauſalem ſive rationalem etiam pro naturâ orationis eſſe. Quamquam verò non deſint non contemnendæ rationes, pro hac verſione, nimiâ tamen ſermonis intemperantiâ, perverſitatis damnat Socinus, alteram hujus loci expoſitionem. Nam ſi quis id referat ad efficaciam providentiæ Dei in malo; ille ſe meritò tuebitur, ſimilibus in hoc argumento loquendi modis, apud ſacros ſcriptores in trivio poſitis: non hoc intolerabile magis, quàm in ſenſum reprobum tradere Rom. 1. 28. cæcitate & ſtupore cordis percutere Deut. 28. 28. Facere ut erret Ægyptus in omni opere ſuo, ſicut oberrat ebrius in vomitu ſuo. Aut dare in corda regum ut exequantur quod ſibi viſum eſt, ut conſentiant dentq; regnum ſuum beſtiæ, donec compleantur verba Dei. Nihil ergo prohibet de Deo accipere, & locum transferre prout jacet; quare utriuſque loci ſenſus retineri poterit: ita Vatablus conjunxit & retinuit. Hic dicitur, inquit in annotationibus Bibliorum, *Deus concitâſſe*

Logunt & abjiciunt pro cogitur & abjicitur

concitâſſe cor Davidis ut numeraret populum: at 1. Paralipom. 21. v. 1. *dicitur Satan incitâſſe ipſum Davidem*: Unde intelligimus, Satanam iræ Dei flabellum eſſe ut corda hominum, quocunque voluerit Deus, impellat. Deinde hoc exemplum, quocunq; modo reddatur locus, parvi ponderis in causâ principali, quæ hîc diſceptatur. Itaque manum de tabulâ tollo.

Idem etiam judicandum de eo, quod ſequitur ex Hoſ. cap. 8. Hic locus non malè à Prælectore expoſitus videtur, nimirum hoc Iſraelitarum peccatum eſſe, quod Deo inconſulto Regem vel Principem conſtituerunt. Poſterius illud de confœderationibus cum regibus exteris, & auxiliis petitis ab Ægyptiorum aut Aſſyrio rege, admittendum non videtur, ut hæc iſtis aptemus verba Prophetæ non ſinunt, quæ aliter tinniunt. Aliud eſt fœdera inire cum regibus exoticis, & eorum auxilia implorare; aliud regiam dignitatem aut principatum alicui conferre.

Octavo loco Judæ Iſcariotæ exemplum ſibi objicit. Ad id verò eludendum ab eo reſpondetur *fuiſſe quidem multo ante quam Judas naſceretur decretum, ut unus ex Chriſti domeſticis & commenſalibus eum proderet, ſed non tamen ut Judas Iſcariota is eſſet. Verum tum demum ipſe Judas divino conſilio ad id electus fuit, cum à Chriſto in numerum duodecim diſcipulorum eſt cooptatus, id eſt cum fur & avarus eſſet, ac propterea dignus & inprimis aptus qui id decretum exequeretur.* Sumamus quod conceditur, multò antequam

Judas

Judas naſceretur, decretum fuiſſe ut unus ex Chriſti domeſticis & commenſalibus eum proderet; datur ergo quædam peccati neceſſitas, cujus cauſa non eſt prævila culpa hominis. Culpa ex hypotheſi principiorum Socini prævideri non poterat, quia nemo commenſalium natus, cum hoc decretum faceret Deus, non minus quam Judas Iſcariota: nec dicitur etiam ab adverſario hoc decretum in iſtiuſmodi prȩviſione fundari, quod quidam ex commenſalibus aptus & dignus foret. Inſero ulterius, aut ergo actus ille proditionis non fuit in libertate arbitrii collegii commenſalium, aut ſi eo non obſtante fuit, tum ſtant iſta ſimul, eundem actum neceſſarium & contingentem eſſe; contigentem reſpectu hominis, neceſſarium in relatione ad Deum, neceſſitate conſequentiæ. Proinde cum hæc ita ſint, poteſt etiam peccatum cujuſlibet hominis ſic eſſe neceſſarium, & in relatione ad decretum eſſe neceſſarium quod in pænam tamen antecedentis peccati non eſt neceſſarium. 11. Hæc opinio inducit Deum fluctuantem animoque ſuſpenſum, neſcit enim cum hæſitantibus Apoſtolis Marc. 14. 19. quis domeſticorum proditurus. Ratione etiam modi exequutionis neceſſe eſt Deum ἐν τριόδῳ εἶναι λογισμῶν, quia incertus erit, an inventurus aliquem, ad id facinus exequendum, paratum. Rurſus ſi inventurus unumne an plures; & ſi plures, quemnam ex illis ſuo conſilio ſit electurus. Neſas æternam illam & ſapientiſſimam mentem aliter cogitare, quam ut decretum operis ſit non ſine conſtitu-

In trivio cogitationum.

tâ

tâ executione, ejuſque ratione & modo. 111. Dico contra præſcriptum ſapientiæ eſſe, judicem pænis addicere nullius criminis reos; commenſales illi nondum nati, judici Deo nullius criminis rei (ut neceſſum eſt fateri præſcientiam Dei negantibus) atroci tamen pænæ addicuntur. Similiter etiam pænam decernere reo quem neſcias, dementię eſt, ut nihil gravius dicam. 4. Scriptura non docet duo decreta, de proditione eſſe facta, quorum prius generale & confuſum, poſterius ſingulare & determinatum prius multo antequam naſceretur Judas; hoc tum demum cum in Apoſtolorum contubernium eſt cooptatus: de his omnibus, in ſacris ne γρυ quidem. Nullæ leges, nulla reſponſa prudentum proferuntur. In oppoſitam ſententiam eundum eſſe Petri authoritate evincitur Act. 1. com. 16. *Viri fratres oportuit impleri Scripturam hanc, quam prædixit Sp. S. per os Davidis de Juda qui fuit viæ dux his qui comprehenderunt Jeſum:* adverſus hujus teſtimonii majeſtatem ergo licere ſibi putavit Prælector dicere non fuiſſe decretum, ut Judas Iſcariota proditor eſſet, antequam naſceretur: ego hujus loci authoritati cedere malo, quam diſtinctionibus ventoſæ rationis, tam apertis Scripturis obſtrepere. Iſtis ita proffligatis plura adferre ſuperſedeo, quomodo enim hoc exemplum faciat, ad probationem quæſtionis principalis ex antedictis per eorundem accommodationem liquere poteſt. Idem de ſequentibus judicium.

Nono opponit ſibi exemplum populi Judaici,

daici,qui ingente clade judicio divino affecti, quod Jeſum Chriſtum interemerunt, quod tamen multo ante àDeo conſtitutum. Ad reſponſiones ejus ad hoc exemplum animadvertendum, ſequi, Judæorum nepotibus, qui ſeculo Chriſti vixerunt, ex Dei decreto neceſſitatem peccandi imcubuiſſe, & non potuiſſe non improbis, contumacium majorum veſtigiis inſiſtere: & hoc quidem Dei conſilium ortum ex prævisâ culpâ aut malitiâ in ipſis habere non potuit ex hypotheſi adverſarii,cum hoc decretum, quod illi nepotes ex improbitate & malitiâ interfecturi Chriſtum, multò ante ſactum quam naſcerentur 2. SiDeo multò ante conſtitutum fuit,populum Judaicum tradere in perverſam illam mentem utFilium Dei interimerent,quomodo ergo ſtatuit,omnes ad fidem & obedientiam fidei eligere, quantum eſt ex ſe prædicatione Euangelii. Ab initio prædicationis velle tradere in perverſam mentem, & velle dare liberum arbitrium, ut Chriſto fide obediatur, ſimul ad exitũ deduci non poſſunt: non eſt potentia ſimultatis ad iſta duo ut quidam dicunt. Dices prius potuit, dare velle liberum, ut crederent, arbitrium,& deinde ſpiritum ſoporis. Sed quæro,quomodo ſine prævisâ arbitrii culpâ, decernit Deus auferre gratiam gratiâ abutentibus: abuſum in non natis præſcientiâ deſtitutus, prævidere non potuit. Cauſa ergo Judæorum contumaciæ in majorum delictis ponitur à Socino. Delicta majorum immeriti luunt nepotes. Hæc qui admittunt cur cauſam amiſſi arbitrii, & ſervitutis peccati,

peccati, in primorum parentum inobedientiâ Scripturâ prælucente invenire non poſſunt. 3. Id adjici patitur noſter ex paragrap. 8. decimi cap. 1. multò ante etiam Judaici populi exortum, Chriſtum in victimam deſtinatum fuiſſe. 4. Si præſcientia lædit libertatem, tum profecto poſito quod Deus, tantùm prævideerit Chriſtum à Judæis mactandum, nihil eſſe, cur hoc exemplum in medium afferretur dici non debuit.

Decimò locus Judæ objicitur; ubi legitur πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, docet non temere ſed Dei providentiâ ordinante factum eſſe, ut non nulli perditi in Eccleſiam irrepſerint, ut ſcandalo occurrat, reſpondet hos falſos Prophetas ſive doctores, ad damnationem deſcriptos eſſe, cum jam improbi & ſceleſti eſſent, proinde digni qui tam infami muneri deſtinentur. Concedit hoc κρίμα importare aut ipſum exitium, aut ſaltem talem ſtatum, cui qui ſubeſt exitio devotus ſit. Hos irreptitios, falſos Prophetas & fanatici ſpiritus Doctores fuiſſe permitti poteſt. Cauſæ id nec intereſt, nec ex re ejus eſt. Deſcriptionem hanc tempore poſteriorẽ ipſorum improbitate & ſceleribus, id eſt quod nos negamus. Vocis πάλαι primaria ſignificatio eſt, olim quondam; quamquam etiam ſignificet pridem jam pridẽ jam dudum: quæ de longiore aliquo temporis intervallo etiam accipi poſſunt, non nunquam tamen etiam de breviore temporis ſpatio: quomodo Marc. 15. 44. legitur. *Pilatus autem miratus eſt, ſi jam mortuus eſſet, & advocato centurione*

Olim deſcripti ad hoc judiciũ

turione interrogavit eum, an jam dudum mortuus fuiſſet. Jam verò deſcriptionem hanc multò ante eſſe factam, quàm impii & ſcelerati eſſent, patet, quia prædictiones de adventu falſorum Doctorum & Prophetarum, quæ iſtius deſcriptionis revelationes ſunt, nõ ſunt ſolummodo prædictiones de jã improbis & ſceleſtis; verum etiam de nondum natis ac exiſtentibus extra nihilum, proinde actu non improbis. Etenim conſiderandum eſt, prædictiones iſtas continere revelationes divinæ ordinationis jã factæ, quæ non tantùm Apoſtolorum temporibus, ſed ſeculorum decurſu impleretur. Hoc quod dico ex æquipollentibus, & ejuſdem argumenti locis etiam eſt manifeſtũ. 2 Theſſ. 2. Antichriſti adventus prædicitur, qui ad plura ſecula extendebatur, fuit ergo & ille ad hoc κρίμα deſcriptus; omitto alia loca, quæ in hanc rem veniunt 2. Tim. 3. 2. Tim. 4. Integra videatur Apocalypſis. 2. Hos nunquam ex parte Dei electos fuiſſe, ſed à jacto mundi fundamento fuiſſe reprobatos, patet quia non fuerunt in libro vitæ ſcripti à jacto mundi fundamento. Qui iſti libro ab æterno ſunt inſcripti, ſervant ſe incontaminatos, & qui ſe ſervant incontaminatos ſunt inſcripti ab æterno: qui ſunt impiæ & proſtitutæ vitæ, non ſunt inſcripti hoc libro: ratio ergo oppoſitionis dictat, illos omnes ſic non inſcriptos, ſignatos eſſe in libro qui non eſt vitæ: ac proinde eos olim hoc eſt à jacto mundi fundamento εἰς τοῦτο τὸ κρίμα eſſe προγεγραμμένους. Hi ſubreptitii, de quibus Judas erant ex numero deſcriptorum qui ex-

tremis temporibus, uſque ad conſummationem ſeculi, in ſanctorum grege nunquam erant defuturi ut v. 17. 18. *Vos autem dilecti memores eſtote, verborum quæ prædicta fuerunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod dixerunt vobis in extremo tempore futuros irriſores qui in ſuis cupiditatibus incederent.* Hæc prædictio ergo quæ per ſeculorum ſucceſſiones completur, revelatio vetuſtiſſimæ deſcriptionis eſt. Dicit deſcriptionem hanc eo tempore, quod inter deſcriptionem & executionem ejus intercurrit, revocabilem eſſe; contra quod procedit, quod Paulus vaſa iræ à vaſis miſericordiæ diſtinguit Rom. 9. ubi præcipua ejus argumenti ſedes eſt, ita ut vaſa iræ & vaſa miſericordiæ non permutentur. 2. Si reprobi poſſent fieri electi ad pœnitentiam venientes, non æterna eſſet electio & inſcriptio libro vitæ ita inſcriptorum, at electio & inſcriptio æterna eſt ut jam oſtendi. 3. Non video quomodo affirmari poſſit ſceleſtorum & improborum quà talium reprobationem revocabilem eſſe: Nam aut revocabilis iſta reprobatio affirmatur, ex vi decreti divini generalis Euangelio revelati, quo ſtatuit omnes ſceleſtos & improbos eligere reprobationemque factam reſcindere ſub conditione pœnitentię præſtabilis, per gratiam paratam & expoſitam ipſis, quà talibus: aut hoc affirmatur ex vi ſpecialis privilegii. Si prius dicatur tum ſceleſti & improbi quà tales, excæcari & indurari non poſſunt, non excæcantur, non indurantur, nam poſſe reſipiſcere & induratum eſſe non componuntur,

ponuntur, tum improborum etiam fides eſſet contra quam docuit noſter cap. 12. Prælect. ſect. 10. multa alia reſponſa ejus convelluntur, mihi digitum ad iſta intendiſſe ſat erit. Sequetur ex poſito Deum reprobationem illam quà talem, non poſſe exequi, aut irrevocabilem & peremptoriam facere, niſi contumaces eſſe pergant patientià Dei fruſtra eos ad pœnitentiam exſpectante. Conſequenter non poteſt Deus, inviolatâ manente hac miſericordiæ lege, talibus quà talibus exitium inferre: nam ita Deus per actum juſtitiæ ſuæ latam à ſe miſericordiæ legem reſcinderet, citra culpam ejus in cujus bonum hæc lex eſt lata. Hos limites miſericordiæ, novum decretum juſtitiæ fixiſſe, Socinus non ſenſiſſe videtur, cum ſcripſit alteram Dei juſtitiam eſſe, quà peccatores nonnunquam neque contumaces, neque omnino deſperatos, eorum pœnitentià non expectatâ ex ſuà lege punit. Sin hoc affirmetur ex vi privilegii ſpecialis tum hoc aut omnium falſorum Prophetarum aut quorundam: utrum libet affirmetur, quæ fidẽ faciant, ex codice ſacro non proferentur. Præterea ſi hoc privilegium quorundam eſt, unde manifeſtum fit hos ſubreptitios, de quibus Judas, hoc privilegio comprehenſos; ſed cum Socinus nudam aſſertionem attulerit ſine demonſtrationibus, iſta ſic debilitâſſe ſufficiet. *Adfert quidem illud, qui neminem perire vult*, in animo habens id quod Petrus ſcripſit 2. Epiſt. cap. 3. com. 9. At nemo non videre poteſt, in quas inexplicabiles difficultates ille ſe con-

jiciat, qui ſententiam reprobationis revocabilis ex iſto loco exprimere tentat. Quod ſi hæc verba Petri facerent pro reprobatione impiorum revocabili, quàm diu munus Pſeudopropheticum actu non ſuſcipiunt, ex eorundem verborum vi eandem revocabilem eſſe, inferendum eſſet, cum jam Pſeudoprophetæ actu ſunt. Nullum ſolidum argumentum adferri poterit, cur ſi hæc de quibuſvis impiis accipienda volumus, ad Pſeudoprophetas extendenda non ſint, imò eo poſito ad illos etiam extendenda ſunt; Locus Apoſtoli Petri & Judæ ejuſdem argumenti ſunt; idem uterque ſubjectum habet. Petrus loquitur *de irriſoribus, qui in ſuis ipſorum cupiditatibus incederent* προγεγραμμένοι ſunt ex numero illorum irriſorum: Sic enim Apoſtolus Judas com̄. 17. 18. *Vos autem dilecti memores eſtote verborum, quæ prædicta fuerunt ab Apoſtolis D. noſtri Jeſu Chriſti, quod dixerunt vobis in extremo tempore futuros irriſores, qui in impiis ſuis cupiditatibus incederent.* Quod ſi verò locus nihil concludit pro reprobatione revocabili Pſeudoprophetarum, cum jā actu tales ſunt, nihil etiam profecto pro eorundem reprobatione revocabili, quando ſolùm in terminis improbitatis ſubſiſtunt.

Sentiamus ergo Deum in iis quæ ſemel voluit nihil flectentem, nihil fluctuantem: non enim ut Homerico illo utar, divum mens vertitur æternorum. Tandem concludit & perorat; quomodo verò aut quatenus concluſio ex præmiſſis ſequatur, aut non ſequatur, candidus lector ex iis quæ utrinque allata ſunt, judicium

dicium faciat. Diſtinctionem illam culpæ & facti ſilentio involvam; ne actum agam, conſuli poteſt cap. 10. paragrapho. 3. Interea his ſane intellectis non obluctamur. Poſt hæc duo exempla eorũ qui ſalvati ſunt in mediũ adfert.

Prius eſt de Apoſtolo Paulo, *qui ſe ab utero matris, à Deo ſegregatum eſſe dicit, & per ipſius gratiam vocatum.* Primum ejus contra hoc exemplum χρησφύγετον eſt Gal. 1. com. 15. non agi de ſegregatione & vocatione ad ſalutem, ſed ad Euangelii prædicationem, Chriſtique cognitionem. Verum hæc malè in perſonâ Apoſtoli Pauli ſeparantur, cujus vocatio per gra. tiam ad Apoſtolatum, ſimul vocatio fuit ad veram fidem, viciſſim vocatio ad veram fidem, vocatio ad Apoſtolatum. Docet Apoſtolus his verbis, quomodo ex Phariſaiſmo ad Chriſtianiſmum ſit converſus, etſi enim Apoſtolicæ functionis expreſſe tantummodo hic meminit, ſatis tamen, paſſim de hac Dei in ſe gratiâ loquens, indicat ſe hac vocatione ſalvificâ, fide & cognitione Dei & Filii ejus fuiſſe imbutum: videatur Philip. 3. com. 7. 8. 9. 1. Tim. 1. com. 16. *Verum ideo miſertus eſt mei, ut in me primò oſtenderet Jeſus Chriſtus omnem lenitatem ut eſſem exemplar credituris ipſi ad vitam æternam.* Ejuſdem argumenti cum his locis locus ad Galatas eſt, ſpeculum nimirum illuſtris miſericordiæ, quâ ad gratiam fidei & Apoſtolatus Paulus converſus.

Secundum eſt, dato de æternâ ipſius Pauli ſalute agi, nullam tamen neceſſitatem intelligendam, cum ipſe Paulus alibi dicat *ſe affligere*

 corpus

corpus ſuum, ne quando, cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus fiat. 1. cor. 9. 27. Qui facit illud ne rejiciatur aut damnetur ejus non eſt firma & immutabilis electio. Hæc raciocinatio non valet. Chriſtus inquit. *Pater me non reliquit ſolum, quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.* Joh. 8. com. 29. Non malè ex eo inferri poteſt, feciſſe Filium ne relinqueretur, neque tamen relinqui potuit, idem eodem cap. com. 55. *Si dixero ipſum mihi non eſſe notum, ero ſimilis veſtri id eſt mendax. Sed ego inquit eum novi & ſermonem ejus ſervo.* Teſtimonium ergo præbendo veritati, ſervabat quoque ſermonem Patris, ne crimen hominis mendacis incurreret, *& pro propoſito ſibi gaudio*, ut ſcriptum eſt, Heb. 12. com. 2. *crucem pertulit*, firma tamen & immutabilis ejus ad hoc gaudium deſtinatio. In idem verò recidit, ſive quis aliquid faciat, ut æternam conſequatur gloriam: ſive ut æternum evitet exitium. Qui plura in hanc rem cupit, adeat Refutat. cap. 6. Prælect. Addo, ex eo, non poſſe concludi incertitudinem electionis Pauli ad ſalutem, quin ſimul ex eo colligetur incertitudo punitionis eorum, quos tamen Prælector ſentit irrevocabiliter deſtinatos pænis. Improbi in neceſſitatẽ peccandi juſto Dei judicio conjiciuntur Socin. docente ſub init. hujus cap. ut afficiantur pænis ſibi deſtinatis, quemadmodum improbi peccant ut puniantur, etiamſi pæna eorũm non incerta, ſed certa ex Dei decreto, antequam ſic peccent, hic non repugnat pios facere quod bonum eſt ut ſalventur, etiamſi Dei decreto

certa

certa ſalus , antequam illud bonum faciant: breviter improbi peccant ut puniantur, etiamſi puniantur neceſſariò. Pii obediunt ut ſalventur, etiamſi neceſſariò ſervantur. Improbos autem peccare ut afficiantur pænis, jam ex Dei decreto neceſſariò ſubeundis , docetur à Prælectore, hoc cap. in exemplo Pharaonis & Ægyptio cum in exemplo filiorum Heli cap. 10. prælect. ſect. 3. Si peccata poſſunt eſſe Deo medium pęnæ certò deſtinatę, bona opera piis poſſunt eſſe medium acquirendæ ſalutis certò deſtinatæ. Verum prius per Hipotheſes Soc. ergo & poſterius.

Tertiò excipit phraſin illam *ab utero proverbialem & hyperbolicam eſſe, & ad ſummam Dei providentiam explicandam, hominiſque merita excludenda uſurpari:* talis hyperboles varia citat loca. Primò Pſalm. 22. 10. Non imus inficias hyperboles uſum in ſacris, locus tamen Pſalm 22. propriè, ſine tali ſermonis exceſſu, non incommodè ſumi poteſt. Infans ſuper ubera matris ſuæ ſperavit , & lactens etiam à Deo pependit ante rationis uſum : quemadmodum Pſalm 104. com. 27. de omnibus animantibus terreſtribus, aëriis, aquatilibus dicitur, *univerſa in te ſperant, ut des eſcam ipſorũ in tempore ſuo.* De Pſalm 58. 4. dictum in cap. de peccato originali. Pſalm 7. v. 6. 22. dictum, ejuſdem enim argumenti eſt; profitetur beneficam Dei providentiam, inde a conceptu atque ortu adfuiſſe, & indigentiæ ſuæ ſenſu motum liberaliter neceſſitatibus ipſius ſuccurriſſe. De loco Eſa. 48. dictum ſimiliter cap. 4. Eſa. 49. legitur.

gitur. *Jehova ab utero vocavit me, de ventre matris meæ memoravit nomen meum*, locus de Chriſto vaticinatur, conſentientibus in id Judæorum expoſitoribus qui à Deo ordinatus & conſtitutus, ut munus mediatorium ſuſciperet, nihil hic hyperbolicum, aliqua ergo tantummodo hyperbole agnoſcenda eſt in uno illo loco Pſal. 58. quæ, quanta ſit facile ex re de quâ agitur, dijudicatur, ſi quis tamen malit in pleriſque aliis locis hyperbolem intelligere, inconſequens tamen eſt à Paulo rem juſto altius attolli, cum ſe ab utero matris ſuæ ſegregatum dicit, non hic hyperbole, ſed mioſis potius eſt & intendenda ſignificatio ad exprimendam veritatem: nam ab æterno ad veram fidem, & ſalutem in Chriſto conſequendam, erat deſignatus, quod patet per doctrinam hactenus confirmatam. Jerem. 1. com. 5. dicitur, *antequam prodires ex utero, cognovi te*, non minus Paulus cognitus. Denique animadvertendum eſt, quod res ipſa per ſe loquitur, non tantum hoc modo loquendi ſignari ſummam Dei providentiam, ſed etiam ejus diuturnitatem; quare ſana ratio non permittit, dicere Paulum ab utero matris ſegregatum fuiſſe ſi per divinæ miſericordiæ providentiam non ſegregatus, antequam ad virilem ætatem perveniſſet.

Quarto excipit, Paulum dicere *ſe miſericordiam conſecutum, quia ignorans peccâßet: hinc ſatis conſtare, Deum in Paulo ſervando, eorum etiam quæ in Paulo erant, aliquam rationem habuiſſe, nec verè atque omnino ab utero matris eum ſaluti deſtinaſſe*. Verum reſpondetur, cum Paulus ait,

ſe

ſe miſericordiam conſecutum , quia ignorans fecit, mentem ejus non eſſe, blaſphemias, perſecutiones & atroces injurias , quas Eccleſia ab ignorante & cæco Paulo patiebatur, cauſam προηγουμένην fuiſſe & propriè moventem ad miſericordiam (omne enim peccatum ex naturâ & vi ſuá movet ad pænam) ſed tantum indicare voluit piaculi ſui conditionem , tolerabiliorem miſericordiæ , quia excuſatio ignorantiæ ſuppetebat. Et quid ad rem controverſam , Deum Pauli ignorantis miſertum eſſe? An omnes ignorantes liberum habent ad ſalutem arbitrium. An omnes qui ſunt ignorantes, poſſunt aut potuerunt , non ignorantes eſſe? An Paulus hanc Dei miſericordiam irritam, per arbitrium reddere potuit. Nihil horum ſequitur ex eo, quod Paulus ignorans miſericordiam conſecutus. Neque verò etiam controvertitur , an Deus inveniat peccatores , quos per gratiam ſuã vocare decrevit , nihil minus. Alterum quod ex hac confeſſione effici vult, eſt, Deum , *Paulum non verè atque omnino, ab utero matris ſaluti deſtinaſſe.* Inconſequens argumentatio , Deus Pauli ignorantis miſertus; igitur non ab utero matris miſertus : præſcius mali miſereri potuit. Deinde prædicat hic Paulus , non æternam Dei prædeſtinantis miſericordiam, ſed ejuſdem in tempore egreſſum per vocationem efficacem. Propterea inquit Chriſtus , *Pater me diligit, quia ego depono animam meam* Joan. 10. 17. amor tamen Patris etiam mortem Filii anteceſſit.

Poſtremum quod profert exemplum eſt de

Servatore ac Dmn.noſtro Jeſ. Chriſto, *quem ante mundum conditum, omnino æternæ ſaluti deſtinatum eſſe, extra controverſiam ponit: id verò de membris negat, eam debere eorum rationem eſſe quæ cap*. At verò mirabile& portentoſum videri poteſt, caput formari ſine ullo corpore; fundamentum à Deo poni abſoluto decreto, nullo ædificio ſuperſtructo, exſpectato incerto ædificii exſtructore. Natura ſi formet caput ſine corpore monſtrum prodit. Fundamentis jactis nihil qui ſuperſtruit, ludibrium debet ſpectantibus. Quæ ergo iſtorum divinorum conſiliorum ratio? cauſam diſcriminis aſſignans Socinus ait, *caput certum eſſe debuiſſe, quia alioquin ipſa via ſalutis noſtra, quam Deus elegiſſet, incerta fuiſſet, membra verò non modo incerta eſſe poſſe, ſed & debere. via illa ſalutis eſt, reſipiſcentibus & in poſterũ mundanis cupiditatibus valere juſſis, ſobriè, juſtè ac piè in præſente ſeculo viventibus, Deus omnia peccata condonabit, eoſq; poſt hanc mortalẽ vitam ad immortalem à mortuis excitando transferet* Socin. initio ſynopſis primę juſtificationis noſtræ per Chriſtum. Certitudo duplex eſt vel rei vel intellectus apprehendentis. Via illa ſalutis, prout Socinus eam concipit ex parte rei in ſe vera certa& divina eſſet, etiamſi Chriſtus ſic nec deſtinatus neq; ſalvatus eſſet. Etſi enim Chriſtus præcepta vitâ expreſſiſſet, neq; promiſſũ æternæ vitæ aſſecutus eſſet, nihilominus æternę &immotæ veritatis eſſet voluntas Dei per Chriſtum patefacta, obedientibus & piè viventibus vita dabitur æterna. Chriſti vita & gloria, non eſt Socinianis, ut ſic dicam, principium

pium eſſendi iſtius legis, ſed tantum principium cognoſcendi; volunt nimirum, Chriſtum doctrinam hanc vitâ expreſſiſſe, vitam ex mortuis & ſummam vitæ dandæ poteſtatem conſecutum, ut homo viam illam ut veriſſimam, certo & indubitato mentis aſſenſu apprehenderet *videſis Smalc. c.xxv. De cauſis exaltationis Chriſti. Socin. ſynopſin primam juſtificationis noſtræ per Chriſtũ.* Dico itaque ſecundò, neq; ad hanc mentis certitudinem, cectitudinem deſtinationis & gloriæ D. noſtri Jeſ. Chriſti requiſitam neceſſariò confirmatur. Hebræa lex fidem invenit apud Judæos, etſi Moſes legiſlator non ingreſſus in terram, quam obedientibus promiſit, Abel Enog Noag Abraham Moſes & reliqui patres, Deo per fidẽ obediverunt quamquam hæc argumenta certitudinis defuerunt. Deinde hæc via ſummam & indubitatam reſpectu Chriſti habuit certitudinem; quamquã eam nec exemplo præmonſtratam, neque in quoquam quoad promiſſiones impletã videret, neque etiam poteſtate donatum quempiam, ſibi ea quæ à Deo ſperabat largiendi. Aliis ergo rationibus & argumentis, iſtius viæ certitudo, inſequentibus aſtrui etiam potuit, & aſtructa potentiſſimè eſt. Plura ejus rei docendæ ergo afferri poſſent. Sed pergo. Membra debere incerta eſſe putat, quia alioquin puniri non poſſent, qui membra non ſunt. At Socin. non implicavit membra certò & infallibiliter ſervari, & interea eos, qui membra nunquam fiunt, membra tamen fieri potuiſſe. Hoc ſenſu nonnulli inter gratiam ſufficientem

&

& efficacem; vocationem congruam & incongruam deſtinguunt. Si verò id detur, eos qui membra non ſunt, neque unquam fiunt potuiſſe fieri, puniri eos poſſe, non negabis opinor. Ego verò id non reſpondeo, ſed dico peccatum incredulitatis pænâ dignum, quamquam ex peccandi neceſſitate procedit, in quam primus homo ſe & poſteros ſuos conjecit, utrumque enim peccatum & ex eo pænam neceſſaria eſſe poſſe culpâ peccantis Prælector non uno loco docet. Verum quia culpam originalem Socin. & ſectatores non agnoſcunt aliâ ratione urgemus. Si ii qui non ſunt nec fiunt membra, id poſſunt aut potuerunt, id intelligendum eſt vel per gratiam vel ſine gratiâ poſſe aut potuiſſe. Si prius affirmetur tum tales non ſunt peccatores, quod abſurdum, quia peccator non habet potentiam ad credendum, ſive ut membrum Chriſti fiat aliter quam per gratiam; ut enim peccatores morte digni, quod ſunt homines communiter, Smalc. utrumque atteſtante cap. xxv. de cauſis exaltationis Chriſti; ita quoque peccati ſervitute; à quâ ergo nullus peccatorum poteſt ſibi polliceri libertatem, neque eâ poſitâ, potentiam fidei niſi per gratiam. Sin poſterius, quò neceſſario deveniendum eſt, dicatur, tum credendum omnibus æternâ morte & peccandi neceſſitate dignis, priſtinam libertatem ex gratiâ reſtitui. Quod ſi verum eſt, cur toties reſpondet, homines peccando in neceſſitatem peccandi incidere? nam hæc duo pugnant ex diametro.

Subdit *nec verò ſi Chriſtus non poterat non obedire*

bedire Deo, ideo obedientiæ ſuæ præmio afficiendus non fuit: in ea obedientia non liberæ voluntatis, ſed laborum & perpeſſionum ratio habita fuit. Falſum ergo per prædeſtinationem, religionem univerſam ruere: falſum fruſtra eſſe omnem laborem omneque ſtudium, ubi neceſſariò omnia eveniunt. Senſus communis hæc docens liras Babbinicas & gerras Germanicas dictat. Ejuſdẽ farinæ eſt virtuti, vitio, præmiis, pænis nullum eſſe locum, ubi non niſi uno modo res fieri queat; ſua ſic reſpondens funditus convellit. Contra ſcripturas etiam aſſeritur, in obedientiâ Chriſti, non liberæ voluntatis, ſed laborum & perpeſſionum tantum rationem fuiſſe habitam. Signanter Script. Philip. 2. com. 8. 9. *factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, quapropter etiam Deus ipſum in ſummam extulit ſublimitatem*; voluntariam promtitudinem efficaciſſimo vocabulo obedientiæ expreſſit, quamquam non ita libera voluntas Chriſti, ut ſerva peccati fieri potuerit. Johan. Crell. in reſponſione ſuâ ad librum Grotii de ſatisfactione nobiſcum facit pag. 142. *Verum quia graviſſimis de cauſis, quas ex cap. 1. hujus diſputationis colligere licet, opus erat ut voluntas Chriſti libera, & non coacta accederet, non vi, ut Domino abſoluto alias liceret, ſed præceptum ei, hac de re dedit, & præmium diviniſſimum, ſi pareret propoſuit.* Porro quia parum Theologica illa collectio, quâ probabilior gregariorum militum ſalus, quam fidei ducis efficitur, ſupra Chriſtum fideles omnes exaltandos, ex hoc fundamento quiſpiam non malè collige-

colligeret. Nam ſi is qui neceſſariè obedivit, tanto præmio eſt affectus, quantò Chriſto glorioſiores erunt illi, quos liberum provexerit arbitrium.

Tandem perorat hoc pacto, *neminem eſſe, ex iis quibus Euangelium purè annuntiatur (niſi prius juſto Dei judicio ob peccata ſua induratus atque excæcatus fuerit) qui liberè & ſua ſponte ei aſſentiri non poſſit.* Ego vero ex hactenus prælectis concludo, eas oves, quibus Deus Euangelium non annuntiare dignatur, non habère liberum arbitrium ad ſalutem. 2. Omnes malos, qui non ſunt membra Chriſti, membra Chriſti eſſe potuiſſe, pro certo dici non poteſt, cum jam mali erant; nam Dei judicio indurati eſſe potuerunt. Sume bonos eſſe potuiſſe, antequam eſſent improbi, aquâ hærebis, quia probitate ſuâ, ad Euangelii patefactionem & potentiam credendi proficere non potuerunt. 3. Cum omnes ſint peccatores, quibus Euangelium annuntiatur ac proinde ex juſto Dei judicio divinâ deſertione digni, flocci facienda hæc concluſio. Qui tenent, fidem rem liberi arbitrii eſſe, duplicis generis ſunt. Quidam concedunt culpam originalem & impotentiam ad bonum ex eâ contractam. Illi, cum teneant gratiam potentiam reſtituentem communem omnibus, quà originali & non quâ actuali culpâ inquinatis, nullo Scripturæ loco ſententiam ſuam diſcretivam tueri poſſunt. Quidam ut Socinus & aſſeclæ nullam culpam præter actualis peccati profitentur. Quæ cum neceſſariò requiratur in iis quibus Euangelii norma

præſcri-

præſcribitur, poſt eam libertatem fidei, dari ad credendū aut relinqui, videre non poſſum, validiſſimâ ratione oſtenſum eſſe. Quod ſi ergo, homo liberum non habet arbitrium, ut poſſit manere innocens, neque ubi nocens factus, certum, liberam ei potentiam adeſſe, ad reſipiſcentiam & fidem, quia talis poteſt eſſe juſto Dei judicio excæcatus, ut limitat & reſtringit ſuum de hac generali libertate eloquium, adverſarius nullam fidem dabit, quâ conſtare poſſit, credendum id quod propugnat arbitrium. Et quid illa volunt, quod libertatem hanc pollicetur iis, quibus Euangelium purè annuntiatur, minuve ibi viget libertas, ubi impurior annuntiatio? Poſtremò quamquam Deus homini à ſe condito dedit liberum arbitrium in ſuam gloriam; non evincitur eo poſt lapſum à Deo in gloriam ſuam reſtauratum eſſe. Excluſa humana gloriatio per legem fidei, & redditæ ſalutis opus, non ſub incertis arbitrii motibus poſuit Dominus; ſed immutabili miſericordiæ ſuæ diſpoſitioni in æternam ſuam gloriam reſervavit. Atque ita finem impono cap. decimo quarto.

CAP. XV.

Iuſtificationis noſtræ per Chriſtum prolegomena quædam, eamque explicandi initium.

Quæ ſupra à nobis diſputata ſunt, eò pertinent, ut qualis homo & ante lapſum & poſt lapſum fuerit, cognoſcamus. Concluſum eſt

eſt autem, eum in utroq; ſtatu mortalē naturâ fuiſſe; nec utriuſque ſtatus hac in parte aliam differentiam eſſe, niſi quod in poſteriore ſtatu, id quod in priore naturale tantùm erat, neceſſarium quoque eſt factum. Concluſum eſt ſimiliter, hominem non minùs poſt lapſum quàm antè, liberum arbitrium habuiſſe; nihilq; eſſe, cur homo Deo præcipienti non aſſentiri & obedire velle, & porrò ipſius gratiá quâ hominem ſibi adhærentem nunquam deſerit, obedire non poſſit. Nunc, qua ratione fiat, ut homo ab iſta moriendi neceſſitate, ab ipſaque mortalitate liberetur, (huc enim omnes tendimus atque aſpiramus) & nunquid Deus, cujus ſolius beneficio id nobis contingere poteſt, ſi id aſſequi velimus, nobis aliquid præceperit, & quale id tandem ſit quod præcepit, videndum & explicandum nobis eſt.

Principio cùm certum ſit, Deum peccato neceſſariæ mortis pœnam ſtatuiſſe, unde ſententiæ illæ Pauli Apoſtoli, *Per peccatum mors*, & *Stipendia peccati mors:* credendum omninò eſt, nolle Deum à neceſſaria morte eum liberare, qui coram ipſo ſine peccato non ſit; nec porrò naturalem mortalitatē cuipiam adimere velle, id eſt, eum naturâ immortalem efficere, in quo peccatum hæreat: ejuſmodi enim hominem ipſi placere non poſſe, prædicta pæna, quam peccato conſtituit, docere poteſt: quemquam verò à Deo immortalem effici, qui illi non placeat, nullo modo credendum eſt.

Rom. 5. 12. & 6, 23.

Jam verò duplici ratione fit, vel potius fieri poteſt, ut quis coram Deo ſine peccato inveniatur,

niatur, vel, quia revera nunquam peccaverit, vel, quia ſi quid unquam peccavit, id apud ipſum Deum deletum fuerit, ita ut Deus, ſive hac ſive illa ratione, juſtum eum pronuutiaturus ſit, & pro juſto habiturus. Atque hoc illud eſt, quod ſacræ literæ juſtificare nominant, de cujus verbi ſignificatione, quando ſub ea appellatione de eo quod nobis propoſitū eſt diſputandum erit, deque juſtificatione noſtra per Chriſtum nominatim explicandū, aliquid diligentius in præſentia docendum nobis videtur.

Juſtificare igitur in ſacris literis, quemadmodum dictum eſt, juſtum pronuntiare, proq; juſto habere propriè ſignificat, id eſt, tanquam cum juſto in ſententia ferenda atque exequenda agere. Itaque tam juſtificari is dicitur, qui cùm reverâ juſtus ſit, juſtus etiam pronuntiatur, & pro juſto habetur, quam is, qui cùm reverà ſit injuſtus, juſtus tamen pronuntiatur & pro juſto habetur, ut hi loci oſtendunt, Deut: 25.1. (ubi in vulgata editione pro *juſtificabunt*, quod eſt in Hebræo, *juſtitiæ palmam dabunt*, ſcriptum eſt) & 1. Regum 8. 32. in quibus de juſto juſtificando fit mentio; & Proverb. 17. 15 atque Eſa. 5. 23. in quibus de juſtificando impio eſt ſermo: ex hac autem propria juſtificandi ſignificatione fit, ut per metonymiam quandam, is etiam, ſive id juſtificare dicatur, quod in cauſa eſt, ut aliquis juſtus pronuntietur. Hoc ſenſu ſcriptum eſt apud Eſajam cap. 53. 11, de Chriſto, quod is ſui ſcientiâ juſtificaturus eſſet multos. Chriſtus enim ſui cognitionem nobis impertiendo, efficit ut juſti à Deo

ita Pareus animadver. in Bellarm. de juſtifi. pag 398. alterum tamen addit Chriſto proprium.

a Rom. 3. 2. 30. & 5. 1. Gal. 2. 16. bis.

pronuntiemur. Hoc ſenſu etiam,(exempli causâ)dicitur fide nos juſtificare.[a]In hunc ſenſum denique accipiendum eſt verbum juſtificandi,cum quæritur, quid ſit id , quod nos juſtificet?Quæritur enim reverâ, quid illud ſit,quod efficiat, ut juſti à Deo pronuntiemur , proque juſtis habeamur. Quanquam in ſacris literis non invenies fortaſſe phraſim iſtam, *Fides juſtificat* , aut aliam ei ſimilem , cum quæritur, quid in nobis ſit, aut eſſe debeat , quo fiat, ut juſti pronuntiemur àDeo,vel ſine quo nō fiat, ut juſti àDeo pronuntiemur.Non tribuunt,inquam, ſacræ literæ actionem ipſam juſtificandi, fidei vel alii rei , quæ in nobis ſit , aut eſſe debeat: ſed ex fide, ſeu per fidem , vel ex alia aliqua illa re, nos juſtificari dicunt , idque vel reagente ſuppreſſa,(quod uſitatiſſimum eſt)ut apud Paulum Rom. 5. 1. *Iuſtificati ergo ex fide* &c. & apud Jacobum cap. 2. 21. *Abraham Pater noſter,nonnè ex operibus juſtificatus eſt, offerens* &c. vel ipſa re agente expreſſa , (quod perrarum eſt(ut apud eundem Paulum, *Quoniam quidem unus eſt Deus,qui juſtificat circumciſionem ex fide, & præputium per fidem.* Ex quo loco apparet, cum legimus nos juſtificari ex re aliqua, non intelligendum eſſe , rem illam nos juſtificare, ſed Deum eſſe, qui ex re illa,id eſt, ea re interveniente, nos juſtificat , hoc eſt, juſtos pronuntiat. Sed nos , ut dictum eſt, per metonymiam quandam, ſacras literas alicubi imitati , illi rei, puta fidei , juſtificandi actionem tribuimus,quę aliqua ratione in cauſa eſt, ut Deus nos pro juſtis habeat , fidemque nos

Rom 3. 30.

juſtifi-

juſtificare dicimus. Adeò autem verum eſt, metonymicum hunc noſtrum loquendi modum à Sanctis literis non abhorrere, ut in eis is etiam juſtificare dicatur, qui cauſã quoquo modo præbet, ut quis non quidem abſolutè, ſed comparatè juſtus pronuntietur, vel potiùs juſtus eſſe videatur, Nam Ezech. 16. 51. 52. Hieruſalem dicitur juſtificâſſe Sodomam & Samariam ſorores ſuas, id eſt, ingentibus ſuis ſceleribus effeciſſe, ut illæ, quamvis ſceleſtæ, juſtę prę ipſa videri poſſent. Non queo autem ſatis mirari viros alioquin doctos, qui putaverunt, in ſacris literis *juſtificare* idem ſæpiſſimè (præſertim verò in novo Teſtamento) eſſe, quod probum facere, & à peccando reipſâ retrahere, id eſt, ut verbum ipſum ſonare videtur, reverâ juſtum efficere; adeò, ut cum de juſtificatione noſtra in novo Fœdere, & potiſſimùm in epiſtola ad Romanos & ad Galatas agitur, de eo agi putent, qua ratione fiat, ut nos juſti reverâ efficiamur, & à peccando ceſſemus? Non poſſum, inquam, ſatis iſtos mirari, cùm nuſquam fortaſſe in ipſo novo Teſtamento verbum *juſtificare* hanc ſignificationem habeat. Quod enim ſcriptum eſt Apocalypſis capite ultimo, *Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc* Apo. 22. 11. &c, ubi ſine dubio, ut locus iſte demonſtrat, de probitate vitæ agitur, ad hanc ipſam rem, de qua quærimus, non facit. Neque enim ſenſus eſt, ut qui juſtus eſt, id eſt, verè probus, ab aliquo juſtus adhuc fiat, ſed ipſe juſtus eſſe pergat. Quocirca non eſt vox *juſtificetur* ducta à paſſivo verbi *juſtificare*, ſed intranſitivi, ut

vocant, verbi vox eſt, quo verbo utuntur Græci pro *Tſadak* Hebræo in prima ipſa conjugatione, in qua non juſtificatum, ſed juſtum eſſe, ſeu juſtè agere ſignificat. Exque hoc verbo eſt illud, *Non juſticabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, id eſt, coram te nemo erit juſtus; & item illud, *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis* &c, id eſt, ut ſis juſtus, hoc eſt; fideli & verax in ſermonibus tuis. Sed nos quærimus de verbo Iuſtificandi, quando agens perſona aut res eſt aliqua, ſive tacita, ſive expreſſa, quæ juſtificet quempiam; & tunc dicimus verbum iſtud in Teſtamento novo nunquam fortaſſe ſignificare juſtum efficere, ſed ſemper juſtum pronuntiare, & pro juſto habere. Et ſanè, cùm Græci novi Teſtamenti ſcriptores verbum hoc ab Hebræis fuerint mutuati, (nam apud ipſos Græcos verbum δικαιόω aliud ſignificat omninò, quàm iſti arbitrentur in novo Teſtamento ſignificare) debuerant iſti vetus Teſtamentum conſulere, ipſoſque Hebræos fontes inſueri, ex quibus rem multò aliter ſe habere didiciſſent, quàm ipſi arbitrati fuerint, decepti fortaſſe novi Latini verbi formatione, quæ juſtum facere ipſũ ſignificare indicat. Vidiſſent enim, apud eoſdem Hebræos verbum eſſe, quod eâdem analogiâ impiificare dici poſſet, quod tamen non impium facere, ſed impium pronuntiare ſignificat, ut patet ex loco illo, quem in initio hujus diſputationis attulimus, Prov. 17. 15. Quamquam Latinè quoque dici poteſt, idque elegantiſſimè, Iuſtum facere, Impium facere, pro eo quod eſt, Iuſtum eſſe dicere, impium

Pſalm. 143. 2.
Pſal. 51. 6.
Rom. 3. 4.

pium eſſe affirmare, ſeu mavis Iuſtum, & impium inducere: qui ſenſus ab interpretatione noſtra, & verò communi ac teſtatiſſima verbi Iuſtificandi, nequaquam abhorret. Itaque nullam ſui erroris excuſationem habere videntur iſti. Nam quod Pſalm. 73. 13. in vulgata editione legitur, *ſine cauſa juſtificavi cor meum*, ex quo ipſorum interpretatio confirmari aliquo modo poſſet, non ita eſt in Hebræo, *ſed ſine cauſa* (vel potiùs fruſtra) *mundavi cor meum*. Et hæc ſatis eſſe volumus hoc loco, quod attinet ad verbi Iuſtificandi ſignificationem.

Cùm igitur, ut ad propoſitum aliquando revertamur, alterutrà ex his duabus rationibus neceſſe ſit, ut nos Deus juſtos pronuntiet ſive juſtificet, vel quia nunquam peccaverimus, vel quia peccata noſtra coram ipſo deleta fuerint: nemo autem, ut inquit Salomon, inveniatur, qui non peccet; & nos omnes præſertim, ut de ſui temporis Chriſtianis ſcribit Johannes, peccatum habeamus, id eſt, peccati rei ſimus: reliquum eſt, ut Deus ideò nos juſtificet, quia peccata noſtra coram ipſo deleta fuerint, cum nos juſtos pronuntiat. 1. Reg. 8. 46. 1. Ioh. 1. 8. 10.

Porrò deleri peccata poſſe videntur, alterutro ex duobus modis: vel compenſatione ſeu, ſatisfactione, vel remiſſione ac condonatione.

Videndum eſt igitur, utro modo peccata noſtra coram Deo deleantur, cùm de immortalitate ejus beneficio conſequenda agitur, hoc eſt, quæ ratio, quod ad hanc partem attinet, noſtræ juſtificationis per Chriſtum ſit? per Chriſtum enim nobis, non per alium, neq; alio

modo, immortalitatem & vitam æternam promittit Deus. Nec enim venit Chriſtus, ut quidam arbitrantur, ut nos in eundem ſtatum reſtitueret, in quo Adamus erat ante lapſũ: ſed ut ad multò excellentiorem eveheret, nec porrò uſquam, ubi Adamus cum Chriſto comparatur, ſive ante, ſive poſt lapſum, vel dictum vel indicatum reperies, Chriſtum nos in priſtinum illum, in quo Adamus conditus fuit, ſtatum reſtiturum; eâque ratione ipſum, Adamo opponi, niſi fortè allegoricè priſtinum illum ſtatum interpretentur ſacræ literæ, ut cum in Apocalypſi, & Paradyſi & arboris vitæ in ea media
Apoc. 2. 7. conſitæ ſit metio, ex qua ſuis Chriſtus comedere ſit daturus. Cæleſtem enim immortalitatem, quà nunquam Adamus præditus fuit, ibi ſignificari, nemo, opinor, ſanæ mentis negaverit. Sed, ubicunque Adamus cum Chriſto comparatur, Adamus tanquam mortis vel naturalis, hoc eſt, mortalitatis, vel neceſſariæ, hoc eſt, mortis æternæ, Chriſtus verò, tanquam æternæ vitæ atq; immortalitatis auctor conſideratur. Legantur diligenter, quæ ſcripta ſunt à Paulo ad Rom. cap. 5. & 1. Cor. 15. noſque vera dicere deprehendetur. Manifeſtè enim, (ut cætera omittam) comparat Paulus, in eo loco epiſtolæ ad Corinthios, Adamum, prout ab initio creatus fuit, cum Chriſto à mortuis excitato, & in cœlum tranſlato, & illum
v. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. terrenum fuiſſe ait, & propterea mortalem, corpuſque habuiſſe corruptibile, vile, infirmum, animale denique, ipſumque Adamum fuiſſe tantùm factum in animam viventẽ: Chriſtum

ſtum verò è cœlo eſſe,& idcircò immortalem, corpuſque habere incorruptibile, glorioſum, & potentiâ præditum, ſpirituale denique, ipſumqueChriſtum factum eſſe inSpiritum vivificantem. Sed ad rem noſtram.

Quærimus igitur, utrũ in juſtificatione noſtra per Chriſtum, peccata noſtra compenſatione ſeu ſatisfactione deleantur, an verò remiſſione & condonatione? Plerique ſatisfactione interveniente id fieri arbitrantur: nos verò ſimplici condonatione. Nam, quod ſatisfactionem cum remiſſione ea in re conjunctam fuiſſe aſſerunt, planè nugatorium eſt, ut ſuo loco oſtendemus. Rationes,cur ita ſtatuamus, quatuor ſunt. Una eſt,quòd nuſquam, 1.
in ſacris literis iſtius ſatisfactionis fit mentio, nec alterius rei cujuſquam, quæ tantundem valeat. Altera, quòd compluribus in locis ſa- 2.
tis apertè teſtantur Sacræ literæ, nullam in juſtificatione noſtra per Chriſtum ſatisfactionem interveniſſe. Tertia, quia ſatisfactio iſta 3.
Dei gloriam maximè obſcurat, & Chriſti poteſtatem labefactat. Quarta verò & ultima, 4.
quia fieri nullo modo poteſt, ut ſalvis nobis pro peccatis noſtris Deo ſatisfactum fuerit, ne per ipſum Chriſtum quidem. Quæ omnia ita ſe habere, ex infra dicendis planiſſimum fiet.
Primùm enim, Deum jure peccata nobis con- 1.
donare potuiſſe oſtendemus, nullâ verâ (de hac enim loquimur, ut poſteà dicetur) à quoquam pro ipſis ſatisfactione acceptâ. Deinde, 2.
id facere eum voluiſſe demonſtrabimus: quibus duobus exequendis, ſecunda tertiaque ra-

3\. tio noſtra abundè explicabitur. Tùm verò, ſatisfactionem iſtam inter ea numerandam eſſe, quæ fieri nullo modo poſſunt, (quæ quarta
4\. noſtra ratio eſt) docebimus. Poſtremò, ſacrarum literarum teſtimonia, quibus Chriſtum pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe probari creditur, diluemus: ex quo prima ratio noſtra ſatis explicata & confirmata videbitur.

REFUT. CAP. XV.

Iuſtificationis noſtræ per Chriſtum prolegomena quædam eamque explicandi initium.

PRimo hujus cap. paragrapho paucis recolligit, quæ à ſe in antecedentibus diſputata ſunt. Ea ad duo revocat. *Primo oſtenſum eſſe, qualis ante lapſum, qualis poſt lapſum fuerit homo, nullamque inter ſtatum integritatis & lapſus differentiam eſſe, niſi quod mortalitati naturali poſt lapſum, ratio neceſſitatis ſupervenit.* Id quidem illud eſt, quod diſputavit in ipſo operis initio, confeciſſe verò piis & cordatis lectoribus, nunquam credo perſuadebitur. Cui enim hæc probari poterunt, naturam hominis ita conditam, ut mors æterna naturæ hominis fuerit naturalis per naturam hominem ferri in æternam mortem: per naturam poſſe hominem mori æternam mortem, quam mori debet propter peccatum. Ipſe igitur Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui iis quæ naturalia homini non caruit, per naturam (horreſco referens) mori potuit æternam mortem.

Secundò

Secundò ait *ſimiliter concluſum eſſe, hominem non minus poſt lapſum, quam ante liberum arbitrium habuiſſe; nihilque eſſe, cur homo Deo præcipienti, non aſſentiri & obedire velle, & porro ipſius gratiâ quâ hominem ſibi adhærentem nunquã deſeru, obedire non poſſit.* An verò concluſio illa ex præmiſſis ſequatur, ex utrinque allatis judicabitur. Demonſtrâſſe me arbitror, eum niſi à ſeipſo diſſentiat & ſecum pugnantia dicat, id efficere non poſſe. Meminit deinde modi liberationis tum à mortalitate, tum à moriendi neceſſitate. Quid per hæc intelligat ſatis dictum in primi cap. refutatione, & cum tantopere cæcutiat in innocentiæ ſtatu, in cognitione miſeriæ & humanæ corruptionis, fieri non poteſt, quin fœdiſſimi ejus ſint lapſus in totâ doctrinâ noſtræ redemtionis & ſalutis per dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Paragrapho ſecundo aggreſſurus exponere viam quâ ad æternam & beatam immortalitatem pervenitur, ait *Deum peccato neceſſaria mortis pœnam ſtatuiſſe.* Per peccatum mors, ſtipendium peccati mors. In hoc quidem effato, id verè dicitur, mortem peccati pœnam eſſe. Magno autem vocum abuſu, æternam mortem nomine neceſſariæ deſignat; cum aliud ſit rei neceſſitas, aliud æternitas. Neque etiam malè quiſpiam ex poſitionibus Prælectoris intulerit, fieri poſſe, ut mors ſit neceſſaria, & non ſub ratione pœnæ, per naturam nempe accedente Dei decreto. cap. prim. prælectum fuit, *poterat enim Adamus, ſi non peccâſſet, quamvis naturâ mortalis, à morte Dei*

beneficio conſervari, vel ſi mortuus fuiſſet, in vitam aliquando revocari, atq; immortalis fieri. Quemadmodum verò vel à morte conſervare; vel mortuum in vitam revocare poterat, ita etiam ex beneplacito voluntatis ſecus contingere potuit. Incerta, integris rebus, immortalitatis exſpectatio. Per principia itaque Socini dubium, an mors neceſſaria à ſolo peccato ſit. Quinimo ſi Socinum audimus, mors quoque neceſſaria citra reſpectũ peccati, ſcribit enim cap. 8. lib. 3. de Servatore. *Mors naturalis, quatenus naturalis eſt & omnibus communis, non eſt peccati ſtipendium, ſed naturæ noſtræ, quam ipſemet Adamus, in ipſa creatione accepit, propria ſequela.* Quidquid contra pertendat Socin. oculos attollat ad ſenſum communem ad quẽ ſubinde provocare ſolet, docebitur conſentientibus in id omnium populorum ſententiis, mortem corporis Chriſtianis hominibus ex communi neceſſitatis naturalis lege, cum impiis ſubeundam eſſe: cedatur oculis, credatur ſenſibus. Fruſtra verò contra id adfertur cap. 8. 3. de Servatore. *Quod ii quos vivos offendet Chriſtus; adventus ultimus, mortem non guſtaturi*; ac ſi illi admiſſâ mortis neceſſitate, mortem effugere non poſſent, id inquam nullius rei; nam nec impii ſuperſtites mortem viſuri, quos tamen à neceſſitate moriendi non liberavit Chriſtus ex adverſarii ſententiâ. Neque etiam ſequitur, quia pii ſuperſtites liberi futuri, omnium temporum. Chriſtianos liberos ſimiliter fuiſſe, ut ibidem ratiocinatur Socinus. Non enim ut per incogitantiam ſcripſit,

ſit, idem judicium de omnibus faciendum, quod de paucis illis, etenim paucis à morte liberis, reliqui ante eos mortui fuerunt; ut ergo mors non communis, ita nec mortis neceſſitas.

Adfert eodem paragrapho, *hominem in quo peccatum hæret Deo placere non poſſe, pœnam prædictam id docere.* Id quomodo in Scholâ Prælectoris verũ eſſe poteſt, cum placeant Ethnici qui honeſti amore ducuntur; maximè autem pij & fideles omnes, qui V. Teſtam. vixere temporibus, qui Deum ſingulari ratione propitium ſunt experti Socin. cap. 2. Prælection. Spem habuerunt in mundo Eph. 2. 12. Dei filii & hæredes omnium Gal. 4. com. 1. Juſtitiæ quæ ex fide hæredes, ut nobiliſſimum illud ad Hebr. puta 11. cap. ſatis ſuperque docet: pœnæ tamen iſti id eſt æternæ & neceſſariæ morti obnoxii fuerunt· neque ex vi eorum omnium ab iſtis malis liberati fuerunt: hoc enim proprium Chriſtianorum facit Socin. cum ibidem ſcribit. *Chriſtum nos, qui illi fidem habemus, ab omni prorſus peccato, id eſt peccati pœnâ & reatu liberaſſe.* His opponi non poteſt, quod eodem cap. ſcriptum reliquit, *eos etiam qui ante Chriſtum mortem æternam non ſubierunt, niſi Dei gratia ſervati eſſent, non minus quàm cæteros funditus perituros fuiſſe*, id enim de occulto quodam decreto intelligit, quod verbo promiſſionis in V. Fœdere non fuit ſignificatum; ac proinde omnis quæ tum erat juſtificatio ex mente ejus, ſub æternâ morte reliquit fideles.

Deinde ſi vera adverſarii diſtinctio, inter neceſſa-

neceſſariam & naturalem ſive incertam mortem. Sic enim non immeritò ex vi ſententiæ ejus vocari poteſt mors quam ipſe vocat naturalem, tum poſito quod juſtificatio à peccatis, mortem neceſſariam tolleret, non tamen naturalem ſive incertam homini adimeret, ſed inter fluctus ancipites ſpei metusque ambiguum relinqueret, quia juſtis ex pacto promiſſionis non obtingit æterna vita.

Tertio paragrapho oratione ſatis prolixâ agit de notione & genio vocis juſtificationis cum duplicem ejus eſſe modum paragr. 20. dixiſſet, ubi pleraque talia ut non damnem. Rectè imprimis adverſus Pontificios ponit juſtificatonem in argumento juſtificationis noſtræ coram Deo non juſtitiæ infuſionem, ſed forenſe verbum eſſe, actum notans judicialem ut hic. Tribus verbis de loco Apocal. 22. v. 11. monebo, ubi legitur, *qui juſtus eſt juſtificetur adhuc*, nihil eſſe, quod cogat, ea verba de vitæ probitate accipere, cum trita illa forenſis ſignificatio ab ipſo loco non religetur, ſic enim licet παραφράζειν. Qui juſtus. & det operam, ut porro juſtificatione gratuitâ juſtus cenſeatur. Multò minus aliter accipienda vox δικαιωθήσεται apud Pſalmiſtam *non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens* Pſalm 143. v. 2. quod Paulus reddidit, *nulla caro juſtificabitur, in conſpectu ejus*: præmittitur enim apud Pſalmiſtam, *non intres in judicium cum ſervo tuo.* Ab hac ſignificatione, non eſt cauſa quoque cur recedatur Pſalm 51. 6. *Ut ſis juſtus in loquendo te, mundus in judicando te.* Quamquam enim verbum

explicare

juſtificabitur

verbum Hebræum tſadak, in ſignificatione kal occurrit, quemadmodum & in præcedente; in utroque tamen loco eſt juſtum haberi & cenſeri; quid enim quæſo aliud eſt; non eſſe juſtum in conſpectu Dei, quàm à Deo pro juſto non haberi, id eſt non juſtificari à Deo. Similiter David peccata ſua confitebatur, ut ingenuâ criminum ſuorum confeſſione Dei juſtitiã prædicaret, quâ prædicatione Deus à Davide juſtificabatur; non verò hoc pacto à ſignificatione Hebreæ vocis in conjugatione Kal receditur; nam tſadak in Kal eſt, eſſe juſtum, juſtam cauſam habere, & de facto approbari ut teſtatur Pagninus; & cum quis juſtus eſſe apud alium, aut in alterius conſpectu legitur, in conjugatione kal, non poteſt non juſtificatio ſignificari. Sanè Paulus locum illum Davidis, de juſtificatione accepit, cum concluderet, *nullam carnem ex operibus legis juſtificari.* Ita quoque Paulus alterum locum Davidis intellexit, ad quem ita D. Franciſcus Junius in parelleles. *Pſaltes ex ſua ipſius hypotheſi erumpens in confeſſionem peccati ſui, eruit theſin hanc ſanctiſſimè & appoſitiſſimè; ex peccatorum confeſſione (cujus nunquam pios credentes puduit, ſemper exiſtere, ampliſſimum gloriæ divinæ argumentum quia illuſtratur maximopore juſtitia & puritas illius, ex peccati noſtri comparatione & confeſſione voluntaria.* Uſus Apoſtolus verbo δικαιὸω, quæ vox Græcis actum mentis judiciarium ſignat; valet enim quod Latinis juſtum & æquum cenſeo δικαιῶϑαι vero eſt jus pati, quod ſuum eſt afferri, forenſis ergo ſignificationis

hæç

hæc vox. Unus videtur eſſe locus ubi vox tſadak, non ſit forenſis; is eſt Dan. 8. com. 14. *juſtificabitur ſanctuarium*, quod vetus tranſtulit mundabitur ſanctuarium. Senes Helleniſtæ καθαρισθήσεται τὸ ἅγιον. Verùm ſi res diligentius expendatur, ferri poteſt proprius vocis juſtificationis uſus. Sanctuárium enim prophanatum, poſtquam expiatione mundatum eſſet ſanctum haberetur; quia verò juſtificationi iſti præcedanea mundatio, illa verò ad hanc conſequens, hinc illa vocum apud interpretes permutatio. Neque id infrequens in ſacris, per antecedens conſequens, per conſequens antecedens ſimul intelligi.

purificabitur ſanctuarium

Poſt prolixiorē de verbo juſtificandi diſſertationem, repetit duplicem eſſe rationē juſtificationis. *Juſtificari aliquē, vel quia ἀναμάρτητος: vel quia peccata delentur per remiſſionē gratuitam: hoc modo poſteriore dicit nobis juſtificationē obtingere, quia ut inquit Salomon, nemo invenitur, qui nō peccet; & nos omnes, præſertim ut de ſui temporis Chriſtianis ſcribit Johannes, peccatum habeamus, id eſt peccati rei ſimus.* Juſtificationem non aliam nobis eſſe, quàm per juſtificationem gratuitam, & remiſſionem peccatorum rectè aſſeritur. Verùm ex jactis hactenus à Prælectore fundamentis, id minimè concluditur. Si enim ab omni labe peccati puri concipimur, & integras liberi arbitrii vires habemus, in promtu nobis illa juſtificatio quæ innoxios juſtificat. Neque ulla poſt lapſum primi parentis, poſteris impoſita neceſſitas ad juſtificationem per remiſſionem peccatorum confugiendi.

ſine peccato

di. Aut ſi pertendat Prælector, eam unicum animarum ſolatium, tum in eas redigitur anguſtias, ut dicendum illi ſit, neminem poſſe manere ἀναμάρτητον, atque ita nulla relinqueretur homini libertas, cujus abuſu acceſſatur peccandi neceſſitas, quod communi ſuffragio damnatur. Deinde in ſacris literis inauditum eſt, poſſe homines ab æternâ morte & condemnatione, cui ſunt obnoxii (per delictum enim primi hominis, omnes ſunt rei condemnationis facti Socin. cap. 8. 3. De Servatore) liberari per juſtificationem vitæ, quia nunquam peccaverunt, cum hæc ex aperto & perpetuo Scripturæ ſenſu involvant repugnantiã. Eum qui peccator non eſt liberari ab æternâ morte, & condemnatione, cui eſt obnoxius; perinde ſonat ac ſi dicerem, hominem à morbo convaluiſſe, qui nunquam ægrotavit. Hæc in cerebro Prælectoris volutantur, qui ponit omnes naſci obnoxios æternæ morti per propagationem naturalem ex Adamo, in corrupto prorſus arbitrio: quare per perfectam voluntatis divinæ obſervationem, ad juſtitiam coram Deo pervenire poſſunt, & per eandem ab æternâ morte redimi. Ajo hæc ex ſcripturæ ſenſu repugnantiam involuere. *Scimus inquit Paulus, quæcunque lex dicit, iis qui in lege ſunt dicere, ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi; propterea ex operibus legis, nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus* Rom. 3. 19. 20. Pugnantia ſunt Paulo condemnationi eſſe obnoxium, & ex operibus legis velle juſtificari. *Ejus qui operatur merces*
eſt

ſecundum debitum

eſt κατὰ τὸ ὀφείλημα ut ait Paulus Rom. 4. 4. At ſi quis operans eſſe poſſit, & ſic ab æternâ, ſub quâ eſt morte liberari, merces ex gratia, aut ex gratiâ & debito eſſet. Etenim quis ab æternâ morte ſine gratiâ liberari poteſt? debitum verò & gratiam poſſe concurrere iis ſemper, quibus poteſt, Paulus repellit viribus, ut notum eſt ex apertiſſimis teſtimoniis. Uno contentus ero; *quod ſi per gratiam non jam ex operibus, alioquin gratia jam non eſt gratia. Sin ex operibus, jam non eſt ex gratia: alioquin opus jam non eſt opus.* Rom. 11. com. 6. Tertiò animadvertendum eſt, ſervatâ eâ quam ubique adverſarius inculcat ſententiâ, de immortalitate & vitâ per ſolum Chriſtum promiſſâ, ſequi non acquirere hominem certam æternæ vitæ ſpem, niſi per juſtificationem quâ remittuntur peccata in ipſum Euangelium commiſſa: etſi enim alia peccata remittantur, & oppoſitè ad ea pro juſto cenſeatur homo, ex vi iſtius juſtitiæ non poterit habere vitam æternam, quia illa juſtitia nullam habet promiſſionem æternæ vitæ; ſed ea tantùm quæ Euangelio præſcribitur; conſequenter juſtificatio & remiſſio peccatorum, quâ hæredes vitæ æternæ efficimur erit illa, quâ inobedientia Euangelii remittitur, & à quâ homo abſolutus Euangelicam obedientiam perfeciſſe cenſetur, ac proinde ex ſententiâ Socini, non ſolùm peccatum præſupponit noſtra quâ ſalvamur juſtificatio, verum etiam peccatum inobedientiæ adverſus ipſum Euangelium commiſſum.

Quod ad teſtimonium Salomonis & Johannis

hannis attinet, non tantum ex iis rectè probatur neminem mortalium eſſe, qui peccato non ſit contaminatus, verum etiam ne renatos quidem ſine peccato vivere. Nam quod prius attinet, cum Salomon dicit, *quum peccaverint in te, nam nullus eſt qui non peccet,* inſinuat maniſeſtiſſimè ſapientiſſimus regum, hanc eſſe mortalitatis ſortem, nunquam ſine peccato vivere. Si enim hoc tantummodo vellet, nullum eſſe mortalium, qui non peccaverit aliquando; non rectè inde inferret, facillimè fieri poſſe ut ſui populares in peccata inciderent, quod tamen indicat facillimè contingere poſſe, cum dicit hanc communem eſſe hominum ſortem; quare ne renati quidem excipiendi.

Idem de ſententiâ Johannis judicandum eſt, quia fideles non ſolummodo ſunt rei peccati, quia aliquando peccaverunt, ſed quia numquam plenè peccare deſiſtunt: peccatum habere apud Apoſtolum Johannem dicuntur ii, qui peccatum habent ratione etiam peccatorum præſentium. Joh. 9. com. 41. ubi dicitur *Si cæci eſſetis non haberetis peccatum, nunc verò dicitis videmus, itaque peccatum veſtrum manet:* ratione præſentium peccatorum peccatum habere dicuntur, ab eo enim quod dicebant videmus, dicuntur habere peccatum. Similiter Joh. 15. com. 24. *Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt & oderunt tum me tum Patrem* de præſentibus peccatis dicitur. Judas quoque de quo Dominus Joh. 19. 11. *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet*, non deſierat eſſe

 ſed

ſed erat peccator, nupera erat Domini proditio. Neque verò contra adferri poteſt, quod apud eundem Apoſtolum legitur Epiſt. i. Ioh. cap. 1. 10. *Si dixerimus inquit nos non peccaſſe*, non dicit inquit in Proſpero Deſydæo non peccare. Minimè ex eo ſequitur loqui Apoſtolum de peccatis ante converſionem ad Deum. Et ſanè reſpicere Apoſtolum ad delicta ſub ſtatu gratiæ & fidei commiſſa, illud clarè docet, quod impoſſibile quemquam Chriſtianiſmum profeſſum reperiri, qui ſe peccatorem non confiteatur. Hoc ipſo ſanè, quod quis inter Chriſtianos nomen ſuum profitetur, peccatorem ſe confitetur, quorſum ergo tam operoſè Apoſtolus hoc inculcet? neque verò quia Johan. dicit, *& purget nos ab omni iniquitate*; evincitur agi de iniquitate tali quæ cum gratiâ regenerationis non conſiſtit: omne peccatum iniquitas, quia omne peccatum ἀνομία eſt, 1. Joh. 3. 4.

Legis transgreſſio

Sequitur apud adverſarium paragr. 6. *duplciter peccata deleri, vel per remiſſionem vel per ſatisfactionem*, in quo cardo rei vertetur in ſequentibus diſputationibus, quibus reliqua prælectionum pars impenditur. Immiſcet hic obiter attingens comparationem Chriſti cum Adamo per Chriſtum tantum promiſſam immortalitatem. Quod falſi convincitur ex Johan. Baptiſtæ doctrinâ, qui diſertè, in Chriſtum credentibus æternam vitam promiſit ut legitur apud Joh. cap. 3. com. 36. Chriſtum ſuos ad multò excellentiorem ſtatum evexiſſe non negamus, quamquam id longè alio ſenſu

ſu aſſeveremus, quàm quidem adverſarius. Quomodo verò comparatio inter Adamum & Chriſtum ex præſcripto veritatis inſtituenda ſit, ex iis quæ primo Prælect. cap. diſputata ſunt, manifeſtum eſſe poteſt, ad quæ lectorem ne eandem crambem reponam rejicio.

Septimo & ultimo hujus cap. paragrapho, ſtatum format quæſtionis in quâ iis quæ reſtant Prælection, capitibus deſudabitur. Quid probaturus ſit quo ordine, membratim exponit. Precor ex intimâ animi ſubmiſſione Deum ac Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut me indigniſſimum ſuum ſervum ac mancipium, per ſpiritum ſapientiæ & cæleſtis illuminationis ſuæ muniat atque armet, ad ſuſtinendos ejus impetus, armaque militiæ noſtræ divinitus valida ſint ad everſionem omnis humanæ ratiocinationis, ſe adverſus Dei cognitionem extollentis. Faxit Dominus ut pro veritate, non contra veritatem poſſimus: noſtraque hæc bella pro cauſa Domini & ſalutis munimento ſuſcepta ſuccedant feliciter. Supplex id rogo omnipotens Deus ac Pater te qui genuiſti, per eum quem genuiſti Filium tuum unicum ac Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

CAP XVI.

Deum nobis peccata jure condonare potuiſſe, nullà verà pro ipſis à quoquam ſatisfactione acceptà.

DEum igitur, contra quàm nonnulli ſentiant, jure potuiſſe nobis peccata noſtra condonare, nulla à quoquam pro ipſis ſatisfactione accepta, id manifeſtè probare videtur, quòd peccata noſtra nihil aliud ſunt, quàm offenſæ majeſtatis divinæ, & debita quædam, quæ cum Deo contrahimus. Sic enim in ſacris literis appellari ſolent. Atqui nemo eſt, qui injurias ſibi illatas, debitaque ſecum contracta, ſummo jure condonare & remittere non queat, nullâ verâ pro ipſis ſatisfactione acceptâ. Igitur, niſi velimus Deo minùs concedere, quàm hominibus ipſis concedatur, confitendum omninò eſt, Deum jure potuiſſe nobis peccata noſtra ignoſcere, nulla pro ipſis vera ſatisfactione accepta. At enim obijciunt adverſarii, & ajunt, Dei juſtitiam omninò requirere, & ut peccata puniantur, & pro ipſis ſibi ſatisfiat; Deumque nulla ratione non juſtum eſſe poſſe, ſuæque juſtitiæ quodammodo renuntiare. Hæc ratio nullius pretii eſt. Neque enim in Deo ulla juſtitia eſt, quæ peccata puniri omninò jubeat, cui ipſe renuntiare non poſſit. Eſt quidem in Deo perpetua juſtitia: ſed hæc nihil aliud eſt, quàm æquitas & rectitudo. Itaque nullum Dei opus eſt, in quo iniquitas

quitas & pravitas,ne minima quidem ex parte,deprehendi unquam poſſit. Et hanc juſtitiam Dei nominant ipſæ Sacræ literæ, quæ non minus in condonandis, quàm in puniendis peccatis conſpicua eſt. Iſtam autem Dei juſtitiam,quam nos appellare ſolemus,quæ non niſi in puniendis peccatis conſpicitur, Divinæ literæ nomine iſto nequaquam dignantur, ſed eam modò Dei ſeveritatem,modò vindictam, tùm iram, furorem, indignationem, & aliis ejuſmodi nominibus appellant. Itaque inſigniter graviterque ſunt lapſi, qui vulgaris cujuſdam appellationis ſpecie decepti, putârunt iſtam eſſe perpetuam Dei qualitatem,eamque infinitam eſſe dixerunt;nec animadverterunt, ſi id verum eſſet, neceſſe futurum,ut Deus infinitè ſeverus & ultor eſſet, nec unquam peccata condonaret,contra id, quod de ipſo Sanctæ literæ paſſim prædicant, quæ Deum tardum ad iram, & multum miſericordiâ eſſe, peccataque condonare, alicubi diſertè teſtantur, ut Exodi 34. 6. 7. & Num. 14. 18. 19. Quamobrem multò verſimiliùs dici poſſet, Dei propriam qualitatem eſſe, eam Dei miſericordiam, quæ iſti juſtitiæ opponitur. Vnde planè contrarium ejus, quod adverſarii ſentiunt,concludi poſſet, Deum videlicet peccata jure punire non poſſe,nempe quia ejus miſericordia requirat, ut peccata omninò condonentur, Verùm utrumque eſt falſum. Quemadmodum enim juſtitia iſta, vulgari nomine ſic appellata,quæ miſericordiæ opponitur,Dei qualitas non eſt, ſed effectus tantùm voluntatis

tis ipſius: ſic miſericordia quæ iſti juſtitiæ opponitur, Dei qualitas non eſt propria, ſed effectus tantùm voluntatis ejus. Cæterùm cùm ex miſericordia iſta, quæ Deo plurimùm tribuitur, non fiat, quin Deus, quem velit, jure puniat atque ulciſcatur, multò minus ex juſtitia iſta, quæ Deo rarò admodum tribuitur, fieri dicendum eſt, ut Deus, cuicunque velit, nulla vera ſatisfactione accepta, planè ignoſcere jure non queat. Multò plura pro hujus veritatis confirmatione, & contrariæ ſententiæ, quæ mirum eſt quantum Deo adimat, confutatione, dici potuiſſent: Sed hæc pauca in præſentia ſatis eſſe volumus.

REFUT. CAP. XVI.

Deum peccaca jure nobis condonare potuiße nullâ verâ pro ipſis à quoquam ſatisfactione acceptâ.

INter omnes virtutes ſunt quædam velut regiæ & principales ut juſtitia primum, à quâ Maximus Homerus reges δικασπόλȣς appellavit, circa jus occupatos & verſantes. Juſtitiam colere prima in principe viro virtus eſt; ei adminiſtrandæ eſt conſtitutus: prima enim inſtitutio & admiſſio regum ab hoc fine fuit. Unus rex cui conceſſit Saturnia proles ſceptrumque & leges ut judicet & dominetur. Imaginem nimirum Deus Opt. Max. impreſſit hominibus ejus virtutis cujus ſolaris & perennis fulgor in regiâ ejus mejeſtate, nobis

contem-

contemplandus exhibetur. Ab hoc ſole illa juris civilis & juſtitiæ & in terris luna. Potiſſima verò juris civilis pars habetur ea, quæ de delictis, quæ etiam inter barbaros imò omnes qui moribus reguntur populos, tantam vim habet, ut bonis præmia, malis ſupplicia propoſita eſſe videamus; quæ duo fideliſſimos rerum publicarum, & omnis humanæ ſocietatis cuſtodes dicebat Theophraſtus: unde pœnam Aſſyrii pro Deâ coluere, nemeſim Deam pœnis præfecit antiquitas, quam ſanior Theologia juſtitiam divinam dixerit: hanc prorſus arbitrariam in Deo exiſtimat Socinus. Quà circa pœnas occupatur, adeſſe vel abeſſe poſſe: nullam eſſe juris divini in delictorum pœnis neceſſitatem: puniendi poteſtatem ita eſſe liberam, ut pœnâ neglectâ, ſine injuſtitiæ crimine remittere poſſit.

Principio diſputationis, id tanquam manifeſtam & efficacem opinionis ſuæ probationem ponit, quod peccata noſtra nihil aliud ſunt quàm offenſæ majeſtatis divinæ, & debita quædam, quæ cum Deo contrahimus, quemlibet verò hominum, illatas ſibi injurias & debita ſecum contracta, ſummo jure poſſe condonare, nulla acceptâ ſatisfactione, de Deo ergo id quoque confitendum eſſe. Tota ratiocinatio in Syllogiſmi formam contracta ſic erit. *Si cuilibet homini licet injurias ſibi illatas remittere, nullâ ſatisfactione verâ interveniente, tum id Deo licet. Atqui cuilibet homini jure licet injurias ſibi illatas & debita ſecum contracta remittere, non interveniente ullâ verâ ſatisfactione.*

Ergo & Deo jure licet. Minor Syllogiſmi hujus non eſt vera univerſaliter, nam non procedit in perſonis publicis, in poteſtate conſtitutis, in quarum manu ſupremus Deus, leges & jura cum gladio poſuit. Magiſtratus non habent liberam poteſtatem in utendo, vel non utendo gladio. Si magiſtratus non exerit gladium in maleficos, contra præſcriptum juris, jus negliget: ſi gladio non ulciſcitur, gladium fruſtra geſtat, & officio miniſtri malè fungitur, quod eſt actus injuſtitiæ; *Dei enim miniſter eſt, ultor ad iram ei qui quod malum eſt fecerit* Rom. 13. 4. Patet ergo eſſe, qui remittere non queant ſalvo jure, injurias ſibi illatas ſine ſatisfactione. Etenim cum Paulus ait *Magiſtratus eſſe terrori malis; ultores eſſe ad iram, ei qui, quod malum eſt fecerit*, non diſtinxit inter mala quæ ipſis magiſtratibus obveniunt; & ea quæ ſubditis inferuntur, ac ſi uſus coactivæ poteſtatis, circa injurias ipſis poteſtatibus illatas illæſâ juſtitiâ arbitrarius eſſe poſſit: circa injurias verò poſterioris generis, ex ratione juſtitiæ neceſſarius: Nihil horum in Apoſtoli verbis. Quin etiam ea leguntur, quæ delicta in offenſam principis aut magiſtratuum commiſſa excipere non permittunt: dicitur enim ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ Dei ordinationi reſiſtit & qui reſiſtunt, condemnationem ſibi auferre dicuntur. Hebræorum judicum poteſtas, variis à Deo legibus, & pœnarum neceſſariò exequendarum ſtatutis circumſcribitur. Iſtis legibus & ſtatutis injuriæ ipſis judicibus illatæ, non eximuntur; Sumo

opponens ſe poteſtati

injuriam,

injuriam, pro quovis delicto, quo in aliquem contra jus delinquitur: ſtrictius alioqui ſumere ſolent plerunque juriſconſulti hanc vocem l. 1. ff. de injuriis & famoſis libellis. Injuria ex eo dicta eſt, quod non jure fiat, omne enim, quod non jure fit, injuriâ fieri dicitur: hoc generaliter, ſpecialiter autem injuria dicitur contumelia. Interdum injuriæ appellatione, damnum culpâ datum ſignificatur, ut in lege Aquiliâ dicitur. Interdum iniquitatem injuriam dicunt, cum quis iniquè vel injuſtè ſententiam dixit; injuria ex eo dicta quod jure & juſtitiâ caret. Sed ad rem. Injuriæ judicibus & primoribus illatæ non excipiuntur. Thom. in 2. 2. quæſtion. 67. arti 4. dicit, *quod judex non habet poteſtatem ſolvendi reum à pœnâ contra leges, à ſuperiore ſibi impoſitas*. Exempli cauſâ pœnale ſtatutum Exod. 21. com. 15. ſic habet. *Qui percutit patrem ſuum aut matrem ſuam, omnino morte plectitor*. Filius judicis judicem percutere potuit; filius principis patri principi maledicere. In hoc ſanè caſu pater aut princeps judex impune lædi non potuit, quin contra legem committeretur; non enim lege divinâ licet tantùm iſtiuſmodi maleficia punire, ſed verba legis jubent volunt fieri, habent enim *morte plectitor*: quare non eſt admittendum illud Socini, de domino & Principe affirmantis lib. 3. de Servat. cap. primo *Domini & Principis ſolam voluntatem, cum de ipſius jure tantùm agatur, omnium rerum legem & perfectiſſimam normam eſſe*: principes & judices Hebræorum, non ſuam voluntatem in injuriis et-

iam ſuis, habuerunt pro lege & perfectiſſimâ normâ, ſed normam legis divinæ. Neque ex juris divini digeſtis probavit Crellius acerrimus ſententiæ Socini defenſor, *principem licet rectorem ac judicem, offenſas ſuas liberè, ſine ullâ ſatisfactione, condonare poſſe & jure ſuo cedere, ſine ullâ injuſtitiæ nota*, ut ſcripſit reſponſ. ſua ad cap. 11. pag. 154. Secundò ad infirmandam minorem dico ex conceſſione Crellianæ reſponſionis, eos quibus injuriæ per contumeliam illatæ, adverſus quos, pœnale judicium conſtituitur, non poſſe non agere actione injuriarum. Verba ſunt. *An verò rectum & honeſtum foret, ſi quis graviſſimis calumniis appetitus, quæ ipſius famam & exiſtimationem vitæ propemodum anteponendam; aut ſimul ipſam etiam vitam, uxorem, liberos, bona, in ſummum diſcrimen adducant, ut in atrocioribus criminibus accidit, non exigeret à calumniatore, ut veri profeſſione famam ipſius, & exiſtimationem in integrum reſtituerit, certè id hominis foret diſſolutiſſimi, vel potius inſani, & non tantum non honeſtum, ſed etiam turpiſſimum.* Quando verò palinodiam & revocationem petit actor agit actione ad vindictam tendente *quod ſenatus conſulto. 6. l. prætor 7. 8. 1. ff. de injuriis*, criminaliter ut volunt nonnulli: aliis vero magis placet quod palinodiam ſibi petens actor potius civiliter egiſſe videtur *Myſing. obſervat.* 98. cent. 2. *Blaner. diffamari in princ. de ing. m. num.* 5. 6. *Marant. in ſpecul. aur. parte 4. num.* 10. *Patris de Put. in tractat. Synd. ad verbum compoſitio.* Hæc vero pœna

na reſtituendi honoris quædam ſatisfactio eſt *l. digna vox*, *ubi Theodoſius, digna vox majeſtate regnantis legibus alligatum ſe profiteri. Paulus l. ex imperfecto de leg. 3. decet tanta majeſtati eas ſervare leges, quibus modis teſtamenta infirmentur licet inquit legibus ſoluti ſimus, legibus tamen vivimus. Myſing. ad inſtitut. pag.* 239. Quare illud *Principem legibus ſolutum eſſe L. princeps ff. de legibus*, Andreas Fachineus intelligit quoad vim coactivã quia videlicet eum nemo cogere poteſt ad leges obſervandas, ſed non quantum ad vim directivã, quia tenetur eas ſervare, prædictus author *pag. 5. controverſiarum juris.* Ulterius minoris oppoſitum probatur ſic: aut non eſt verum, unumquemque injurias illatas, ſine vera ſatisfactione ſummo jure remittere poſſe; aut nulla erit judiciorum criminalium privatorum aut publicorum in Republicâ de jure neceſſitas: furta, rapinæ, impunita dimitti poſſunt: lex Julia majeſtatis *de adulteriis*, Cornelia de *ſicariis*, Pompeja *paricidij*, & aliæ publicorũ judiciorum leges dormire poterunt ut juvenalis de lege julia exclamat: *ubi nunc lex julia dormis?* Patet majoris veritas; unuſquiſq; delinquentem, quantum ſua intereſt, impunitum præſtare poteſt, ut ſupponit minor Socini: jam verò privata perſona delicto læditur aut princeps Reipublic. aut aliqua perſona in poteſtate conſtituta delicto læſa eſſe poteſt: omnes etiam læſi eſſe poſſunt, quæ cauſa juriſconſultis, quod crimina nonnulla publica denominentur l. 4. *cod. de hæreticis.* quod ſi ergo omnis & quilibet læſus de jure ſuo poteſt cedere,

dere, ſine ullâ juris aut legum violatione, nulla erit ex præſcripto juris in Repub. pænarum neceſſitas. Quando Mag. jus alteri reddunt, poterunt ei non reddere ex conceſſione ejus cujus redditur ut ex Socini doctrinâ concluditur. Sic enim cap. im. lib. 3. de Servatore. *At verò ſi ipſa Reſpub. ei juri renuntiare velit & eo ſeipſam privare &c.* pag. 308. colum. dextra edit. D. Sibr. Lubberti. Atque ita contra rectum & honeſtum non erit, quod ad univerſos & ſingulos homines, ipſa Reipubl. fundamenta convellere, quæ ex ſententiâ Politicorum pænis ſublatis corruunt.

Magnum ſententiæ ſuæ præſidium in eo collocat Socinus, *quod peccata noſtra debita dicantur in ſacris*, id quamquam verum ſit, inde tamen evinci non poteſt, eandem eſſe juris rationem in pæna perſequendâ, in relatione ad eum, cui poteſtas puniendi ineſt, quam eſt juris ratio in exigendis debitis, in relatione ad creditores, quoad poteſtatem juris utendi vel non utendi, quod Socin. nomine debitorum probare hic intendit. Quis ſanæ mentis æſtimet, non majorem in ordine ad æquum & rectum neceſſitatem eſſe exequendarum legum & juris, quod circa crimina occupatur, quam juris & legum quæ de debitis civilibus, quæ circa hujus vitæ facultates & opes verſantur. In iſtiuſmodi debitis quà talibus, nunquam homo à juſtitiâ ad unum determinatur: nunquam cum rectitudine pugnat de jure crediti, ſub iſtâ ratione, quod eſt creditum cedere. Crellius ad iſtam Grotii rationem, *nunquam cum juſtitiâ*

ſtitiâ pugnare , de jure domini aut crediti cedere reſpondens pag. 198. *concedit id de illis bonis, circa quæ jus dominii ac crediti magis propriè verſatur: negat ſi debitum extendas ad honores & dignitates; in quo caſu ait interdum partim ob rerum ipſarum circa quas jus illud verſatur naturam, ac circumſtantiarum rationem , partim ob decretum contrarium , creditorem non poſſe de jure ſuo credere ;* Si ergo debita criminalia intelligit Socin. aſſumit quod eſt falſum , aut ſaltem quod eſt in quæſtione , quemlibet creditorem debita criminalia ſine ſatisfactione remittere poſſe. Quod ſi debitum accipiatur magis propriè , pro debito civili, quod circa hujus vitæ utilia verſatur , ad iſtiuſmodi debita exigenda , in quantum debita ſunt, nunquam homo à rectitudine determinatur: ſi quando turpe & inhoneſtum eſt, de jure crediti cedere ut objicit prædicto loco Crell. ex Grotio pag. 77. dicente. *Per ſe cum dicimus, ea quæ adſunt κατὰ συμϐεϐηκὸς excludimus , qualis eſt donantis indigentia* , tum hoc non ideo erit iniquum , quod ipſum debitū qua tale non exigitur; ſed quod contra æquitatem videatur, alteri dare aliquid cujus ipſe indigeas : Non immeritò interim dici poteſt, in tali caſu ſummam liberalitatem exerceri poſſe: talis enim ut Seneca ait lib. 1. de beneficiis , *paupertatis ſuæ oblitus eſt , dum meam reſpicit*. Cui conſonat illud Euangelii, *viduam pruperem amplius in gazophylacium conjeciſſe, quam omnes* Luc. 21. 3. Sed eo omiſſo ut ad rem redeam, conceſſo in hac remiſſione juris, iniquitatem eſſe, non naſcitur ex ipſa debiti

per accidens

biti

biti non exacti ratione, ſed aliunde ut dixi. Cum autem iniquum eſt interdum ex conceſſione Crellii debitum criminale non exigere, tùm exurgit iniquitas ex ipſâ debiti ratione, ut videri poteſt in exemplo, quod ad hanc rem affertur à Crell. pag. ſuperius citata, ita reſpectu Dei etiam, contumacia, multiplicatio, aut facta per alias res aggravatio peccati, quæ ipſam debiti rationem quam maximè conſtituunt, Crellio cauſa ſunt, cur iniquum eſſe poſſit Deum non punire. Sic enim ait pag 198. *Cum rectitudine quoque juſtitia interdum pugnare, de jure dominij aut crediti cedere: Id autem, inquit, duplici ratione fieri poteſt, partim ob rerum ipſarum, circa quas illud verſatur natutam ac circumſtantiarum rationem, partim ob decretum contrarium.* Subjungit poſtea *In noſtro autem negotio, utraque ratio locum habet, atque inprimis poſterior. Nam etſi pœna ſimpliciter atque abſolutè ſumpta ut cap. 1. diximus, non ſit ita comparata, ut eam juſtitiam omnino jubeat exigere, tamen non reſipiſcentes pœnâ non liberare, tum per ſe æquitati eſt admodum conſentaneum, & poſitis quibuſdam finibus, quos Deus ſibi in regendis hominibus præſixit, factu neceſſarium, præſertim tunc, cum inſignis eſt eorum contumacia, & animi malitia, quemadmodum ex ijs conſtat, quæ dicto loco, hac de re diſſeruimus; partim etiam ob hanc ipſam cauſam, decretum ea de re à Deo factum eſt.* Quapropter cum ea etiam delicta, quæ ex confeſſione adverſariorum, à Deo propter rectitudinem neceſſariò puniuntur, debita nihilominus dicuntur ut probat textus Mat. 18. v. 34 *Tunc iratus*

Dominus

Dominus ejus tradidit eum tortoribus, uſquequo redderet id omne, quod ſibi debebatur & Mat. 5. com. 36. *Nequaquam exibis illinc uſquedum reddideris ultimum quadrantem.* Nullum argumentum efficax ex nomine debiti, ad ejuſdem indifferentiam in exigendo deducitur. Præterea *ſtipendia peccati dicuntur pæna* Rom. 6. v. 23. Et Jacobus dicit *peccatum conſummatum mortem gignere.* Unde pænas peccati ejuſdem partus dici nihil impedit. Ut ergo ex nomine debiti concludit Socinus, peccatum puniri, vel non puniri poſſe; ita viciſſim ex vocibus ſtipendii & partus, quibus pœnæ peccatorum inſigniuntur, contrarium quis concludere poſſet, pænam nempe infligi à juſtitia neceſſariò, ut dux ex ratione juſtitiæ tenetur ad ſolvendum ſtipendium militibus propoſitum: aut pænam omnino naturali quadam neceſſitate peccato adhærere, quemadmodum fœtus gravidæ neceſſariò in lucem editur. Si verò hæ argumentationes ſint inefficaces ad poſitam concluſionem, nullum quoque argumentum à voce debiti deſumitur pro oppoſito. Denique quod ſi debitum, eo quod debitum eſt, ſimplici condonatione tolli poteſt, ſimiliter debitum obedientiæ non erit immutabilis ac neceſſarii juris; neque juſtitia divina omnino exigit ut ulla lex moralis præſcriberetur hominibus; aut ut ulla recti & honeſti conſcientiâ tangerentur homines; totum enim hoc merè arbitrarium & non in ipſâ immutabili rerum naturâ fundatum: nulli actus ex ipſâ natura rei honeſti, nulli pravi, Deo enim legem non ferente; ſed de jure ſuo

re ſuo remittente, nec illi honeſti, neque hi vitioſi fuiſſent: potuit autem legem non ferre, & hoc debitum obedientiæ non exigere, ſi verum eſt, Deum poſſe peccatum impunitum relinquere, quia debitum eſt, & unumquemque de ſuo jure, quantum velit ramittere poſſe, neminem ad jus ſuum perſequendum juſtitiæ vi per ſe adigi. Atque ita præſcriptum religionis, obedientiæ, juſti honeſtique diſcrimen non ex ipſâ Dei naturâ ſed à libero tantum voluntatis decreto, derivaretur. Hæc omnia qui affirmare præſumit, quomodo aliquid hominis habeat! His enim ſublatis, quæ Dei providentia, quod regimen hominis, quæ rerum humanarum cura Deo relinqueretur? quæ Dei ſupremi Rectoris majeſtas eſſet, ex qua ordo univerſitatis pendet, ubi ipſius gloria, quæ præcipuus operum ejus omnium finis; quid ipſa foret humanitas ſi honeſto non regeretur?

Secundo hujus cap. loco Socin. argumentum quoddam præcipuum oppoſitæ ſibi ſententiæ refellere aggreditur. Id verò eſt. *Dei juſtitiam omnino requirere, ut peccata puniantur, & pro ipſis ſibi ſatisfiat.* Id negat Socin. *Dicens nullam eſſe juſtitiam in Deo, quæ peccata puniri omnino jubeat, cui ipſe renuntiare non poſſit.*

Principiò ſupremo Dominio & poteſtati gubernandi Deus renuntiare non poteſt; hoc enim tam à Deo inſeparabile, quam ipſa natura & eſſentia Dei, per quam id eſt, quod eſt; Deum eſſe eſt quendam ſummum omnium rerum Dominum & moderatorem eſſe. Hæc certiſſimam continent veritatem aſſentientibus adver-

verſariis. Secundò dico, cum Deo ſupremum regimen & poteſtas gubernandi competat, non poteſt non rectoris partes obire, quemadmodum qui poteſtatem gubernandi in nave habet, gubernationis officio fungi, ratio recti omnino poſtulat: qui patriam in familiâ poteſtatem habet, qui regis in regno, poteſtate ſuâ uti oportet: non poteſt ergo non rector hominum eſſe Deus, alioqui omnia in ipſum non eſſent. Qui eſt cauſa rerum omnium, neceſſe ut finis ſit rerum omnium, naturâ Dei omnino ſic poſtulante. *Gloria Dei neceſſarius operum omnium divinorum finis Crell*, pag. 98. *Gloriam ſuam alteri non dat Dominus* Eſa. 42. neque poteſt hæc Deus, alioqui ſeipſum abnegaret: alteri non poteſt dare, ergo nec eâ ſe privare. Si enim ſeipſum eâ privare poſſet, nihil obſtaret alteri acquiri. Socinus aſtipulatur cum pag. 297. contra Wiek. ſcribit, *Deum ſeipſum demittere aut dejicere non poſſe*. A poteſtate ergo gubernandi in Deo neceſſarius proceſſus, ad actualem iſtius poteſtatis uſum. Smal. lib. de divinitate Jeſu Chriſti cap. 15. Ubi de regno Chriſti, probaturus Dominum Jeſum nunc regnum divinum habere, ſic ait. *Quomodo enim Dominus & Rex eſſet, ſi regnum non haberet, & ea, quæ ad regnum ſuum pertinent non procuraret. Poteſtne is Dominus appellari, qui nihil agit?* Agnoſcat ergo connexionẽ neceſſariam, inter dominium Chriſti & ejus actualem exertionem. Quod ſi verò Deus rectoris partis obit neceſſariò, ferendæ & ſanciendæ fuerunt leges in hoc regno. Juſtitiæ omnino hoc etiam

debebatur. Crellius audiatur cap. 2, reſponſ. ad lib. Grotii de ſatisfactione pag. 141. *Præcepto & pœnæ comminatione præcepto additâ, ad id quod volumus, faciendum adigimus: quod dum facimus, Rectorum partes, quatenus illæ in herum cadunt obimus.* Ferre ergo leges eſt rectoris partes obire. Atque adeo nemo cum laude rectoris partes obibit. 1. niſi aut ferat leges bonas & æquas, aut latas ſervari jubeat, quod idem eſt. Non poterit ergo non ſupremus ille Rector qui ſanctiſſimus & juſtiſſimus eſt, non ferre juſtas & ſanctas leges, naturâ ejus juſtâ & ſanctâ, omnino ita jubente fieri. Quod ſi Deus legem neceſſariò præſcribit, quia juſtus eſt, ex amore juſtitiæ, tum bonum præſcriptum amat neceſſariò; per conſequēs legis tranſgreſſio ſui diſplicentiam atq; odium etiam neceſſariò in Deo cauſat. Si enim amor juſtitiæ, neceſſariò fertur in bonum juſtitiæ, ſanè odium naſcitur neceſſariò quoque ex præſentiâ mali, bono amato contrarii, unde quoque peccans ob peccatum neceſſariò diſplicet Deo atque odio habetur. Hæc indiſſolubili vinculo cohærent. Quod ſi peccatum & peccator, neceſſariò ex ordine juſtitiæ divinæ diſplicent, atque odio habentur, non poteſt non hoc odium effectum parere; natura enim odii eſt, velle & facere malum ei, qui odio habetur, qui effectus ab ipſo odio non eſt ſeparabilis. Cum ergo hoc odium, ex amore juſtitiæ Deo inſit neceſſariò, effectus hinc neceſſariò exiſtit, qui eſt velle & inferre malum ei, qui odio habetur, quod cum ſit à Deo judice, injuriam ſibi peccato illatam,

vindi-

vindicante,pœnæ rationem habet; ac proinde pœna eſt neceſſarium juſtitiæ divinæ opus. Quod ſi Deus odio habens peccatorem,ex juſto odio atque irâ non puniret peccatorem neceſſariò,poſſet ei velle æternam vitam conferre, qui enim liberari poteſt à pœnâ & reatu mortis, ei etiam vita conferri poteſt. At contradicentia ſunt,Deum odiſſe peccatorem neceſſariò,ex vi juſtitiæ,& eidem velle ex amore ſalutem, ſine ullâ ſatisfactione. Ex his hactenus allatis,non tantùm planum fit,quędam peccata eſſe talia, quæ propter enormitatem ſuppoſito decreto Dei eâ de re facto, ut eſt irreſipiſcentia & in peccatis contumacia, impunita relinqui non poſſit ſine juſtitiæ læſione, ſed ipſum peccatum ut ſic, nullâ habitâ contumaciæ ratione, Deo ex vi naturalis juſtitiæ,puniendum eſſe;idque non tantùm propter promulgatum eâ de re decretum, aut comminationem factam; ſed ipsâ naturâ Dei ſic poſtulante; quæ cum juſta ſit, non tantùm obligatur ad executionem decreti facti; ſed naturali ac neceſſario ſolæ rectitudinis impulſu, ad tale decretum faciendum movetur.

Crell. pag. 98. 198 Socin. cap. im. lib prim de Servatore.

Secundò probatur peccatum non poſſe impunitũ relinqui, ratione juſtæ naturæ divinæ, aut non poſſe condonari ſine ſatisfactione, ex impreſſâ conſcientiæ vi, quam ſi tollas ab homine,non multùm à beſtiis diſtabit,eſt principium concreatum homini quà tali. Illa Dei repræſentativum numen quoddam eſt,ejuſque in terris vicarius. Naturæ Dei indelebilis imago, Illa rectæ rationis ſcintilla: bonorum

malorumq; facinorum judex index, *codex eſt* ut Anſelmus ait, *in quo quotidiana peccata conſcribuntur*. Iudicis officio neceſſariò fungitur, unuſquiſq; enim animum ſuum, ſeverum judicem ſui, ultorem ſceleris, & vindicem criminis habet: cædit illa aſſiduo & ſurdo verbere: unde pœnam *injuriæ coætaneam* dicebat Heſiodus. Innatum & agnatum omni peccato ſuppliciũ. Nihil in vitâ ſecurum ſolutumque eſt aut eſſe poteſt, præter innocentiam, ab omnibus gentibus δικαίωμα illud Dei agnitum Rom. 1. 32. in hac ſyntereſi univerſalis gentium conſenſus eſt; Malum perpetrantes Gentiles, ubi nullus humanæ iræ metus, cæco illo & tacito verbere ſe percuſſos ſenſerunt. *Quorum mentes ſi recludantur*, ait Tacitus, *poſſint adſpici laniatus & ictus, quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis, animus dilaceretur*. Manet impreſſus imminentis ſupplicii terror, nec tollit ſe umquam ab oculis imago luridæ mortis. Injuriam patientes ſe τοῦ Θεοῦ δικαιώματος ἀνταποδόσει ſunt ſolati: conſcia mens ut cuique ſua eſt ita concipit intra Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo. Quemadmodum ergo conſcientia eſſentialem & intrinſecam illam vim ſuam, per iſtiuſmodi actus explicat, & jus ſuum perſequitur, de Deo aliter, cujus illa radius & imago, cogitare non poſſumus. Dei judicium in cœlis conſonat judicio conſcientiæ in terris, & ut ſe habet conſcientia, in judiciario proceſſu, ita & Deus: de quâ re ita Apoſtolus Paulus Rom. 2. com. 14. 15. *Nam quum gentes, quæ legem non habent, natura quæ*

legis

legis ſunt faciant, iſti legem non habentes, ſibi ipſis ſunt lex, ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, una teſtimonium reddente ipſorum conſcientiá, & cogitationibus ſeſe mutuò accuſantibus aut etiam excuſantibus, in die quo judicabit Dominus, de latebris hominum ex Euangelio meo per Ieſum Chriſtum.

Tertio probatur aſſertio oppoſita, *neceßariã nimirũ eſſe ſatisfactionem*, Quod ſi mera miſericordia omnẽ peccati vim tollere potuit; inutile & infirmum non fuit Leviticum ſacerdotium, ad hominem conſummandum, & ſanguis taurorum & hircorum auferre potuiſſet peccatum, Deo id ex merâ miſericordiâ ita ordinante. At Leviticum ſacerdotium fuit inutile & infirmum, ad hominem perficiendum & ſanguis taurorum & hircorum non potuit auferre peccatum, ergo.

Quartò datur ſatisfactio expiatoria, quod poſtmodum Deo adjuvante probabitur, ergo fuit neceſſaria, naturâ rerum ex ordine juſtitię ſic poſtulante; docet id nos Apoſtolus, cum dicit Hebr. 7. v. 11. *Porro ſi conſummatio per Levit. ſacerdotium erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc opus, aut neceſſarium fuit ſecundùm ordinem Melchiſedec alium ſurgere ſacerdotem.* Vides novum & æternum ſacerdotium dari; quia planè neceſſarium fuit, ad expiationem peccatorum: iſta verò non ex Dei miſericordiâ, ſed juſtitiâ oritur neceſſitas.

Quintò peccatum ſine ſatisfactione impunitum dimitti non poteſt, quia obſtat veracitas Dei, qui legem tulit & promulgavit, de ir-

rogandâ pœnâ & maledictione peccatoribus quibuſvis. Socinus ſuperiori cap. confeſſus, Deum peccato neceſſariæ mortis pœnam ſtatutiſſe: hanc pœnam Deus, tum lege ſcriptâ, quam verbo ſuo expreſſit, tum lege non ſcriptâ, quam naturæ & conſcientiis impreſſit, promulgavit, hæc obligatio ad pœnam, vim perpetuam habet reſpectu omnium & ſingulorum hominum: nam etſi verum eſſet, de quo nunc non eſt differendi locus, expreſſam illam Moſaicæ legis ſanctionẽ ſub N. Fœdere abrogatam eſſe, poſtquam Deus, id quod ſub Euangelio factum eſt, ſanxit, ut omnes quotquot in Chriſtum credunt ac reſipiſcunt, in æternum ſerventur, contra ii demum in æternum peccant, qui in Chriſtum non credunt, aut non reſipiſcunt, obrogatum inquam eſſe ſanctioni illi legali, qui omnes in univerſum, qui legem tranſgreſſi fuiſſent, morti æternæ addicit, tamen etiam fatente Crellio pag. 219. *Verum eſt, eam ſanctionem, quatenus cum naturæ ſanctiône, quam excitavit, evolvit, ac velut animavit, coaluit, atque ita animis hominum ac conſcientiis inſculpta eſt, hodie quoque durare videri, & eos qui peccant, æternæ mortis pœnâ dignos eſſe, inquit, arguit & convincit.* Hæc pœna revera durans adhuc, ſtipendium enim peccati mors, & peccatores ut ſic, non tantùm digni pœnâ: hoc eſt puniri poſſunt, ſed per peccatum condemnationi revera obnoxii Rom. 3. com. 19. Juſtificatio gratuita hodie non tantùm liberat à pœnâ mortis æternæ, quatenus homo ob peccatum ei ſubjici potuit, ſed quia revera ex legis

gis ſententiâ obnoxius; hoc enim ratione omnis ævi, immutabilis & perpetuæ veritatis; *ex operibus legis nullam carnem juſtificari, quia per legem agnitio peccati* com. 20. Sed in viam redeo. Cum itaque Deus pœnam mortis peccatori ſit comminatus, atque de eâ infligendâ edictum promulgaverit, juſtum autem ſit Deum in dictis ſuis, promiſſionibus & minis veracem eſſe, impunitatem delicti veracitas ferre non poteſt. Quod ſi ex minis Dei, non ſit certus pœnæ metus, ſpes etiam reſtet veniæ incredulis poſt latam Euangelio legem in æternum perituros, qui in Chriſtum non credunt. Cauſæ etenim iſtarum comminationum relaxandarum excogitari poſſunt, non tantùm irreſipiſcentiæ decreta eſt pœna, ſed & peccato ſimpliciter Socin. cap. 15. Prælect. 72. Si ergo hoc decretum revocatum, etiam prius nequà tale effectum neceſſarium non parit. Neque firmâ ſatis baſi nititur credentium fides, cum fides promittentis fallere poſſe videatur, ubi nulla veracitas comminantis. Neque Dei, qui mentiri neſcius, veritas magis in promittendo quam in comminando periclitatur. Itaque ex vi hujus virtutis veritatis, in utroque naſcitur obligatio faciendi quod dictum eſt, ſive ita faciendi ſicut dictum eſt. Dicat quis promiſſione jus acquiri ei cui promittitur, in bonum promiſſum? Id verum eſt. Si quis tamen diligentius paulo expendat Socini rationes, propter quas putat peccatum condonari poſſe, nullâ verâ ſatisfactione interveniente, iiſque aſſenſum præbeat ſuum, facilè in eam

prolabetur ſententiam, Deum poſſe ſalvâ juſtitiâ, eo jure non obſtante, non dare rem promiſſam: ut enim poteſt jure ſuo non uti, in infligenda pœnâ quam comminatus; ita etiam jure ſuo uti in non dando rem quam promiſit. Ejus ſola voluntas, cum de ipſius jure tantùm agatur, omnium rerum lex eſt & perfectiſſima norma. Dico dici ſic poſſe, Deum poſſe jure ſuo non uti, in non dando rem promiſſam, quia utut promiſſione jus quoddam acquiritur ei, ad quem pertinet promiſſio, Deus nihilominus tanquam abſolutus rerum omnium Dominus, jus ſibi ſervat, in rem illam promiſſam imò jus habet in jus illud, quod acquiſitum intelligitur ei, cui facta promiſſio, itaque in promiſſione de ipſius etiam Dei propriè dicto jure agitur: quod ſi ergo hęc juris divini ratio ſolvit legem comminantem, etiam promittentem. Deinde ſi Deus ſalvâ veritate promiſſiones ſuas poteſt reſcindere, totum illud jus ex promiſſione acquiſitum, caducum eſſe poteſt atque evaneſcere, poteſt autẽ reſcindere, ſi non poteſt eſſe verax. At hoc non poteſt, & propterea ejus vis tam in promiſſione quàm in minis explicari debet.

Habitu. Sexto probatur theſis oppoſita ex relativâ poteſtate judiciali & σχέσει quâ Deus ſe habet ad homines, hoc eſt: tã eſt judicis à Deo inſeparabile officium judicis, quã gubernatio mundi, & rerum humanarum cura, Gen. 18. 25. *An judex totius terræ non exercet jus?* officium hoc ſupremi judicis, partim criminalibus judiciis occupatur, quę delicta eorumq; debitas pænas perſe-

perſequuntur partim iis,quibus pręmia decernuntur ob rectè facta. Jam verò *judex ut judex tenetur imponere pœnam ordinariam delicti*. l. 2. verſic. 1. cod. de abolit. cujus verba ſunt. *Sed adverſus nocentem rerum inquiſitione factá, pœna competens ingeratur*. Ita etiam textus *in l.4. verſic. mandatis ff. ad legem Jul. peculatus, prout quiſque deliquerit animadvertent*. Ergo ſi judices eum abſolvunt, qui ex legibus ad pœnam tenetur, jus non dicunt, non reddunt,actus judici competentes nõ exercent. Deus *judex* eſt qui ſibi leges tulit quodammodo, præſtitutis pœnis ſancitas, quibus ſe in officio *judicis* aſtrinxit,unde in omnium perſonarum cauſis & factis omnibus, dicitur pronuntiaturus ſecundum opera uniuſcujuſque & leges in verbo ſuo latas Matt. 16. com. 16. *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſervabitur, qui non crediderit condemnabitur*. Rom. 2. còm. 16. *in die quo judicabit de latebris hominum ex Euangelio meo per Jeſ. Chriſtum* Apocal. 20. 12. At occurrit Socin. lib. 3. de Servatore cap. im. *Deum in hominibus vel puniendis, vel abſolvendis, non tanquam judicem aliquem ſtatuendum eſſe, qui de alieno jure agit, cuique non licet à legum præſcripto recedere; ſed tanquum Dominũ & principem, cujus ſola voluntas, cum de ipſius jure tantum agatur, omnium rerum lex eſt & perfectiſſima norma*. Verum id argumenti facti vim diſſolvere non poteſt,malè in Deo hæc opponuntur,eum Dominum & principem eſſe, cujus ſola voluntas omnium rerum lex & perfectiſſima norma, & judicem eſſe cui à legum præſcripto recede-

 re non

re non liceat; ea enim voluntas, quam legem & normam rerum eſſe voluit, legibus expreſſit, & eſt Dominus & princeps, qui totius mundi ſupremus judex eſt, ad cujus tribunal omnes omnium cauſæ viduarum, pupillarum, & eorum omnium, quibus in terris judicium non datur, devolvuntur, proinde ille Dominus & Princeps ſanctiſſimus juſtiſſimuſque judex, à legum præſcripto ſalvo honore & dignitate judicis recedere non poteſt. Judicis eſt non voluntatem ſuã legibus opponere, ſed velle quod volunt jubent leges, hoc etiam Domini & principis eſt. Bene Panegyriſtes de Theodoſio. *Idẽ es qui fuiſti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat.* Quamquam autem terreni principes poteſtati Dei ſubjecti ſunt, ac propterea ejus legibus ſubditi. Deus autem ſupremus Princeps ac ἀνυπεύθυνος ſibi tamen per naturam lex eſt, quam abrogare non poteſt quin ſeipſum abneget. Quod verò hic ſimul ingerit, *Deum non ſtatuendum ut judicem, de alieno jure, ſed tanquam Dominum & principem de ſuo jure agentem*, ad id dico Deum dici poſſe non de ſuo tantum, verùm etiam de alieno jure agere. Quamquam in peccatis contra proximum in ipſum Deum peccatur, nihilominus quando homo hominem lædit, homo ab homine injuriâ afficitur, neque alter alteri tribuit quod ſuũ ex divinâ conceſſione; ac propterea Scripturæ Deum nobis ſępiſſimè proponunt ut judicẽ in alienâ cauſâ, qui inter partes læſam & lædentem pronuntiat Pſalm. 9. com. 5. *Nam exercuiſti jus meum & cauſam meam, ſediſti in ſolio*

Rationi reddendæ non obnoxius.

vindex

vindex juſtitiæ. Pſalm. 146.7, *Qui exercet judicium erga oppreſſos.* Jerem. 51, com.36. *Ecce ego confecturus ſum cauſam tuam, & ulturus ultionem tuam.* Conſonat iſta? Apocal. 6. com. 10. *Uſquequo Domine; qui ſanctus & verax non judicas ac vindicas ſanguinem noſtram, ab iis qui habitant in terrâ?* Apocal. 28. 20. quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de ipſâ.

Subdit porro, *eam juſtitiam, quam nos appellare ſolemus, quæ non niſi in puniendis peccatis conſpicitur, divinas literas nomine iſto nequaquam dignari.* Idem voluit cum ſcriberet cap. 1. lib. im. de Servatore, *eam rem, quæ ad Deum relata miſericordiæ opponitur, juſtitiam á ſacris Scriptoribus non appellari.* At hæ poſitiones Prælectoris, refelluntur iis Sacrorum Scriptorum locis, in quibus juſtitia vindicativa, quæ non niſi in puniendis peccatis conſpicitur, generali juſtitiæ nomine appellatur, atque ita res iſta quæ miſericordiæ opponitur, hoc eſt res iſta, quæ tantum vindicat, generaliori nomine juſtitiæ indicatur. Apocal. 17. com. 5. *juſtus denominatur Deus* à juſtitiâ vindicativâ. mox. verſ. 7. *dicuntur juſta Dei judicia,* judicia tamen juſtitiæ punitivæ intelliguntur. Cum Paulus dixit. *juſtum eſſe, afflictionem reddere iis qui affligunt,* juſtitiam expreſſit ut miſericordiæ oppoſitam 2. Theſſ. 1. 6. Apocal. 19, v. 11. ab actu juſtitiæ punitivæ Chriſtus *juſtè judicare dicitur,* & ab hac *juſtum judicium impiorum.* Rom. 3, 8. *& orbis terrarũ in juſtitiâ judicandus* Act. 17. 31. aſtipulante Crellio pag. 100. *dies juſti judicij* Rom. 2. 5, dicitur dies, in qua juſtitia puniti-

va &

va & quatenus exercebitur. Nam dato juſtum Dei judicium non tantum ad pænæ retributionem, verum etiam ad præmii perſolutionem extendi, id tamen noſtram probationem, quam impræſentiarum facimus ex hoc loco non enarvat; ſufficit enim ad hanc noſtræ probationis vim, eam rem quæ miſericordiæ opponitur, juſti judicii nomine inſigniri; & ex uſu ſacrarum literarum juſtitiam vindicativam juſtitiæ nomine inſigniri. Ne de eo nunc quicquam dicam vero propius videri, hoc juſtum judicium ad pænam tantum & iram Dei, & non ad bonorum operum retributionem, ex Pauli ſcopo referendum eſſe; adducit enim hæc Paulus ad incutiendum terrorem peccatoribus impiis reſipiſcere neſciis, Nec probat Crell. dicto loco reſponſionis, quamquam ſatis confidenter Grotium in eo vehementer falſum dicat, quod hæc pro eodem accepit. Hoc juſtum judicium ad præmii perſolutionem à Paulo extendi, quod ex Pauli verbis non evincitur, qui tantum de Deo dicit, *redditurum unicuique ſecundum opera bonis immortalitatem & vitam, malis afflictionem & anguſtiam.* Interim fateor, cum expreſſa ſit mentio miſericordiæ, tum oppoſitum ejus, non juſtitiæ nomine, ſed ſeveritatis aut iræ exprimi Rom. 9.22.23. Rom. 11.22. omitto quod hoc non faciat ad quæſtionem propoſitam, an peccatum condonari poſſit ſine ſatisfactione.

Adjicit hanc juſtitiam, quæ non niſi in puniendis peccatis conſpicitur *ſeveritatem, vindictam, iram, furorem, indignationem*, & aliis nominibus

minibus appellari. *Severitatis vocabulo* Paulus uſus ad Rom. 11. com. 22. Hæc virtutem notat, per quam pæna ex rigore juris infligitur. Vindicta non eſt juſtitia quę punit, ſed effectus juſtitiæ vindicativæ. Ira furor indignatio ut ſic, non dicunt virtutem elicitivam pœnæ propriè & formaliter; ſed per modum affectuum tantùm conſiderantur, & concipiuntur debitam rectitudinem accipere à juſtitiâ ut virtute moderatrice. Aliud juſtitia punitiva, aliud ira. Per iram ut ſic non apprehendimus hanc virtutem juſtitiæ & contra. Sic per juſtitiam ut ſic, non apprehendimus miſericordiam. Per miſericordiam quà talem non intelligimus juſtitiam; aliud eſt juſtitia, aliud miſericordia, quamvis non iniqua ſed juſta miſericordia; à propriâ tamen & formali ratione juſtitiæ actus miſericordiæ non elicitur. Etenim ſingulæ proprietates divinæ, ut à nobis concipiuntur, præſcindunt ab omni aliâ perfectione, quapropter in eſſentiali ratione juſtitiæ ut ſic conceptæ non includuntur cæteræ proprietates, par ratio de cæteris, hæc in trivio apud Scholaſticos & Metaphyſicos ſunt poſita ubi de habitudine attributorum divinorum inter ſe & ad eſſentiam divinam.

Quarto reprehendit ſcriptores illos, *qui hanc juſtitiam punitivam putarunt eſſe perpetuam Dei qualitatem, eamque infinitam eße dixerunt. Si inquit id verum eßet, neceßefuturum, ut Deus infinitè ſeverus, & ultor eſſet, nec unquam peccata condonaret, contra id, quod de ipſo Sacræ litteræ paſſim prædicant ut* Exod. 34. 6. 7. Num. 14.

18.19.

18. 19. In Deo aliquid verò reſidere Dei qualitatem aut proprietatem eſſe, ut loquitur l. 1. de Servatore cap. im. aut perpetuam Dei qualitatem eſſe ut hîc, æquipollent Socino, & pro certiſſimo habet axiomate, *quæ ita Deo inſunt, in omni Dei opere reperiri*. cap. im. lib. 1. de Servat. *nihil a Deo fieri, quod ejus juſtitia expers eſt, quæ in Deo verò reſidet, & qualitas ſeu proprietas ejus eſt* cap. im. lib. 3. *Quod autem juſtitia iſta (punitiva nempe) in Deo non reſideat, præter ea, quæ ſupra à me diſputata ſunt, ex eo maximè apparere poteſt, quod ſi ea in Deo reſideret, nunquam is, ne minimum quidem delictum cuiquam condonaret. Nihil enim unquã facit aut facere poteſt Deus, quod qualitatibus, quæ in ipſo reſident, adverſetur. Exempli cauſa cum in Deo ſapientia & æquitas reſideat, nihil unquam inſipienter, nihil iniquè facit aut facere poteſt*. Rurſũ poſtea de rectitudine & æquitate loquens ait: *Hæc verè in Deo reſidet, & in omnibus ejus operibus valde conſpicua eſt*. Habet ergo ut dixi, pro certiſſimo axiomate, quæ Deo inſunt in omnibus ejus operibus conſpicua eſſe. Nihil poſſe Deum quod qualitatibus ejus adverſetur. Divinarum proprietatum effectus quoſvis eſſe neceſſarios. Quæ Deo ſic inſunt infinita & non terminata vocat cap. im. l. 3. de Serv. Ex hiſce impreſſis ſibi axiomatis, hanc format conſequentiam. Si juſtitia perpetua Dei qualitas, neceſſe futurũ, ne unquã peccata condonaret.

Antequam ejus vim pro meo modulo librem: dico axiomata illa, quæ aut expreſsè in verbis ejus leguntur; aut evidenti ratiocinatione

tione ex iis educuntur, probationem requirere, neque tutò ſeponi poſſe. *Primò non rectè ſtatuitur, Dei quas explicat proprietates in omnibus Dei operibus reperiri.* Sunt quædam proprietates, quæ ad quodvis objectum divinorum operum non extenduntur ut juſtitia punitiva, & miſericordia: Objectum illius peccatum eſt; hujus miſeria, cui creatura per peccatum obnoxia facta eſt. Ita ira quæ eſt appetitus vindictæ & affectus depulſionis, in actu primo conſiderata, in Deo reſidens, habet objectum ſuum ſpeciale & determinatum. Non aliter ſpes, odium, cereraque quæ per modum affectuum in Deo conſiderantur remotâ imperfectione. Ita & virtutes iræ & pœnarum moderatrices, clementia, manſuetudo, longanimitas, ſpeciale & determinatum objectum habent. Hi autem affectus & virtutes perpetuæ in Deo in actu primo: Actus enim ſecundus ſupponit actum primum. Affectus homini perpetuò inſunt, quamquam actus affectuum non perpetui. Perfectio actuum virtutis, quæ ſanè ſumma in Deo, ſupponit habitus. Secundum Prælectoris axioma eſt, *nihil poſſe Deum facere, quod qualitatibus, quæ in ipſo reſident adverſetur.* Diſtinguo non poſſe facere Deum, quod qualitatibus in ipſo reſidentibus adverſetur. Si ita adverſetur, ut ſalvis & illæſis in Deo qualitatibus fieri non poſſit; aut natura proprietatis talis ſit, ut omnino exprimi debeat eo opere; Quod ſi verò intelligatur, adverſari alicui qualitati, aut proprietati divinæ, quia natura iſtius qualitatis iſto opere non

non exprimitur; tum nego nihil facere Deum, aut nihil poſſe facere, quod qualitatibus,in ipſo reſidentibus adverſetur. Non poteſt potentia divina, naturæ ejuſque attributis contrariari, hoc eſt non facere, quod natura & attributa fieri non permittuut. At poteſt potentia facere aliquid, quod naturam alicujus proprietatis non exprimat, imò oppoſitum ejus contineat. Exempli gratiâ immenſitas eſt naturæ divinæ proprietas, entia tamen à Deo producta non ſunt immenſa ut Deus, imò nullum. Deus inviſibilis produxit viſibilia. Deus eſt naturæ ſpiritualis, molis corporeæ expers, eſſentias tamen corporeas produxit. Immutabilis produxit mutabilia,ſimplex compoſita, infinitus finita, idque ex neceſſitate naturæ, aliter enim non potuit niſi è diametro oppoſita hic producere. Tertium eſt, *divinarum proprietatum effectus quoſvis eſſe neceſſarios*. Id verò nego univerſaliter verum eſſe. Sed hæc copioſius refellere non eſt opus. Quamquam ſapientia Euangelio revelata, eſt effectum liberum; tamen ejus ſapientiæ effectum, quæ naturaliter in Deo reſidet, ita & de juſtitiâ ſentiendum. Quamquam autem hæc germana Socini videantur, ſecus tamen perſuadet Crell. qui præceptoris ſui ſententiam nobis accurratius exponens ait pag.293. *Nuſquam dixiſſe Socinum, quoſvis proprietatum Dei effectus eſſe neceſſarios, nec quarumvis; ſed quicquid dixit, inquit,ex quo id colligi poſſe videatur,eò redit, ut intelligatur,eos effectus divinarum proprietatum, ſeu attributorum naturaliter in ipſo reſidentium,*

dentium, ad quos eum, proprietates iſtæ per ſe ac ſimpliciter impellunt, circa ſuum objectum eſſe neceſſarios. Sit ita, quamquam Socini à nobis allata longè aliter tinniunt. Non ergo pœna peccati eſt neceſſaria, quia juſtitia eſt perpetua qualitas in Deo; cum aſtipulante Crellio, non quivis proprietatum divinarum effectus ſint neceſſarii nec quarumlibet; ex aliis itaque cauſis, hæc neceſſitas oritur, quas ſupra retulimus. Neque verò infringitur hæc juſtitiæ neceſſitas, eo quod Deus in ſacris literis paſſim prædicatur tardus ad iram, multus miſericordià eſſe, & peccata condonare: ſalvat enim miſericordia, ſalvâ juſtitiâ & illæſâ juſtitiâ Deum miſericordem eſſe, nihil eſt quod prohibet.

Quod ſubdit, conceditur, *propriam Dei qualitatem, eam Dei miſericordiam eſſe quæ iſti juſtitiæ opponitur*, minimè tamen ex eo propterea effici poteſt, actum miſericordiæ per peccatorum condonationem neceſſarium eſſe; aut ſi non eſt neceſſatia condonatio, miſericordiam tum qualitatem Dei propriam non eſſe; vel eam miſericordiæ ad ſuum actum habitudinem eſſe, quæ eſt juſtitiæ ad ſuum. Horum omnium veritas perſpici poteſt, ex iis, quæ huc uſq;, de juſtitià divina, & naturà proprietatum divinarum, eorumque, quæ naturaliter in Deo reſident, à me diſputata ſunt. In eo quidem conveniunt juſtitia & miſericordia; quod ut juſtitia ratione decreti & veritatis divinæ neceſſaria, ita & actus miſericordiæ, ex ſuppoſitione decreti, & promiſſionis divinæ veritatis, attamen iſtis ſepoſitis, non neceſſitat ipſa pro-

prietas miſericordiæ ad remittendum, quemadmodum juſtitia ad puniendum; oſtenſum enim arbitror in argumento primo à nobis facto, neceſſitatem actuum hujus proprietatis circa objectum ſuum, ex ipſâ naturâ, & conſtitutione rei, quę ab ipsâ inſeparabilis deduci. Talem verò actuum miſericordiæ, per condonationem gratuitam, habitudinem ad Deum eſſe, demonſtrari non poteſt. Condonationem gratuitam peccati reſpectu miſericordiæ neceſſariam non eſſe, ex malorum angelorum exemplo, eſt manifeſtum, quos hac remiſſione gratuita non eſt dignatus Dominus. liber effluxus miſericotdiæ nobis revelatus in ſc. ejus libertatis & diſcriminationis à juſtitia ratio interim ignorari poteſt. Egreſſa eſt miſericordia circa homines non angelos, quā inſcrutabilia ſunt judicia Domini? In omni ſcientia imprimis Theologiâ alicubi ſubſiſtendum, ubi quieſcat ratio non evidentiâ veritatis inſpectę ſed altitudine veritatis occultæ eum abyſſum inſpicimus, ne vertiginē patiamur oculos claudimus aut avertimus. Quod ſi quis hic aliquam gratiæ aut benignitatis & juſtitiæ divinæ convenientiam requirat dici poteſt benignitatem remunerantem ex cujus vi Deus beneficit bonis, hac in parte cum juſtitiâ punitivâ comparari poſſe.

CAP.

CAP XVII.

Deum nullâ verâ ſatisfactione acceptâ nobis peccata condonare voluiſſe.

SEquitur, ut Deum, nullâ verâ ſatisfactione acceptâ, peccata noſtra nobis condonare voluiſſe, oſtendamus, qua in re diligentiùs paulò verſandum erit, quandoquidem in ea vis præcipua totius diſputationis conſiſtit.
Primùm igitur, etiam ante Jeſu Chriſti adventum, ab ipſo ferè orbis initio, Deum, nulla vera ſatisfactione accepta, peccata condonare conſueviſſe docebimus. Deinde, id per Chriſtum eum feciſſe demonſtrabimus. Veram autem ſatisfactionem ubique nomino, quia nihil dubito, quin Deus ab iis quibus peccata ignovit, ſemper aliquid requiſierit, ſive aliquid in ipſis eſſe voluerit, quod ſatisfactionis cujuſdam loco cenſeri poſſit. Id autem breviter nihil aliud eſt, quam vitæ puritas atque innocentia, eaque vel jam præſens, cum errata committuntur, quæ ignoſci debent, vel ipſa errata ſubſequens. Aut enim errata, quæ ignoſcuntur, lapſus quidam ſunt & ignorantiæ, hæcque errata cum ipſa vitæ puritate atque innocentia conſiſtere queunt, ut alibi (Deo dante) uberiùs explicabimus: aut iniquitates ſunt atq; ſcelera, hæcque vitæ puritatem ac innocentiam planè excludunt, ſed ſi pro iis vitæ puritas atq; innocentia ſuccedat, condonantur à Deo quemadmodum ſuperiora illa errata, propter

ipſam jam præſentem à Deo ingnoſcuntur. Hujuſce rei ſpecimen, in primo quod ad antiquam iſtam liberalitatem Dei in peccatis condonandis comprobandam teſtimonio atque exemplo ſtatim proferemus, intueri licet.

Abel Deo charus fuit, ob idque, ſi quid peccavit, neceſſe eſt, ut illi condonatum a Deo fuerit. Cur vero? Num propter ſatisfactionem aliquam veram, quam vel ipſe, vel alius pro eo jam Deo exhibuiſſet, aut olim exhibiturus eſſet? Nihil minùs. Teſtatur enim auctor ad Hebræos cap. 11. 4. fide illum juſtum fuiſſe, quam fidem deinde explicans ait v. 6. illam eſſe, *Credere, quòd Deus ſit, & ſe inquirentium ſit remunerator.* Ex hac autem fide neceſſariò vitæ puritas atque innocentia proficiſcitur. Qui enim Deum, ſe quærentium, id eſt, ſibi obedientium remuneratorem eſſe, ex animo credit, illi etiam obedit. Qui autem Deo obedit, is demum purè atque innocenter vivit. Atque hæc cauſa eſt, cur fides nos Deo acceptos faciat, quemadmodum alibi nobis explicandum erit. Itaque Abel, ob vitæ ſuæ puritatem atque innocentiam, (nam & Chriſtus eum juſtum nominat, Matth. 23. 35. & Johannes Apoſtolus ejus opera juſta fuiſſe tradit, 1. Ioh. 3. 12.) ignorantiarum & lapſuum ſuorum, ſi quibus, ut veriſimile eſt, obnoxius interim erat, veniam à Deo eſt conſecutus. At verò Cain, etiam antequàm Abelem occidiſſet, malus erat, & propterea Deo inviſus, & coram ipſo abjectus, & tamen Deus illi dixit, ſi benè egiſſet, futurum ut acceptus eſſet atque extolleretur,

idque

idque per interrogationem, *Nonne ſi benè egeris* [erit] *elatio?* Gen. 4. 7. Quæ interrogatio oſtendit planè veriſimile eſſe, naturamque ipſam docere, Deum iis, qui ſceleribus relictis purè atque innocenter vivunt, ea ſcelera liberaliter condonare. Atqui ejuſdem liberalitatis divinæ, quâ ſcelera ipſa, ſi vitæ emendatio ſucceſſerit, condonantur, apertiſſima alia teſtimonia atque exempla in vetere ipſo Teſtamento extant. Nam præter ea, quæ de Deo in hanc ſententiam ſcripta ſunt ſupra citatis locis, Exodi 34. 6. 7. & Num. 14. 18. 19. eam liberalitatem divinam pollicetur apertè Moyſes populo, Deu. 4. 29, 31. & 30. 1. 2. 3. 4. 8. 9. &c. eamque reipſâ præſtitam fuiſſe, cùm ipſa ejuſdem populi hiſtoria docet, tùm diſertè teſtantur atque ſæpiùs inculcant Levitæ, in precatione illa ad Deum, quæ ſcripta eſt Nehem. 9. Ezech. autem 18. & 33. quid aliud agit Deus, quàm ut populum ad vitæ emendationem invitet, promittens fore, ut ei omnia præterita ſcelera condonet? Hieremias quoque capite 3. 14. 15. 22. & 4. 1. 2. 3. &c. idem ajentem Deum inducit. Breviter omnes Prophetæ ejuſmodi divinæ liberalitatis teſtimoniis abundant. Quid hic Davidis hac de re ſententias commemorem, deque Dei bonitate in peccaris illorum qui ipſum timent ignoſcendis, teſtimonia recitem? An non ſolus Pſalmus 103. pro infinitis teſtimoniis eſſe poteſt? Quid, quòd Deus in ipſo V. Teſtam. etiam ſententiâ latâ de aliquo perdendo, eam propter ſupervenientem pœnitentiam revocare eſt ſolitus?

 litus?

litus? Legatur, præter vulgata illa exempla
Jonæ 3.&4. Ninivitarum & Ezechiæ Regis, id quod de
2. Reg 20 2. Paralip. 32 Eſa. 38. Achabo ſcriptum eſt 1. Regum 21.27.28. qui ſola dejectione ſua coram Deo, & iræ divinæ formidine potiùs quàm verâ aliquâ pænitentiâ effecit, ut Deus jam latam contra ſe ſententiam ex parte revocaverit. Verùm, quid exemplis agimus? cùm Deus per Hieremiam Prophetam cap. 18.7.8. ejuſce rei regulam tradat, & decretum quoddam promulget, inquiens, Cum civitati alicui ipſe minatus fuerit malum, ſi civitas illa ſuorum ſcelerum pœnitentiam agat, ſe quoque mali, quod minatus fuerit, pœnitere. Nec verò ut à quibuſdam fit, exoticis explicationibus corrumpendi ſunt hi & alii ſimiles loci, & aliter atque ſonant accipiendi, ne ſcilicet Deus mutabilis eſſe credatur. Neque enim, cum Deus ſententiam revocat, ipſe mutatur, ſed is, contra quem lata fuerat. Imò, niſi eam Deus revocaret, tunc ipſe mutaretur, cùm jam conſtituerit reſipiſcentibus veniam dare. Et hæc ſatis eſſe poſſunt, ut oſtendatur, etiam ante Chriſtum, Deum peccata, nulla vera ſatisfactione accepta, hominibus condonâſſe.

3. Patet igitur ex ſupradictis, Deum ab ipſo fermè orbe condito, peccata hominibus liberaliter condonare conſueviſſe, nulla pro ipſis à quoquam vera ſatisfactione accepta. Nam ſi quis dixerit, etiamſi in exemplis ac teſtimoniis à nobis prolatis, nulla veræ ſatisfactionis mentio fiat, intelligendum tamen eſſe, propter Chriſti futuram ſatisfactionem, Deum peccata

jam

jam tum condonâſſe. Primùm, iſta de re nihil prorſus uſquam apparet, humanumque omninò commentum eſt, ut ex infra dicendis apertè conſtabit. Deinde, ex ipſis locis eorumque circumſtantiis ſatis conſtat, rem aliter ſe habere. Vidimus jam de Abele, qui ſine dubio idcircò Deo charus fuit, & lapſuum ſuorum veniam ab ipſo adeptus eſt, quòd fide eſſet prædi-tus, id eſt, Deum ſe quærentium remuneratorem eſſe crederet, ob eamque cauſam illi obediret, adeò, ut opera ipſius *juſta* fuiſſe teſtentur Sacræ literæ. Sed quid de Achabo dicemus? num participem illum futuræ per Chriſtum ſatisfactionis fuiſſe affirmabimus, hominem ſceleſtum atque impium, & deaſtrorum dæmoniorumque cultorem, breviter, omnium Iſraëlis regum, qui ante ſe fuerant, peſſimum? Quid plura? In altero teſtimoniorum, quæ ex Ezechiele citavimus, diſertè ſcriptum eſt, Quid ſit, propter quod Deus, (intellige præter miſericordiam ſuam, quam certum eſt primariam ejus rei cauſam eſſe) ipſa ſcelera condonet. Scriptum eſt enim cap. 33. 19. interprete Sancte Pagnino in magnis Bibliis Roberti Stephani, *Cùm averſus fuerit impius ab impietate ſua, & fecerit judicium & juſtitiam, propter ipſa ipſe vivet*: quod idem paulò ante explicatum fuerat: ubi vides, nullam veræ ſatisfactionis mentionem fieri, ſed pœnitentiam tantùm, ſeu reſipiſcentiã commemorari, propter quam Deus ipſis impiis peccata condonet. Jam verò, ſi ſub vetere Teſtamento, hanc verè Deo dignam liberalitatem Deum exercuiſſe

1. Joh. 3. 12

1. Reg. 16 30. 31. 32. 33.

 legimus,

legimus, quid eſt cur dubitemus, quin ſub novo etiam exercere voluerit? Nullo pacto veriſimile eſt, gratiæ ac beneficentiæ tempore Deum reſtrictiorem fuiſſe, quàm eo tempore, quod ſi cum hoc comparetur, iræ atque ultionis tempus appellari poteſt. Atque hæc ſola ratio cuilibet homini cordato, ad id quod volumus probandum, ſatis omninò videri debet. Veruntamen, ut veritas clariùs eluceat, rationibus teſtimoniisque rei ipſius magis propriis ad idem comprobandum utemur.

4. Primùm igitur videndum eſt, quale fuerit divinum promiſſum novi Fæderis, quod Deus cum populo aliquando pacturus erat, & qualem ſeſe in eo Fœdere pangendo Deum præbiturum fuiſſe, legamus. Legimus autem, ut ſcriptum eſt, Hieremiæ 31.34. & Heb. 8. 12. & 10.17. ejuſmodi in novi Fœderis promiſſo Deum verba feciſſe, quæ planè oſtendant futurum, ut ille erga populum ſuum, ingentem beneficentiam ac liberalitarem in condonandis peccatis exerceat. Sic enim, ut habent verba Græca, ſcriptum eſt ab Apoſtolo: *Quia propitius ero injuſtitiis eorum, & peccatorum eorum & iniquitatum eorum non recordabor amplius.* Quomodo autem propitius fuiſſet Deus injuſtitiis populi ſui, ſi, cùm eas omnes liberaliſſimè condonare potuiſſet, ſibi tamen plenè pro ipſis ſatisfieri voluiſſet; aut, quomodo peccatorum & iniquitatum populi in novo Fœdere pangendo recordatus non fuiſſet, ſi ne minimam quidem impunitam reliquiſſet? vel potiùs, quid mirum eſſet, ſi earum iniquitatum

non

non recordatus fuiſſet ampliùs, poſtquàm pro omnibus ſibi plenè ſatisfactum vidiſſet? Quænam tanta hæc ipſius liberalitas & magnificentia fuiſſet, ſi ne tantillum quidem de *j*ure ſuo remittere voluiſſet? Nam, quòd ajunt, Deum in eo maximopere liberalem & munificum fuiſſe, quòd, cùm eos ipſos, qui iniquitates patraverant, plectere jure poſſet, iis impunitis dimiſſis, filium ſuum innocentiſſimum pro ipſis graviſſimè plectere non dubitavit. Hoc, inquam, cum a*j*unt nihil eſt, cum & hunc & illos, ut ſupra demonſtratum fuit, immunes ab omni pœna dimittere, idque jure omninò, pro rei natura & ſumma auctoritate ſua, facere poſſet. Itaque nullo modo conſtare poteſt liberalitas iſta, quæ aliqua ratione fortaſſe conſtitiſſet, ſi patratas iniquitates punire neceſſe fuiſſet. Quo magis autem is, in quo iniquitates iſtæ puniantur, Deo charus eſt, eò minùs, non modò liberalitas ulla, ſed facti (ut ſic loquar) tolerabilitas apparet. Nam quid indignius, quã nulla neceſſitate hominem ſibi chariſſimum ſupplicio afficere? Præterea animadvertendum eſt, non eum eſſe munificum ac liberalem, qui quacunque ratione efficit, ut quis beneficio vel maximo afficiatur, ſed illum demum, qui de ſuo donat atque largitur. Quare niſi conſtet, Deum in novo Fœdere pangendo de ſuo donâſſe & largitum fuiſſe, (id quod, ſi plenam pro peccatis populi ſatisfactionem accepit, nunquam conſtabit) nunquam ea in re munificentiæ & liberalitatis nomine commendari poterit, etiamſi alioqui

voluntate ipſius & curâ factum ſit ut populus ipſe ſuorum peccatorum pœnas non dederit. Sed operæ pretium eſt videre, num id quod anteà promiſerat Deus tempore etiam reipſâ præſtiterit? Certè præcurſor ipſe illius, per quem novum iſtud Fœdus pangendum Dei nomine erat, ei ſalutis cognitioni populo dandæ deſtinatus ab ipſo initio fuit, ex qua peccatorum remiſſio per viſcera miſericordiæ Dei exiſteret, ut ſcriptum eſt Lucæ. 1. 77. 78. Quis hic ſatisfactionem ullam interveniſſe ſuſpicari poteſt? Jam verò ipſe Johannes, quid aliud prædicabat, quàm pœnitentiam in remiſſionem peccatorum? Nulla igitur vera ſatisfactio, ſeu ſatisfactionis apprehenſio, ſub novo Fœdere requiritur, ſi quis ſibi peccata remitti velit; nec aliud, ut remiſſionis peccatorum à ſe oblatæ fructum populus ſentiat, ab eo Deus poſtulat, niſi ut pœnitentiam agat & reſipiſcat. Nec verò huic ſententiæ in ſacris literis teſtatiſſimæ quidquam adverſatur, quòd Johannes ipſe, qui pœnitentiam manifeſtè urgebat, ad Chriſtum omnes tandem rejiciebat, utque in ipſum crederent, monebat. Nam, ut alia omittam quæ dici poſſent, hoc ipſum quod Johannes faciebat, ad pœnitentiam ipſam ſtabiliendam pertinebat. Quatuor enim de cauſis potiſſimùm, ut conjicere licet, & res ipſa ſimulque ſacra ſcriptura loquitur, Johannes populum ad Chriſtum rejiciebat.
1. Primùm, ut qualis ea pœnitentia, id eſt, emendatio vitæ eſſe deberet, rectè cognoſcerent: ipſe enim in præceptis dandis, abſolutiſſimam illam

Chriſtianæ

Chriſtianæ vitæ rationem non explicabat, ſed id muneris ipſi Chriſto reſervatum erat. Deinde, ut quid remiſſio illa peccatorum eſſet, probè tenerent, & cùm eam vitam æternam eſſe animadverterent, multò vehementiùs ad vitam corrigendam moverentur. Nihil enim Johannes ante Chriſti prædicationem de vita æterna docuit, niſi, ut alii Prophetæ, ſub involucro verborum. Hanc lucem Chriſtus omnium primus Dei ipſius verbis clariſſimam orbi terrarum ipſique Iſraëlis populo illaturus erat. Is enim, ut ait Paulus 2. Tim. 1. 10. per Euangelium mortem deſtruxit, & vitam atque incorruptionem illuſtravit ac patefecit. Tertia cauſa, cur Johannes populum ad Chriſtum rejiceret, confirmatio erat eorum, quæ ipſe dicebat. Johannes enim nulla ſigna edebat, quibus doctrinam ſuam confirmaret, atque ea ratione auditores ad pœnitentiam agendam permoveret, quæ plurima & pene innumerabilia edebat Chriſtus, qui, ut ex ſupra dictis intelligi poteſt, eandē de pœnitentia doctrinam, ſed exquiſitam magis, ſuisque numeris abſolutam, populo proponebat. Quarta & ultima cauſa erat, ut populus Spiritu Sancto baptizaretur, cujus ope in pœnitentia ſive emendatione illa vitæ perſeverare, & ad extremum uſque Spiritum perdurare poſſet, ſine qua perſeverantia nihil efficitur. Mat. 10. 22. Heb. 3. 6. 14. Porrò, ſummam ipſius doctrinæ Jeſu Chriſti nihil aliud eſſe, quàm remiſſionem peccatorum iis qui pœniteniam egerint præter alia multa teſtimonia, hi loci demonſtrant.

Margin numbers: 2. (beside "id muneris ... Deinde"), 3. (beside "incorruptionem ... Tertia"), 4. (beside "abſolutam ... Quarta")

ſtrant. Matth. 4. 17. Marc. 1. 15. & 6. 12. Luc. 24. 47. Act. 2. 38. & cap. 3. 19. 26. & cap. 5. 31. & cap. 11. 18. & cap. 17. 30. & cap. 26 18. quâ doctrinæ ſummâ ipſa in Chriſtum fides continetur, quæ non ullius ſatisfactionis apprehenſio, ſed Chriſti præceptorum obedientia eſt, ſub ſpe fururæ immortalitatis, quemadmodum ſuo loco fuſiùs oſtendemus. Nam, quæ de pœnitentia ſupra diſſeruimus, non planè ſuo loco & ipſa dicta ſunt, ſed quaſi prætereuntes ea attigimus, ut planum faceremus, Deum in ſalute nobis per Chriſtum parta, nullius veræ ſatisfactionis ſibi pro peccatis noſtris exhibitæ, nulliuſvè ea de re cognitionis aut perſuaſionis noſtræ rationem habuiſſe. Quid enim commune habet pœnitentia noſtra cum aliena ſatisfactione? aut quomodo aliena ſatisfactione peccara noſtra delere voluit Deus, ſi pœnitentiam noſtram ad ea delenda omninò requirit? Verùm de his latiùs poſteà.

5. Nunc unum adhuc, hujus divinæ ſub novo Fœdere liberalitatis, quam nos aſſerimus, argumentum, quod pro omnibus eſſe poteſt, exponamus, & paulò diligentiùs explicemus. Sacræ literæ ubique teſtantur, in ſalute nobis per Chriſtum parta remiſſionem peccatorum noſtrorum interveniſſe, Deum, inquam, nobis remiſiſſe peccata noſtra, cujus remiſſionis tunc etiam aperta fit mentio, cum Chriſti ſanguis commemoratur, ex quo veram pro peccatis noſtris ſatisfactionem manâſſe volunt. Remittere peccata, & ſibi pro ipſis verè ſatisfieri,

planè

planè contraria ſunt, nec ullâ ratione ſimul conſiſtere queunt. At dicet aliquis, id verum eſſe, ſi quis velit ab eodem ipſo ſatisfactionem proficiſci, cui remittenda ſint peccata, hîc verò alium eſſe eum qui ſatisfacit pro peccatis, alios eos quibus peccata remittantur. Reſpondeo, nullo modo ei remitti, pro quo eſt qui plenè ſatisfaciat. Ubi enim nullum eſt debitum, ibi nulla remiſſio. Atqui nullum eſt debitum, ubi jam plenè eſt ſatisfactum. Nam, ut ſatisfactio hîc remiſſionem anteceſſerit, omninò neceſſe eſt, ſi verum eſt quod ajunt, idcircò nobis remiſſa eſſe à Deo omnia peccata, quia Chriſtus pro ipſis plenè ſatisfecerit. Mitto, quod ſi remiſſionem nihilominùs anteceſſiſſe contendant, hoc nullo modo fieri potuiſſe id declarat, quòd debito jam remiſſo, nullus eſt ſatisfactioni locus. Eodem quidem tempore remiſſio ſimul & ſatisfactio peragi non potuit. Dum enim debitum remittitur, condonatur: dum verò pro eo ſatisfit, exigitur. Etenim, ſi rurſus dixerit quiſpiam, hîc non ab iiſdem exigi, quibus condonatur: Reſpondendum eſt, debitum non niſi ab eo qui debet exigi poſſe. Neceſſe eſt autem, ut is debeat, cui condonatur: à quo ſi exigetur, quomodo (quæſo) ei condonabitur? Cum quis pro alio ſolvit, etiamſi debitor ipſe pecuniam non numeret, à debitore tamen intelligitur exacta pecunia. Sed dices, Chriſtum non modò pro nobis ſolviſſe, verùm etiam debitum ipſum in ſe tranſtuliſſe: Iam ſi ita res ſe habet, non eodem tempore ſatisfactio ſimul, & remiſſio peracta fuit. Li-

beratur

beratur enim debitor, ſimul atque debitum tranſlatum eſt, tum demum autem ſatisfit, cum pecunia numeratur. Quinimò, ſi debitum tranſlatum eſt, nulla remiſſio nec ante nec poſt locum invenire potuit. Si enim ante remiſſum eſt debitum, quomodo in alium transferri potuit? Sin autem ante tranſlatum eſt, quomodo potuit remitti? Vides igitur, debiti tranſlatione iſta nullo pacto remiſſum debitum, ſed commutatum debitorem fuiſſe. Liberatus eſt quidem tranſlatione iſta debiti prior debitor, ſed non tamen ei remiſſum eſt debitum. Quãvis enim, cuicunque remittitur debitum, is etiam à debito liberetur, non tamen contra, quicumque à debito liberatur, ei etiam debitum remittitur. Liberatur quis ſæpiſſimè ſolutione ipſa. At in debito remittendo, ut verbum ipſum præ ſe fert creditoris, liberalitas requiritur, quæ nulla eſt, ubi creditor id univerſum recipit, quod ſibi debebatur. Itaque non rectè ego ipſe locutus ſum, cum ſupra alicubi dixi, ſub novo Fœdere ſi quis ſibi remitti peccata velit, nulla vera ſatisfactione opus eſſe, quaſi vera ſatisfactio unà cum remiſſione conſiſtere queat? Sed, cùm de ipſa remiſſione nominatim non ageretur, diſputandi gratiâ communi noſtrorum Theologorum errori, qui eas ſimul conſiſtere poſſe opinantur, ſerviendum mihi fuit. Remiſſio igitur omninò duas partes habet, quarum ſi utravis deſit, nulla remiſſio eſt. Unam, quòd debitor liberatur: Alteram, quòd creditori debitum non perſolvitur. Quamobrem, etiamſi nos, qui propter peccata

ta noſtra Deo debitores eramus, liberati ſimus; tamen, ſi Deo qui creditor erat debitum iſtud perſolutum fuit, nobis nequaquam peccata noſtra remiſſa fuerunt, aut remitti poſſunt. Per hanc autem debiti & ſolutionis tranſlationem, hoc noſtrum a peccatorum remiſſione ductum argumentum explicavimus, non ſolùm quia verbum ipſum Remittendi tranſlationem ipſam in ſe continet, ſed etiam quia ipſe Dominus Jeſus in hac remiſſionis peccatorum materia, eâdem tranſlatione manifeſtè atque explicitè interdum uſus eſt, præſertim verò in parabola illa Regis, qui voluit rationes conferre cum ſervis ſuis. Ex qua parabola præter eà ſatis intelligi poteſt, in liberatione noſtra à debito peccatorum noſtrorum, nullam veram ſatisfactionem interveniſſe. Rex enim illæ ſine dubio Deus eſt. Atqui Rex ille, ut ſervum ſuum, qui ſumus nos, liberaret, neutiquam ſibi ſatisfieri voluit: ſed nulla ſatisfactione à quoquam pro eo quod ſervus ſibi debebat accepta univerſum debitum illi planè remiſit. An non ibidem ſervus ille acerrimè & increpatur & punitur, quòd à conſervo ſuo id quod ſibi ille debebat omninò exigere voluerit, ejusque miſertus non fuerit, ut rex ipſius fuerat miſertus? Quod ſi rex ille, non quidem ab ipſo ſervo, ſed ab alio quopiam, pro eo ſibi plenè ſatisfieri curâſſet, potuiſſet ſervus dicere: Quænàm miſericordia eſt iſta, Rex, qaâ mecum es uſus, quamque me imitari volueras? Nonnè quod ego tibi debueram, id univerſum recepiſti? Ratio igitur inveniatur, quâ ego quoque

Matth. 18, 23. & ſeq.

quoque id quod mihi conſervus meus debet univerſum recipiam,&eum perlibenter dimiſſum faciam. Qmamobrem, cùm, ut ex ipſa Parabola liquet, nos in injuriis condonandis Deum in peccatorum noſtrorum remiſſione imitari debeamus, neceſſe eſt profectò,aut nos curare poſſe, ut nobis, non quidem ab eo ipſo qui nos injurià affecit, ſed ab alio quopiam pro eo plenè ſatisfiat,(quod & ab omni æquitate, & à ſacrarum literarum ſenſu penitùs abhorret:) aut Dem nulla vera ſatisfactione à quòquam accepta noſta nobis remiſiſſe, niſi velimus eos, qui verè Chriſtiani ſunt (hos enim præcepto illi de condonandis injuriis ſatisfacere certum eſt) multò & liberaliores, & clementiores eſſe in injuriis non ulciſcendis, & offenſis condonandis, quàm ipſe Deus fuit. Adde, quòd Sanctæ literæ, non Remittendi tantùm verbo, cum de liberatione à debito peccatorum noſtrorum agitur, uti ſolent, ſed Condonandi quoque ſue
Colo. 2,13. Donandi verbo interdum utuntur, quod χαρίζεσθαι in Græco eſt. Namque id verbum bene-
Eph. 4,32. ficentiam & liberalitatem prorſus ſignificat, eamque multò magis, quàm Remittendi verbum, quodammodo ob oculos ponit. Inquit autem Paulus ad Coloſſ.ſcribens,Deum nobis condonâſſe omnia delicta; & ad Eph. 4. in fine, ad eoſdemque Coloſſ.cap.3.13.ait,Deum inChriſto& ipſumChriſtum nobis condonâſſe ſeu donâſſe,ſubaudi, offenſas, quibus Deum in nos provocaveramus. Quid magis ſatisfactioni pro delictis omnibus atque offenſis noſtris,

noſtris, quam Deus à Chriſto acceperit, contrarium eſſe poteſt? Quid magis beneficentiam & liberalitatem iſtam ingentem, quam Deus per Chriſtum nobiſcum exercuit, non obſcurare tantùm, ſed funditùs tollere etiam poteſt, quam ſi ſtatuamus Deum voluiſſe, ut ſibi à Chriſto pro omnibus peccatis noſtris plenè ſatisfieret? Nam, quòd quidam dicunt, (ut ad eandem debiti & ſolutionis tranſlationem revertamur) Deum maximè in eo liberalem apparere, quòd id ipſũ nobis donaverit, quod ſibi ſolvi voluit, adeòque ipſum Chriſtum nobis largitus fuerit, quem nos ipſi deinde pro debitorum noſtrorum ſatisfactione illi ſolviſſe dici poſſumus: Animadvertendum eſt, iſtud probabile fortaſſe videri potuiſſe, ſi neceſſe fuiſſet, ſolutionem aliquam intervenire. Sed cùm potuerit Deus, debitum univerſum ſine ulla ſolutione remittere, quid circuitu iſto inutili opus fuit, & colluſione quâdam? Præterea, ſi Deus ipſe id donavit, quod ſibi ſolvi voluit, libaralis quidem fuit in ea re donanda, ſed non tamen in debito remittendo. Verùm, præterquàm quod non de liberalitate loquimur, quâ, ut univerſa ſcriptura teſtatur, Deus in ipſa peccatorum noſtrorum remiſſione eſt uſus, id etiam eſt conſiderandum, duplicem fuiſſe in ſalutis noſtræ negotio Dei liberalitatẽ. Unam, quòd nobis gratuito tantum debitum remiſerit. Alteram, quòd unigenam filium ſuum, ut remiſſionis iſtius fructum (quemadmodum poſteà explicabimus) ſentire poſſemus, nobis largitus eſt. Quod ſi iſtorum ſententiam am-

plectamur, unica tantùm erit Dei liberalitas, eaque manca & obſcura valdè, ut mox dicemus. Sed priùs quid ſit, nobis à Deo donatum fuiſſe Chriſtum, exponendum eſt. Dico igitur, non ita donatum nobis à DeoChriſtum fuiſſe, eumve ita noſtrum effectum eſſe, ut nos deinde pro debiti noſtri diſſolutione illum ipſi dare potuerimus: ſed dicitur Deus nobis Chriſtum donâſſe,quatenus, ut nos ingente beneficio afficeret,eum impendit quodammado atq; profudit: id quod ex eo ipſo loco ſatis conſtat, ubi Paulus non obſcurè teſtatur Rom. 8. 32. à Deo donatum nobis fuiſſeChriſtum: proximè enim ea verba ſcripſerat, *Qui etiam proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Nobis igitur Chriſtum Deus donavit, (id enim, ut modò innuimus, ex ſequentibus Apoſtoli verbis, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* ſatis intelligi poteſt) quia illum pro nobis tradidit, nimirum in mortem. Hæc enim verbi tradendi, cum de Chriſto eſt ſermo, etiamſi ſimpliciter ponatur, ſignificatio eſſe ſolet, ut Rom. 4. 25. Gal. 2. 20. Eph. 5. 25. Nec alia eſt reipſà vis verbi Dandi, quod propiùs ad Donandi ſignificationem accedit, in loco illo Joh. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Ex quo prætereà loco perſpici poteſt, quid ſit Chriſtum pro nobis traditum à Deo morti fuiſſe, & ſic nobis donatum eſſe: nempe, ut ea ratione fieret, ut nos ipſi Chriſto ejusque verbis fidem adjungeremus, & ita non periremus, ſed vitam æternam conſequeremur:

remur: ſequitur enim: *Vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam*. Quæ prior in intentione (ut loquuntur) ac potior illa liberalitas Dei eſt, in remiſſione peccatorum noſtrorum; vel certè hoc vitæ æternæ dono ea liberalitas continetur, quâ planè Deum ſpoliant, quicunque Chriſtum, ad æs noſtrum alienum quod cum Deo contraxeramus diſſolvendum, à Deo in mortem traditum eſſe volunt. Sed & poſterior ipſa Chriſti dandi liberalitas imminuitur & obſcuratur. Nam quid mirum (dicet aliquis) Deum pro nobis Chriſtum ſuum quodammodo profudiſſe, cùm id ideò fecerit, ut quod ſibi à nobis debebatur reciperet? Quod ſanè locũ haberet, etiamſi noſtra peccata ſine ſatisfactione vera deleri potuiſſent. Quid igitur dicemus, cùm noſtrum iſtud æs alienũ ſine ulla ſolutione veraq; ſatisfactione diſſolvi potuerit? Certè iſta Chriſti donatio, id eſt, in mortem traditio, immanitas potiùs atque ſævitia, quàm liberalitas dici debet. Nulla enim cauſa fuit, cur Deus filium ſuum innocentiſſimum morti traderet, quò ſibi pro peccatis noſtris ſatisfieret, cũ ſatisfactione iſta nihil opus eſſet.

Ex iis autem quæ hactenus diſputata ſunt, 6.
reſponſio ad rationes duas colligi poteſt, quæ à quibuſdam afferri ſolent, cur Deus, etiamſi omnia delicta noſtra nobis ignoſcere, nullâ pro ipſis vera ſatisfactione accepta *jure* potuerit, id tamen facere noluerit. Primùm enim ajunt, idcircò Deum in peccatis noſtris delendis, ſatisfactionis potiùs quàm ex omni parte prorſus gratuitæ remiſſionis viam elegiſſe, ut ma-

jor quædam ipſius liberalitas appareret, dum filium ſuum chariſſimũ qui pro peccatis noſtris ſatisfaceret, nobis donaret, atrociſſimæque morti traderet. Quaſi verò ſine ſatisfactione iſta, eâdem filii donandi liberalitate uti non potuerit Deus, quemadmodum certè uſus eſt, eâque non minùs, imò multò magis, quàm cum ſatisfactione iſta ſolida atque conſpicua: ut nihil intereà dicam, quòd dùm iſtam ſatisfactionis viam, ad liberalitatem hanc donandi filii ſui exercendam, ſine cauſâ elegiſſet Deus, alteram illam præſtantiſſimamque liberalitatem, peccata prorſus gratuitò remittendi non exercuiſſet, ſeque perpetuâ ante hac propriâque ſuâ in peccatis delendis gloriâ privâſſet. At deinde addunt iſti, ideò voluiſſe Deum à Chriſto omnium peccatorum noſtrorum pœnas repetere, ipſumq; in eum finem acerbiſſimæ morti tradere, ut inde quanto is odio peccatum proſequeretur, intelligere poſſemus, eâque ratione à peccando abſtineremus. Verum, nonnè ex Chriſti morte nihilominùs, quantopere Deus peccatum oderit, manifeſtè appareret, etiamſi in ea morte nulla pro peccatis noſtris ſatisfactio fuerit? Certè cùm Deus, ut ad Chriſto ſibique per Chriſtum obediendum nos adduceret, & ita peccatum in nobis extingueret, tàm atroci morte Chriſtum mactari voluerit; cùmque ad peccata noſtra delenda (ea ratione quam ſuo loco exponemus) Chriſti mors, quamvis nullam ſatisfactionem pro ipſis attulerit, omninò pertinuerit, ſatis ſuperque conſtat, Deum, qui eam mortem decrevit, ca-

pitaliſſimo

pitaliſſimo (ut ita dicam) odio erga peccata hominum affectum eſſe. Atque hæc impræſentia ſatis erunt, ut Deum, in ſalute quam nobis per Chriſtum procuravit, ut jure potuit, ſic nulla vera ſatisfactione pro ipſis accepta, peccata noſtra nobis ignoſcere voluiſſe, omnibus veritatem Deique gloriam amantibus dilucidè apparere poſſit.

Refut. CAP. XVII.

Deum nullâ verâ ſatisfactione acceptâ, nobis peccata condonare voluiſſe.

HOc cap. Socin. de Dei voluntate, quæ norma & menſura rerum diſputaturus, primò aggreditur oſtendere *Deum iis quæ ante Chriſtum fuere temporibus, nullius veræ ſatisfactionis ratione habitâ, peccata condonâſſe.* *Deinde non alium condonationis modum ſub Novo jam Fœdere eſſe.* Tertiò *operosè pro ſententiâ ſuâ urget, quod remiſſio peccatorũ nobis per Chriſtum contigerit.* *Peſtremò duas ſibi objicit rationes, quæ pro ſententiâ ſatisfactionis faciunt.*

Sect. 1. Principiò antequam de ſatisfactione pro peccatis noſtris diſputetur, ante omnia cognoſcendum eſt, quid ſit illud de quo diſputatur. In omni ſatisfactione neceſſariò alicujus voluntati ſatisfit. Ita generatim loquendo, divinæ voluntati ſatisfieri poteſt. Satisfit ab angelis, qui non peccarunt, & omnibus numeris perfectam ſemper obedientiam præſtiterunt. Omni voluntati ſatisfit, quando

id totum ſit, quod fieri illa voluntas vult, ſic & divinæ. Dupliciter verò voluntas divina conſideratur, vel enim voluntas eſt, quâ vult aliquid facere, vel quâ aliquid vult fieri. Priori voluntati divinæ ſatisfit, cum decreta ſua exequitur Deus: voluit creare mundum Deus, creando voluntati iſti ſatisfecit: vult credentes aliquando ex mortuis reſuſcitare, & ad beatam immortalitatem perducere, huic voluntati ſatisfiet, cum mors per glorioſam reſurrectionem abſorbebitur. Poſteriori voluntati ſatisfit, quando mandatum præſcriptum, plenè & exactè ſervatur: voluntati poſtulanti pœnam ſatisfit, quando pœna tranſgreſſioni debita & ſtatuta plenè repoſcitur. Jam quæritur, an talis ſatisfactio, in noſtrâ ſalute procurandâ intervenerit. Hanc ſatisfactionem veram ſatisfactionē eſſe ut arbitror, concedit Socinus. Sic enim ſcriptũ reliquit c. 18. Prælect. ſect. 3. *Ad veram plenamq; ſatisfactionē pro peccatis noſtris peragendã, neceſſe fuiſſe, ut ipſa natura humana, quæ peccavit, ex ſeipsâ id univerſum exſolveret, quod nos propter peccata noſtra debebamus* ibid ſect. 4. *tantùm abest, ut nobis aliquid propriè mereri potuerit, ut quidem neceſſe eſt, ſi iis quæ præstitit Deo, pro nobis abunde ſatisfecit, & quidquid nobis ad divinam legem conſervandam deerat, pleniſſimè ſupplevit.* Crell. reſponſion. ſuæ ad librum Grotii pag. 297. *Non omnis pœna Socino vera ſatisfactio eſt, ſed ea demum quæ peccatorum meritis prorſus ſit æqualis, ut jam non ſemel monuimus*; vera ergo ſatisfactio erit id de quo erit diſputandum. Quæ hic immiſcet,

miſcet, de requiſitâ ſemper innocentiâ & vitæ puritate: quæ qualis illa ſit, cum quibus peccatis illa conſiſtere, vel non conſiſtere poſſit, & nunnulla alia cum extra propoſitæ diſputationis ſcopum ex accidente adſeruntur, relinquemus, omiſſo eorum examine, alterius enim loci ſunt.

Secundâ & 3. cap. ſectione, *nonnulla affert tum exempla tum loca in quibus, de gratuitâ condonatione peccatorum, in quibus mentio tantùm fit fidei, reſipiſcentiæ, aut miſericordiæ divinæ, controverſæ verò ſatisfactionis nuſquam.* Obſervari hîc poteſt, quamquam multis loquatur Socinus de gratuita remiſſione peccatorum ſub V. Fœdere cenceſſâ, eam tamen remiſſionem, ex mente ejus ab æternâ morte & maledictione non liberâſſe, ſed ſolummodo à temporalibus quibuſdam malis, cum V. Fœdere, ut Sociniani ſentiunt, nulla æternæ vitæ promiſſio ſit facta, quare ex remiſſione illâ peccatorum, nullam beatæ immortalitatis fiduciam aut conſolationem, adverſus mortis horrorem concipere potuerunt pœnitentes. Huic ſequelæ non obſtat, quod Socin. ait. lib. 3. de Servatore cap. 8. *Eos etiam, qui ante Chriſtum mortem æternam non ſubierunt, niſi Dei gratiâ ſervati eſſent, non minus quàm cæteros funditus perituros fuiſſe.* Gratia quâ eos ſervatos dicit, non eſt gratia, quâ peccatorum condonatio contigit ſub V. Fœdere; ſed eſt occultum Dei decretum, temporibus Novi Fœderis demum revelatum, ſecundum quod V. Teſtam. fideles ultimi judicii die à morte etiam

per Chriſtum liberabit, & ad immortalitatem transferet; qui actus gratiæ neque nomine remiſſionis peccatorum in ſacris inſignitur; neque ipſa remiſſio peccatorum eſt, quæ niſi viventibus in hoc ſeculo contingit; neque ſi fuiſſet ullam fiduciam aut conſolationem in animis fidelium, cum in Deo occulta & abſcondita eſſet parere potuiſſet. Manet ergo ex doctrinâ Socini, peccata Patrum quoad æternam pœnam, per condonationem gratuitam ſublata non fuiſſe: quod ſi verò non ſunt ſublata per condonationem gratuitam, quomodo à morte per Chriſtum aliquando liberandi, cum ex perpetua ſacræ Scripturæ doctrinâ, beata immortalitas, non niſi ad præviam remiſſionem peccatorum conſequatur, quod ex ſacris prolatis teſtimoniis confirmari facile poteſt Rom. 5. com. 1. 2. 21. Rom. 4. 6. 7. 8. Rom. 1. 16. 17. Quamobrem non mirum eſſet ex hypotheſi talis ſententiæ, ſatisfactionem Chriſti ad eos revera non pertinuiſſe, quibus vera peccatorum remiſſio Dei munere non contigit; quæ locum non habet, ubi æternæ pœnæ non auferuntur, ſed quædam tantummodo mala temporalia. Verum cum Patribus contigerit ea juſtificatio, & peccatorum remiſſio, ex cujus vi vitam æternam adepti Rom. 5. com, 18, à Mediatoris ſatisfactione excludi non poſſunt, id ut evertat Socinus, multa nobis objicit, ut jam monui, tum exempla, tum teſtimonia ex V. Fœdere prolata, in quibus inquit, nulla fit mentio veræ ſatisfactionis. At iſtius ratiocinationis ſequelam

non

non admodum firmam agnovit Socinus, cum ſcriptum reliquit parag. 3. hujus capitis. *Nam ſi quis dixerit, etiamſi in exemplis ac teſtimoniis à nobis prolatis, nulla vera ſatisfactionis mentio fiat, intelligendum tamen eſſe, propter Chriſti futuram ſatisfactionem, Deum peccata jam tum condonaſſe.* Quamquam verè mox iſta addat, *iſtâ de re, nihil prorſus uſquam apparere humanunque omnino commentum eſſe, eo nihil præter nudam aſſertionem affert.* Apponit ibidē, *ex ipſis locis eorumque circumſtantiis ſatis conſtare, rem aliter ſe habere:* quomodo verò, quia in iis fidei, reſipiſcentiæ & benignitatis divinæ, tantummodo meminerunt ſcriptores ſacri. At tantum abeſt, ut hæc ſint ad invicem contraria, ut tanta ſit eorum concordia, ut nullatenus divelli patiantur. Omnis fides juſtificans recumbit in pactum gratiæ aut Patribus promiſſum, aut Euangelio exhibitum. Atqui hi omnes teſtimonio per fidem ornati, non obtinuerunt promiſſum illud Hebr. 11. 39. Promiſſio illa cujus fide juſtificati Patres, reſpexit in Mediatorem Jeſum Chriſtum, quod Apoſtoli Pauli authoritas nobis probat Gal. 3. com. 17. *Hoc autem dico pactionem priorem ratam factam à Deo reſpicientem in Chriſtum.* Quod ſi quis oggerere velit, Abrahamum ejuſque poſteros juſtificatos fuiſſe fide hujus divinæ promiſſionis; non verò Abrahami majores, qui priſcis ante Abrahamum fuere temporibus, id nihil eſſe poteſt: cum Apoſtolus Paulus, qui ex profeſſo & accuratiſſimè totum negotium juſtificationis tractavit, non memi-

nit alterius rei, ex cujus fide, juſtificatio Patribus contigerit, quam verbi illius & pacti promiſſionis, quod in Chriſtum reſpexit: inſpiciantur, quæ ſcripſit Apoſtolus 4. *cap. Rom. & in Epiſtolâ ad Gal.* 3. & 4. Duo tantũ ſunt fœdera, legis & promiſſionis ſeu Euangelii Gal. 4. com. 24. Heb. 8. com. 13. Ad hanc doctrinam promiſſionis & fidei ſignificandam, ab ipſo mundi conditu, inſtituti ſacrificiorum ritus, diſcrimina ciborum, mundorum, immundorum, quæ omnia umbræ & typi fuerunt rerum futurarum, quæ complementum in Chriſto acceperunt Col. 2. com. 17. Ea omnia clarius & plenius poſtmodum, lege cæremoniali, Iſraeliticæ Eccleſiæ latæ, fuerunt à Deo comprehenſa. Quare cum Abel crediſſe dicitur, & per fidem Deo gratus fuiſſe, fidem cum Script. concipere non poſſumus, quæ promiſſionis ſermonem non reſpexerit. Qui fœdera promiſſionis non habent, ſpem non habent, & abſque Deo in mundo ſunt. Huic noſtræ ſententiæ non refragatur quod legitur ad Heb. 11. com. 6. Accedentem ad Deum oportere credere, Deum eſſe & præmia largiri iis, qui requirunt ipſum; quamquam hîc tantùm requiri videatur fides, quâ creditur eſſe Deus; nemo tamen ſanus Theologus negabit, fidei etiam quàm maximè proprium eſſe, ſcire fide determinatâ, quis ſit ille Deus. Sic cum Apoſtolus hîc jubet credere, fiduciã in Deum, quæ non niſi per fidem divinæ promiſſionis jam enarratæ concipitur, tacitè intellexit & ſimul indicare voluit. Et qui ex verbo Dei,

Deum

Deum credit cultorum ſuorum remuneratorem, non aliter quæri ſibi perſuadebit, quam ex fide pacti promiſſionis.

Præterea, quamquam in omnibus iſtis locis & exemplis, non dicatur verè fideles & juſtos æternæ vitæ præmium accepturos à Mediatore & Salvatore Chriſto, quæ æterna vita, remiſſio peccatorum eſt ſecundum Socin. *hoc Prælect.* cap. ſect. 4. Socinianorum tamen dogma eſt, Patres V. Teſtam. à Chriſto Mediatore, aliquando æternâ vitâ donandos. Ita ſanè nihil impedit, patres propter futurã Chriſti ſatisfactionem juſtificatos eſſe, quamquã in iis, ejus mentio non fiat. Quod ſi Chriſtus Patrum Salvator, per mortem ſanè & ſanguinem ſuum ſalvator; neq; enim aliud ex Script. colligi poteſt, quam Chriſtum, quorũ Salvator eſt, eorundem per mortem & ſanguinem ſuum Salvatorem eſſe: quod ſi ergo iſta ſalvatio per mortẽ & ſanguinem ſatisfactoria eſt, ut ex infra dicendis, Deo volente conſtabit, efficitur eadem operâ Patribus remiſſionem peccatorum per Chriſti ſatisfactionem contigiſſe.

Quod *de Achabo adfert* Prælector, me tacente ſatis refellitur? Quid mirum Achabum, futuræ per Chriſtum ſatisfactionis non fuiſſe participem, quum veram pænitentiam, ipſo judice Achab non egerit. Quæ verò in his paragraphis infarcit de juſtificatione ex operibus, de mutabilitate Dei, quia in tranſcurſu & ex accidente adferuntur, prætermitto.

Sed antequam ad quartum paragraphum tranſeam, propoſitũ hic mihi argumenta quædam

dam adferre&ab adverſariorum objectamentis vindicare, quibus oſtendatur juſtificationem & remiſſionem peccatorum gratuitam Patribus redemptioneChriſti obtigiſſe,&efficaciam mortis Chriſti, ad ea etiam rempora extendendam, quæ Chriſtum anteceſſerunt; quo poſito ſi evincatur,per ea quæ inſequentibus diſputabuntur,redemptionem & alia,quæ morti & ſanguini Jeſ. Chriſti in ſacris tribuuntur,ſententiæ de ſatisfactione revera æquipollere; patebit Chriſti ſatisfactione, Patres à peccatis ſuis& eorundem reatu liberatos eſſe. Primò probaturPatribus juſtificationem&remiſſionẽ gratuitã, redemptione Chriſti contigiſſe,quia beneficio mortisChriſti ſuſcitabuntur ex mortuis,Sic enim Soc.lib.2.de Servat. cap. 26. *Non ex eo, quod Chriſtus per mortem, ſalute æternaque vitâ donandi homines,poteſtatem conſecutus eſt, eos ſalvos fore,& ex mortuis ſuſcitatum iri, beneficio mortis Chriſti,nullâ licet ſatisfactione interveniente, optimo jure dici poteſt.* Quod ſi ergo,quotquot glorioſa immortalitate ſuſcitandi, mortis Chriſti beneficio id conſequentur; non alibi quoque eorundem, quam in morte Chriſti juſtificatio repoſita, quum Scriptura unanimi conſenſu doceat,non alium hominibus vitæ, quam juſtitiæ authorem eſſe Rom. 5. 21. Gal. 3.21. 2. Duplex tantum juſtificationis noſtræ coram Deo modus ex Script. ſacris cognoſcitur, prior ex lege alter ex fide per redemptionem Jeſu Chriſti. Nuſquam docetur duplicem eſſe juſtificationis gratuitæ rationem; quarum prior fuerit eo-

rum,

rum, qui ante Chriſti tempora vixerunt, poſterior eorum, qui ſub novo Fœdere. Si veteres juſtificati fuiſſent, ſine redemptionis Chriſti intuitu, non valerent Paulinæ illæ argumentationes à deſtructâ juſtificatione legis, ad ponendam juſtitiam, quæ eſt ex fide Jeſu Chriſti, cum hæc ſententia, præter duos juſtificationis modos tertium introducat, quo quotquot fuerunt ab orbe condito pii ad vitam æternam pervenerunt. Neque Paulus, hac opinione admiſſâ, firmâ collectione concludere potuit, fidem Euangelii Jeſ. Chriſti *juſtitiam* & vitam credenti adferre ex Habacuc teſtimonio, *juſtus ex fide vivet*; ſi juſtitia & vita fidei in Chriſtum, non priſcis illis, ſed ultimis demum temporibus fuit propoſita. 3. Probatur noſtra ſententia ex illuſtriſſimâ illâ comparatione inter Adamum & Chriſtum inſtitutâ ad Rom, 5. à com. 15. ad 20. Crellius reſponſione ſuâ ad librum Grotii de ſatisfactione Chriſti, hujus teſtimonii vim eludens ait, *Paulum in totâ hac collatione de damno nobis per Adamum illato, tanquam de re præteritâ, & quæ amplius non ſit loqui; adeo ut utrique Adamo ſc. & Chriſto, ſuum tempus in collatione aſſignetur; illi quidem tempus, quod Chriſtum anteceſſit, huic omne id, quod ſequutum eſt. Quare ut collatio ſit perfecta, tantum abeſt, ut neceſſe ſit, juſtitiam per Chriſtum in omnes homines, qui ab initio mundi, uſque ad novi Fœderis tempora vixerunt, tranſiiſſe, ut potius ſtatuendum ſit, per eos omnes, in quos condemnatio, ex Adami delicto manavit, eos intelligi, qui Chriſtum anteceſſerunt; per eos autem, in quos juſtitia, ex obe-*

dientiâ

dientiâ Chriſti propagata eſt, vel propagari ex conſilio Dei debet, iſtos intelligi, qui Chriſtum ſunt ſequuti. Socin. lib. 3. de Servat. cap. 8. ad illa verba, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet, per juſtitiam in vitam æternam, ait: *Paulum tanquam de re præteritâ, & & quæ duntaxat ante Chriſtum, aut ſine Chriſto eſſet, de regno loqui, quæ verba poſteriora ſine Chriſto, eum ſenſum habere poſſunt, ut intelligatur ceſſaſſe hoc regnum mortis adventu Chriſti*, quod Crellius contendit; vel ceſſare in iis omnibus, qui vera fide Chriſto inſeruntur; hac mente poſteriore accipiendus videtur Socinus, ſi ſibi bene conſonus; hoc enim omnino volunt illa, quæ alibi fuſius, & ex profeſſo disputavit, de propagatione mortis & condemnationis ex Adami lapſu in poſteros, *ſexto nimirum cap, lib. 4. de Servatore.* Etenim ſi generis propagatio omnes morti obnoxios facit, ut dicto loco pertendit; reatus ille mortis adventu Chriſti non deſiit; cum ex Adamo deſcendere per generis propagationem non deſinant homines. Ea inquit Socin. ibidem *conditio, quæ genitori affixa eſt perpetuò, una cum ipſo genere neceſſariò propagatur. Exempli causâ, ſi quis ob aliquod delictum ſuum, cujus participem uxorem habeat, una cum ipſa uxore ſervus fiat; ij qui poſthac ab iſtis gignentur, & propagabuntur, eandem ſervilem conditionem neceſſariò ſubibunt, non quia illis genitorum delictum imputetur, ſed quia ejus conditionis eſſe, ipſius genitura vi, coguntur, cujus ij fuerunt, à quibus ſunt geniti & propagati. Quod exemplum ſi ad Adamum & genus humanum, ab eo propagatum*

gatum accommodaveris, videbis, unde ſiat ut mortis rei omnes ſimus.

Peccati Adami & ex eo derivatæ mortis & condemnationis metam figendam in adventu Chriſti, nullo judicio in comparatione ſuâ Paulus oſtendit. Ipſe Crellius loco allegato ſcripſit, *conſilium Dei fuiſſe, ut in nobis prorſus ceßaret effectus ille noxa Adami ſeu damnatio, niſi nos ipſi culpâ noſtra eum in nobis foveremus, oblatam gratiam aſpernantes.* Non ceſſat ergo niſi in credentibus: quare huic malo condemnationis omnes obnoxii, donec in Chriſtum credunt. Etiamſi enim verum eſſet, omnes & ſingulos, qui poſt Chriſtum venerunt in mundum, potuiſſe liberari per liberi arbitrii uſum, non tamẽ propter illud poſſe, quod is eſſe non tranſiit, dicendi ſunt liberati & juſtificati eſſe.

Sed venio ad ipſum hujus loci κρινόμενον. Dico ergo aut fideles omnes, qui ab initio mnndi ad Chriſti uſque tempora vixerunt, non fuerunt, neque à peccati primi, neque ab aliorum peccatorum reatu abſoluti, aut per hanc gratiam & obedientiam Chriſti fuerunt abſoluti. At Patres fuerunt juſtificati, ut invictè probatur exemplo Abrahami ab Apoſtolo prolato ad Rom. 4. & ex integro cap. ad Hebr. 11. ut alia omittam. Argumenti facti conſequentia probatur; quia nullum aliud antidotum, peccato morti condemnationi hic à Paulo opponitur, quam gratia & obedientia Jeſu Chriſti. Si ergo ut hominem Chriſtianum decet ſupra & extra Scripturas ſapere non velimus; confitendum gratiâ & obedientia Chriſti, juſtificatos quod eſt in queſtione.

catos

catos & ſalvatos eſſe; per obedientiam verò Chriſti qui juſtificatur, apertum eſt ejusdem morte juſtificari, in quâ obedientia Chriſti maximè conſpicua fuit. Hæc cum ita ſint, repudiandæ adverſariorum reſtrictiones, quod vel admittere coguntur, vel nihil adferre poſſunt ex ſacris, quo probent priſcos Patres vivificandos, quod tamen paſſim profitentur; quid enim adferri poterit, cui iſtiuſmodi temporis reſtrictio, aut ſimile aliquid opponi non poſſet.

Objicit Crell. pag. 303. libri ſui. *Abundantiam illam gratiæ, de quâ loquitur Apoſtolus, ſub Novo demum fœdere hominibus oblatam, & ab ijs qui in Chriſtum crediderunt acceptam, ut tum inquit ex alijs apparet, tum ex eo quod infra ad finem cap. docet Paulus, quâ ratione Deus effecerit, ut gratia ipſius abundaret, nempe quod legem voluerit ſubintroire, ut abundaret delictum, ſed ſuperabundaret gratia.* Verum negari poteſt primò, hanc abundantiam gratiæ, non fuiſſe priſcis temporibus, abundantiam enim gratiæ nuncupat Apoſtol. quod antea appellavit χάρισμα, gratiam Dei, donum per gratiam δώρημα Paulus de juſtificatione Abrahami agens dixit, *operanti mercedem non imputari ex gratiâ, ſed ex debito* Rom. 4. com. 4. *Et Abrahamo per promiſſionem gratificatum eſſe Deum* Gal. 3, 18. Neque verò quod dicimus, infringitur per id, quod infra ad finem cap. attulit Apoſtol. ibi enim non dicit Apoſtolus abundâſſe ſed ſuperabundâſſe gratiam, poſt auctum per introductam legem peccatum.

Quartum

Quartum pro noſtrâ aſſertione argumentum peto ex Heb. 9, com. 15. quo in loco, *mors Chriſti interceſſiſſe dicitur, ad redemptionem transgreſſionum quæ ſub priori Fœdere.* Ex hoc loco habemus, fuiſſe transgreſſiones ſub lege, quæ legalibus ſacrificiis non fuerunt expiatæ. Ad noſtrum impræſentiarum argumentum roborandum, non eſt quod hic diſputem, an quædam tantum an omnia universè & generatim peccata, legalibus victimis ſint expiata ſecundum modum & rationem legis; id ad inſtitutum argumentum nihil attinet. Neque etiam quicquam detrimenti pati poteſt, ſi cum Luthero aut Piſcatore, ut quidem illi referente ibidem Crellio, in Germanicâ ſuâ ejus loci tranſlatione fecerunt, ita, ea verba accipias, ac ſi dictum eſſet, *Chriſtum mortuum eſſe ad redemptionem à transgreſſionibus.* At occurrit Crell. dicens per tranſgreſſiones, quæ ſub priori Teſtamento auctorem non intelligere, *facta ipſa ſingularia ſub V. Fœdere perpetrata condonataque, ſed genus tranſgreſſionum iſtarum, quæ ſub eo Fœdere viguerunt, & ejus vi tolli atque expiari non potuerunt.* At inquã, non dixit Apoſtolus, Chriſtum redemiſſe quoddam, aut tale tranſgreſſionum genus: aut mortem ejus eſſe ad ἀπολύ- redemtionem
τρωσιν talium tranſgreſſionum, quales olim ſub V. Fœdere inexpiatæ manebant, ſed λευκάδι ſermone
φωνῆ ad redemptionem earum tranſgreſſionum perſpicuo
quæ ſub V. Fœdere magis apertè & perſpicuè exprimere non potuiſſet, ſententiam à nobis defenſam, poſito quod contendo, Apoſtolum id voluiſſe, Si dicam Chriſtum redemiſſe pec-

catores, qui ſub priori Fœdere, non tale peccatorum genus redemiſſe intelligam, quale jam ſub Novo, nemo id aliter quam de ſingularibus & individuis perſonis acceperit, quæ ſub priori fœdere vixerunt;quę verò ratio concreti ea& abſtracti.Secundò ſic non potuit diſtinguere Apoſtolus, quia nullum genus tranſgreſſionum lege expiabatur, quod in diſputatione de ſacrificiis Deo volente, planum fiet. Accedit quod hujusCrellianæ interpretationis nullum poteſt adferri,ni fallor,exemplum.Ubi Chriſtus dicitur paſſus vulneratus mortuus propter peccata; ea portaſſe, pro iis ſe obtuliſſe, delicta non in conceptu generico, ſed ſingulari & individuo conſideranda veniunt. Denique aut doctrinâ illâ illuſtri, de ſacerdotii & ſacrificii Chriſti in expiandis peccatis valore & priſcorum rituum inefficaciâ, omnes quotquot ante adventum Chriſti fuerunt pii,purgatione conſcientiarum à peccatis privantur; aut efficacia ſacerdotii Chriſti ad Patres etiam porrigitur,hoc & ei ſimilibus locis. Perpetua enim ſacri Scriptoris ſuppoſitio eſt, *peccata non niſi expiatione aut ſacrificio deleri* Heb. 7. 11. 12. Heb. 10. com. 4. 5. Inſtat Crell. pag. 308. *Mirum eſſe auctorem,cum ut totus locus indicat,de vi mortis Chriſti loquatur,quã ſub ipſo Novo Fœdere habeat, finem ejus propinquiorem hunc ſimpliciter conſtituere, ut Deo ſatisfieret pro peccatis ſub V. Fœdere*; Sed hoc ipſum eſt,quod eſt in quæſtione.Secundò dico hujus finis poſitionem, non eſſe aliorum excluſionem; dicit Apoſtol. com. 14. hujus capit. *ſanguinem*

guinem Chriſti emundare conſcientias à mortuis operibus: hoc eſt interprete Crellio pag. 307. *à talibus peccatis, quibus mortis pæna, in lege fuerat conſtituta:* erant nihilominus ex hujus etiam auctoris mente tranſgreſſiones legalibus victimis inexpiabiles, quibus tamen pæna mortis non erant conſtituta, ut proſopolepſia ebrietas convitia alia. Pergit *vacatorum nomine eos revera intelligi, qui per Euangelium ſunt ad æternam fælicitatem vocati, quibus iſtorum peccatorum, quæ ſub ipsâ lege fuerunt commiſſa remiſſaque, expiatio nihil prodeſt. Etiamſi ergo tandem iſte fuiſſet mortis Chriſti finis, inquit, quem Grotius intelligit, non tamẽ ita, ut fecit auctor, erat commemorandus, ſed eo modo, quo fecit Grotius, qui hæc verba recitavit ad redemptionem etiam earum tranſgreſſionum.* Si per vocatos, intelligas vocatos, antequam veniſſet fides, quemadmodum loquitur Paulus ad Gal. 3. tota concidit ratiocinatio.

Quintò argumentor *ex loco ad* Heb. 9. com. 25. *& ſequentibus*. Hic habemus apertè oportuiſſe Chriſtum ſæpius pati à jacto mundi fundamento, ſi ſe ſæpius ad modum ſacerdotum legalium offerre debuiſſet. Quæ ratiocinatio Apoſtoli niſi ponat oblationem Chriſti, vim ſuam porrigere ad ea peccata, quæ à mundi primordiis perpetrata, nulla erit. Hunc ſenſum impugnat Socin. lib. 2. de Servatore, & ejus defenſor Crell. reſp. ad cap. 6. Grotii pag. 309. &c. alium etiam horum verborum ſenſum adferunt. De utroque videbimus. Objicit Socinus *tantum abeſſe, ut ex hoc loco probari poſſit, Chriſti ſacrificium, antequam perageretur, vim*

expiandi peccata habuiſſe,& ad priſcos illos pertinuiſſe. ut contrarium potius, evidenter inde colligatur. Nam ſi virtus ſacrificij ad eos etiam pertingere potuit, qui ſacrificium ipſum anteceſſerunt, ut neceſſe eſt affirmare, ſi velimus ad eos, qui ante Chriſtum fuerunt, id pertinuiſſe: quid opus erat, etiamſi Chriſtum ſæpius offerre oportuiſſet, ut is à condito orbe ſæpius pateretur. Annon ſatis ſuperq; fuiſſet, ſi Chriſtus poſtquã in mundũ venerat, pati cæpiſſet, & ante extremum illum diem ſubinde paſſus eſſet? cum igitur, Apoſtolus dicat, neceſſe futurũ, ſi oportuiſſet Chriſtum ſeipſum ſæpius offerre, ut etiã ſæpius paſſus eſſet ab orbe condito, ſatis oſtendit, ſacrificiũ mortis non debere eſſe poſt illos, ad quos ipſius fructus manaturus eſt. Reſp. oblationem ſæpius repetitã, non nudè & abſtractè ab efficaciâ ſibi proportionatâ, conſideratã, ſed cũ eâ Levitici ſacrificii vim non excedente, concludere paſſionem Chriſti, ab orbe condito iterandam. Etenim ſi Chriſtus ex more Pontificis Levitici, cujus oblationes annuæ efficaciæ, ſæpius ſe offerre, & virtutem ſuam diffundere debuit; profecto aut virtus ejus, ad priſcos illos Patres, pertingere non potuit, aut ſæpius pati oportuit à mundi incunabulis. Ac proinde inanis eſt enarrata Socini retorſio. Neque ut exiſtimat Crell. pag. 311. ea tantum quę ab Apoſtolo ad Heb. evertitur hypotheſis eſt, *ſi Chriſtus ſe ſæpius debuiſſet offerre, ſed ſi Chriſtus ſe debuiſſet offerre more pontificis legalis, cujus victima annua & caducæ efficaciæ*; hęc enim conjungit Apoſtolus, *ne ut ſæpe offerat ſemetipſum, ſicut pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno.*

Videamus

Videamus ſecundo loco de ſententiâ horum verborum, quam adverſarii adferunt. Volunt hic Apoſtolum docere, Chriſtum poſito quòd ſe ſæpius offerre debuiſſet, ſæpius etiam pati debuiſſe, antequam nos eſſe deſiiſſemus, ad quos videlicet, fructus oblationis pertinere debebat, intelligunt ergo per hæc verba, à jacto mundi fundamento, univerſum illud tempus, quod à patefacto Chriſto, uſque ad mundi finem duraturum eſt, ſenſu ſanè alieniſſimo à verborum ſignificatu. Nam primò cui perſuadebunt, ea fieri aut facta eſſe, aut fieri oportuiſſe, à jacto mundi fuudamento, quæ ultimis tantummodo diebus fiunt, facta ſunt, aut fieri oportuerunt. Ultimos dies Sacra Scriptura vocat tempus illud, quod à priori adventu Meſſiæ ad alterum Heb. 1. com. 1. Act. 2. 17. ideoque inane effugium eſt, quod dicunt, hoc ultimum tempus, per principium temporum, ad evidentiorem expreſſionem emphaticè denotatum. Nullâ legitimâ probatione, hanc ſuam emphaſin ſuſtinere poſſunt. Emphaſis eſt, cum tacita verbis ſubeſt, ſignificantia, quæ pronuntiatione indicatur. Tempus primum in ſacris non ſignificat tempus ultimum; tempora enim per hæc intervalla temporum opponuntur & diſtinguuntur. 2. Dico ſi loqueretur author de paſſione Chriſti ex Hypotheſi ſæpius iterandæ oblationis, ſæpius repetendã paſſionẽ ultimis diebus, non dixiſſet in præterito quod oportuiſſet eũ pati à conſtitutione mundi, ſed de eâ tanquã præſente aut futurâ loqueretur, & dixiſſet ſæpius debere pati uſq; ad finẽ mundi.

Ab hoc ſenſu reſilientes,quo terminum temporum,principium conſtituunt,aliam adferunt expoſitionem, quâ accipiunt verba ut ſonant. *Poſito dicunt Chriſtum ſe ſæpius offerre debuiſſe, ſequitur ex eo quo ſæpius iteratur oblatio Chriſti, eo magis peccata noſtra expiare, quare ut pleniſſimè peccata noſtra expiaret, oportuiſſe Chriſtum non modo aliquoties antequam nos eſſe deſiiſſemus, ad quos N. Fœdus pertinet, ſeipſum Deo offerre, & ſic etiam pati, ſed ejus rei à mundi primordiis facere initium.* At primò non valet illa Crellii collectio,ſententiam,quæ vult Chriſtum ſe ſæpius offerre debuiſſe,hoc ipſi etiam neceſſariò ſtatuere, Chriſti ſacrificium, quo ſæpius iteratum, eò efficacius eſſe ad peccata poſteriorum temporum expianda, hoc ex naturâ ſacerdotii aut ſacrificiorum prout ea in Scripturis explicantur, haberi non poteſt. Neque verò etiam ex ipſâ ſacerdotii aut ſacrificiorum ratione in ſe conſideratâ. Non ſimpliciter hæc eſt Hypotheſis, ſi Chriſtus ſe ſæpius offerre debuit, ſed ſi ſe Chriſtus offerre debuit&expiare more pontificis legalis,pati debuit à conſtitutione mundi. Pontifex legalis non offerebat ſæpius multis annis , ut tanto plenius alicujus inſequentis anni peccata expiaret , ſed ejus anni quo offerebat , ejus etiam peccata expiabat. Si ergo Chriſtus ex more Pontificis legalis, ſępius offerre debuiſſet,non ex eo inferendum eſſet , priſcis ſeculis , ſæpius offerri debuiſſe, non ut ejus ſeculi peccata , ſed ultimi demum expiaret, ex quo efficitur, non collegiſſe Apoſtolum, pati debuiſſe à conſtitutionę mundi,ut

peccata

peccata noviſſimi ſeculi expiaret, ſed ejus, quo ex Hypotheſi poſitâ offerre & pati debuiſſet. 3. Adverſarii hac expoſitione ſuâ Apoſtolum argumentantem faciunt ex Hypotheſi, quæ non apparet in verbis Apoſtoli, Etenim ſic eum argumentantem faciunt. Si quò ſe ſæpius obtuliſſet, eò magis expiaret peccata noſtra, oportuiſſet à jacto mundi fundamento pati.

Subjicit Crellius *verbum* ἔδει *ita latè patere. ut non tantum ejuſmodi neceſſitatem, cujus contrarium eſt prorſus impoſſibile, complectatur; ſed etiam vim, aut, ut vulgo loquuntur, neceſſitatem ejuſmodi, cujus contrarium non ſit conſentaneum, licet non ſit prorſus impoſſibile. Nam etſi aliquid ejus, quod ex Hypotheſi illa deducit auctor, ſit prorſus neceſſarium, non tamen neceſſe eſt, id eo verbo eſſe ſignificatum, aut totum id, quod deducitur, eſſe ejuſmodi.* At quidquid ſit de illâ voce, in hac illatione, ex ordinatione Dei talis eſt neceſſitas, ut contrarium ſit impoſſibile, nimirum Chriſtum ſe ſæpius offerre, & non ſæpius pati, niſi malimus Pontificiorũ commentis de oblatione incruenta, per ſacrificium miſſaticum accedere. Neque verò etiam ex Hypotheſi illâ deducitur, Chriſtum ſæpius debuiſſe pati, ſed diſertè, debuiſſe pati à jacto mundi fundamento. Itaque non tantum τὸ pati, ſed à conſtitutione mundi pati, conſectarium eſt, quod ex antecedente deducitur.

Subdit idem Crell. pag. 311. *Quemadmodum verba illa, in conſummatione ſeculorum, quæ opponuntur à jacto mundi fundamento, non ita exactè ſumuntur ab auctore, ut terminum ſeculorum*

dam adferre&ab adverſariorum objectamentis vindicare, quibus oſtendatur juſtificationem & remiſſionem peccatorum gratuitam Patribus redemptione Chriſti obtigiſſe,&efficaciam mortis Chriſti, ad ea etiam rempora extendendam, quæ Chriſtum anteceſſerunt; quo poſito ſi evincatur,per ea quæ inſequentibus diſputabuntur,redemptionem & alia,quæ morti & ſanguini Jeſ. Chriſti in ſacris tribuuntur,ſententiæ de ſatisfactione revera æquipollere; patebit Chriſti ſatisfactione, Patres à peccatis ſuis& eorundem reatu liberatos eſſe. Primò probatur Patribus juſtificationem&remiſſionẽ gratuitã, redemptione Chriſti contigiſſe,quia beneficio mortis Chriſti ſuſcitabuntur ex mortuis, Sic enim Soc.lib.2.de Servat. cap. 26. *Non ex eo, quod Chriſtus per mortem, ſalute æternaque vitâ donandi homines,poteſtatem conſecutus eſt, eos ſalvos fore,& ex mortuis ſuſcitatum iri, beneficio mortis Chriſti,nullâ licet ſatisfactione interveniente, optimo jure dici poteſt.* Quod ſi ergo,quotquot glorioſa immortalitate ſuſcitandi, mortis Chriſti beneficio id conſequentur; non alibi quoque eorundem, quam in morte Chriſti juſtificatio repoſita, quum Scriptura unanimi conſenſu doceat,non alium hominibus vitæ, quam juſtitiæ authorem eſſe Rom. 5. 21. Gal. 3.21. 2. Duplex tantum juſtificationis noſtræ coram Deo modus ex Script. ſacris cognoſcitur, prior ex lege alter ex fide per redemptionem Jeſu Chriſti. Nuſquam docetur duplicem eſſe juſtificationis gratuitæ rationem; quarum prior fuerit eorum,

rum, qui ante Chriſti tempora vixerunt, poſterior eorum, qui ſub novo Fœdere. Si veteres juſtificati fuiſſent, ſine redemptionis Chriſti intuitu, non valerent Paulinæ illæ argumentationes à deſtructâ juſtificatione legis, ad ponendam juſtitiam, quæ eſt ex fide Jeſu Chriſti, cum hæc ſententia, præter duos juſtiſicationis modos tertium introducat, quo quotquot fuerunt ab orbe condito pii ad vitam æternam pervenerunt. Neque Paulus, hac opinione admiſſâ, firmâ collectione concludere potuit, fidem Euangelii Jeſ. Chriſti juſtitiam & vitam credenti adferre ex Habacuc teſtimonio, *juſtus ex fide vivet*; ſi juſtitia & vita fidei in Chriſtum, non priſcis illis, ſed ultimis demum temporibus fuit propoſita. 3. Probatur noſtra ſententia ex illuſtriſſimâ illâ comparatione inter Adamum & Chriſtum inſtitutâ ad Rom, 5. à com. 15. ad 20. Crellius reſponſione ſuâ ad librum Grotii de ſatisfactione Chriſti, hujus teſtimonii vim eludens ait, *Paulum in totâ hac collatione de damno nobis per Adamum illato, tanquam de re præteritâ, & quæ amplius non ſit loqui; adeo ut utrique Adamo ſc. & Chriſto, ſuum tempus in collatione aſſignetur; illi quidem tempus, quod Chriſtum anteceſſit, huic omne id, quod ſequutum eſt. Quare ut collatio ſit perfecta, tantum abeſt, ut neceſſe ſit, juſtitiam per Chriſtum in omnes homines, qui ab initio mundi, uſque ad novi Fœderis tempora vixerunt, tranſiiſſe, ut potius ſtatuendum ſit, per eos omnes, in quos condemnatio, ex Adami delicto manavit, eos intelligi, qui Chriſtum anteceſſerant; per eos autem, in quos juſtitia, ex obedientiâ*

dientiâ Chriſti propagata eſt, vel propagari ex conſilio Dei debet, iſtos intelligi, qui Chriſtum ſunt ſequuti. Socin. lib. 3. de Servat. cap. 8. ad illa verba, ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita gratia regnet, per juſtitiam in vitam æternam, ait: *Paulum tanquam de re præteritâ, & & quæ duntaxat ante Chriſtum, aut ſine Chriſto eſſet, de regno loqui, quæ verba poſteriora ſine Chriſto, eum ſenſum habere poſſunt, ut intelligatur ceſſaſſe hoc regnum mortis adventu Chriſti*, quod Crellius contendit; vel ceſſare in iis omnibus, qui vera fide Chriſto inſeruntur; hac mente poſteriore accipiendus videtur Socinus, ſi ſibi bene conſonus; hoc enim omnino volunt illa, quæ alibi fuſius, & ex profeſſo disputavit, de propagatione mortis & condemnationis ex Adami lapſu in poſteros, *ſexto nimirum cap, lib. 4. de Servatore.* Etenim ſi generis propagatio omnes morti obnoxios facit, ut dicto loco pertendit; reatus ille mortis adventu Chriſti non deſiit; cum ex Adamo deſcendere per generis propagationem non deſinant homines. Ea inquit Socin. ibidem *conditio, quæ genitori affixa eſt perpetuò, una cum ipſo genere neceſſariò propagatur. Exempli causâ, ſi quis ob aliquod delictum ſuum, cujus participem uxorem habeat, una cum ipſa uxore ſervus fiat; ij qui poſthac ab iſtis gignentur, & propagabuntur, eandem ſervilem conditionem neceſſariò ſubibunt, non quia illis genitorum delictum imputetur, ſed quia ejus conditionis eſſe, ipſius genituræ vi, coguntur, cujus ij fuerunt, à quibus ſunt geniti & propagati. Quod exemplum ſi ad Adamum & genus humanum, ab eo propagatum*

gatum accommodaveris, videbis, unde fiat ut mortis rei omnes ſimus.

Peccati Adami & ex eo derivatæ mortis & condemnationis metam figendam in adventu Chriſti, nullo judicio in comparatione ſuâ Paulus oſtendit. Ipſe Crellius loco allegato ſcripſit, *conſilium Dei fuiſſe, ut in nobis prorſus ceſſaret effectus ille noxa Adami ſeu damnatio, niſi nos ipſi culpâ noſtra eum in nobis foveremus, oblatam gratiam aſpernantes.* Non ceſſat ergo niſi in credentibus: quare huic malo condemnationis omnes obnoxii, donec in Chriſtum credunt. Etiamſi enim verum eſſet, omnes & ſingulos, qui poſt Chriſtum venerunt in mundum, potuiſſe liberari per liberi arbitrii uſum, non tamẽ propter illud poſſe, quod is eſſe non tranſiit, dicendi ſunt liberati & juſtificati eſſe.

Sed venio ad ipſum hujus loci κρινόμενον. Dico ergo aut fideles omnes, qui ab initio mnndi ad Chriſti uſque tempora vixerunt, non fuerunt, neque à peccati primi, neque ab aliorum peccatorum reatu abſoluti, aut per hanc gratiam & obedientiam Chriſti fuerunt abſoluti. At Patres fuerunt juſtificati, ut invictè probatur exemplo Abrahami ab Apoſtolo prolato ad Rom. 4. & ex integro cap. ad Hebr. 11. ut alia omittam. Argumenti facti conſequentia probatur; quia nullum aliud antidotum, peccato morti condemnationi hic à Paulo opponitur, quam gratia & obedientia Jeſu Chriſti. Si ergo ut hominem Chriſtianum decet ſupra & extra Scripturas ſapere non velimus; confitendum gratiâ & obedientia Chriſti, juſtificatos

quod eſt in queſtione.

catos & ſalvatos eſſe; per obedientiam verò Chriſti qui juſtificatur, apertum eſt ejusdem morte juſtificari, in quâ obedientia Chriſti maximè conſpicua fuit. Hæc cum ita ſint, repudiandæ adverſariorum reſtrictiones, quod vel admittere coguntur, vel nihil adferre poſſunt ex ſacris, quo probent priſcos Patres vivificandos, quod tamen paſſim profitentur; quid enim adferri poterit, cui iſtiuſmodi temporis reſtrictio, aut ſimile aliquid opponi non poſſet.

Objicit Crell. pag.303.libri ſui. *Abundantiam illam gratiæ, de quâ loquitur Apoſtolus, ſub Novo demum fœdere hominibus oblatam, & ab iis qui in Chriſtum crediderunt acceptam, ut tum inquit ex aliis apparet, tum ex eo quod infra ad finem cap. docet Paulus, quâ ratione Deus effecerit, ut gratia ipſius abundaret, nempe quod legem voluerit ſubintroire, ut abundaret delictum, ſed ſuperabundaret gratia.* Verum negari poteſt primò, hanc abundantiam gratiæ, non fuiſſe priſcis temporibus, abundantiam enim gratiæ nuncupat Apoſtol. quod antea appellavit χάρισμα, gratiam Dei, donum per gratiam δώρημα Paulus de juſtificatione Abrahami agens dixit, *operanti mercedem non imputari ex gratiâ, ſed ex debito* Rom. 4. com. 4. *Et Abrahamo per promiſſionem gratificatum eſſe Deum* Gal. 3, 18. Neque verò quod dicimus, infringitur per id, quod infra ad finem cap. attulit Apoſtol. ibi enim non dicit Apoſtolus abundâſſe ſed ſuperabundâſſe gratiam, poſt auctum per introductam legem peccatum.

Quartum

Quartum pro noſtrâ aſſertione argumentum peto ex Heb. 9, com. 15. quo in loco, *mors Chriſti interceſſiſſe dicitur, ad redemptionem transgreſſionum quæ ſub priori Fœdere*. Ex hoc loco habemus, fuiſſe transgreſſiones ſub lege, quæ legalibus ſacrificiis non fuerunt expiatæ. Ad noſtrum impræſentiarum argumentum roborandum, non eſt quod hic diſputem, an quædam tantum an omnia universè & generatim peccata, legalibus victimis ſint expiata ſecundum modum & rationem legis; id ad inſtitutum argumentum nihil attinet. Neque etiam quicquam detrimenti pati poteſt, ſi cum Luthero aut Piſcatore, ut quidem illi referente ibidem Crellio, in Germanicâ ſuâ ejus loci tranſlatione fecerunt, ita, ea verba accipias, ac ſi dictum eſſet, *Chriſtum mortuum eſſe ad redemptionem à transgreſſionibus*. At occurrit Crell. dicens per tranſgreſſiones, quæ ſub priori Teſtamento auctorem non intelligere, *facta ipſa ſingularia ſub V. Fœdere perpetrata condonataque, ſed genus tranſgreſſionum iſtarum, quæ ſub eo Fœdere viguerunt, & ejus vi tolli atque expiari non potuerunt*. At inquã, non dixit Apoſtolus, Chriſtum redemiſſe quoddam, aut tale tranſgreſſionum genus: aut mortem ejus eſſe ad ἀποχύτρωσιν talium tranſgreſſionum, quales olim ſub V. Fœdere inexpiatæ manebant, ſed λευκάδι φωνῆ ad redemptionem earum tranſgreſſionum quæ ſub V. Fœdcre magis apertè & perſpicuè exprimere non potuiſſet, ſententiam à nobis defenſam, poſito quod contendo, Apoſtolum id voluiſſe, Si dicam Chriſtum redemiſſe peccatores

redemtionem

ſermone perſpicuo

catores, qui ſub priori Fœdere, non tale peccatorum genus redemiſſe intelligam, quale jam ſub Novo, nemo id aliter quam de ſingularibus & individuis perſonis acceperit, quæ ſub priori fœdere vixerunt; quę verò ratio concreti ea & abſtracti. Secundò ſic non potuit diſtinguere Apoſtolus, quia nullum genus tranſgreſſionum lege expiabatur, quod in diſputatione de ſacrificiis Deo volente, planum fiet. Accedit quod hujus Crellianæ interpretationis nullum poteſt adferri, ni fallor, exemplum. Ubi Chriſtus dicitur paſſus vulneratus mortuus propter peccata; ea portaſſe, pro iis ſe obtuliſſe, delicta non in conceptu generico, ſed ſingulari & individuo conſideranda veniunt. Denique aut doctrinâ illâ illuſtri, de ſacerdotii & ſacrificii Chriſti in expiandis peccatis valore & priſcorum rituum inefficaciâ, omnes quotquot ante adventum Chriſti fuerunt pii, purgatione conſcientiarum à peccatis privantur; aut efficacia ſacerdotii Chriſti ad Patres etiam porrigitur, hoc & ei ſimilibus locis. Perpetua enim ſacri Scriptoris ſuppoſitio eſt, *peccata non niſi expiatione aut ſacrificio deleri* Heb. 7. 11. 12. Heb. 10. com. 4. 5. Inſtat Crell. pag. 308. *Mirum eſſe auctorem, cum ut totus locus indicat, de vi mortis Chriſti loquatur, quã ſub ipſo Novo Fœdere habeat, finem ejus propinquiorem hunc ſimpliciter conſtituere, ut Deo ſatisfieret pro peccatis ſub V. Fœdere*; Sed hoc ipſum eſt, quod eſt in quæſtione. Secundò dico hujus finis poſitionem, non eſſe aliorum excluſionem; dicit Apoſtol. com. 14. hujus capit. *ſan-*

guinem

guinem Chriſti emundare conſcientias à mortuis operibus: hoc eſt interprete Crellio pag. 307. *à talibus peccatis, quibus mortis pœna, in lege fuerat conſtituta:* erant nihilominus ex hujus etiam auctoris mente tranſgreſſiones legalibus victimis inexpiabiles, quibus tamen pæna mortis non erant conſtituta, ut proſopolepſia ebrietas convitia alia. Pergit *vacatorum nomine eos revera intelligi, qui per Euangelium ſunt ad æternam fælicitatem vocati, quibus iſtorum peccatorum, quæ ſub ipsâ lege fuerunt commiſſa remiſſaque, expiatio nihil prodeſt. Etiamſi ergo tandem iſte fuiſſet mortis Chriſti finis, inquit, quem Grotius intelligit, non tamẽ ita, ut fecit auctor, erat commemorandus, ſed eo modo, quo fecit Grotius, qui hæc verba recitavit ad redemptionem etiam earum tranſgreſſionum.* Si per vocatos, intelligas vocatos, antequam veniſſet fides, quemadmodum loquitur Paulus ad Gal. 3. tota concidit ratiocinatio.

Quintò argumentor *ex loco ad* Heb. 9. com. 25. *& ſequentibus.* Hic habemus apertè oportuiſſe Chriſtum ſæpius pati à jacto mundi fundamento, ſi ſe ſæpius ad modum ſacerdotum legalium offerre debuiſſet. Quæ ratiocinatio Apoſtoli niſi ponat oblationem Chriſti, vim ſuam porrigere ad ea peccata, quæ à mundi primordiis perpetrata, nulla erit. Hunc ſenſum impugnat Socin. lib. 2. de Servatore, & ejus defenſor Crell. reſp. ad cap. 6. Grotii pag. 309. &c. alium etiam horum verborum ſenſum adferunt. De utroque videbimus. Objicit Socinus *tantum abeſſe, ut ex hoc loco probari poſſit, Chriſti ſacrificium, antequam perageretur, vim*

expiandi peccata habuiſſe, & ad priſcos illos pertinuiſſe. ut contrarium potius, evidenter inde colligatur. Nam ſi virtus ſacrificij ad eos etiam pertingere potuit, qui ſacrificium ipſum anteceſſerunt, ut neceſſe eſt affirmare, ſi velimus ad eos, qui ante Chriſtum fuerunt, id pertinuiſſe: quid opus erat, etiamſi Chriſtum ſæpius offerre oportuiſſet, ut is à condito orbe ſæpius pateretur. Annon ſatis ſuperq; fuiſſet, ſi Chriſtus poſtquã in mundũ venerat, pati cæpiſſet, & ante extremum illum diem ſubinde paßus eßet? cum igitur, Apoſtolus dicat, neceſſe futurũ, ſi oportuiſſet Chriſtum ſeipſum ſæpius offerre, ut etiã ſæpius paßus eſſet ab orbe condito, ſatis oſtendit, ſacrificiũ mortis non debere eße poſt illos, ad quos ipſius fructus manaturus eſt. Reſp. oblationem ſæpius repetitã, non nudè & abſtractè ab efficaciâ ſibi proportionatâ, conſideratã, ſed cũ eâ Levitici ſacrificii vim non excedente, concludere paſſionem Chriſti, ab orbe condito iterandam. Etenim ſi Chriſtus ex more Pontificis Levitici, cujus oblationes annuæ efficaciæ, ſæpius ſe offerre, & virtutem ſuam diffundere debuit; profecto aut virtus ejus, ad priſcos illos Patres, pertingere non potuit, aut ſæpius pati oportuit à mundi incunabulis. Ac proinde inanis eſt enarrata Socini retorſio. Neque ut exiſtimat Crell. pag. 3 11. ea tantum quę ab Apoſtolo ad Heb. evertitur hypotheſis eſt, *ſi Chriſtus ſe ſæpius debuißet offerre, ſed ſi Chriſtus ſe debuiſſet offerre more pontificis legalis, cujus victimæ annuæ & caducæ efficaciæ*; hęc enim conjungit Apoſtolus, *neut ſæpe offerat ſemetipſum, ſicut pontifex ingreditur in ſacrarium quotannis cum ſanguine alieno.*

Videamus

Videamus ſecundo loco de ſententiâ horum verborum, quam adverſarii adferunt. Volunt hic Apoſtolum docere , Chriſtum poſito quòd ſe ſæpius offerre debuiſſet, ſæpius etiam pati debuiſſe, antequam nos eſſe deſiiſſemus, ad quos videlicet, fructus oblationis pertinere debebat, intelligunt ergo per hæc verba, à jacto mundi fundamento, univerſum illud tempus, quod à patefacto Chriſto, uſque ad mundi finem duraturum eſt , ſenſu ſanè alieniſſimo à verborum ſignificatu. Nam primò cui perſuadebunt, ea fieri aut facta eſſe, aut fieri oportuiſſe, à jacto mundi fuudamento, quæ ultimis tantummodo diebus fiunt, facta ſunt, aut fieri oportuerunt. Ultimos dies Sacra Scriptura vocat tempus illud, quod à priori adventu Meſſiæ ad alterum Heb. 1. com. 1. Act. 2. 17. ideoque inane effugium eſt, quod dicunt, hoc ultimum tempus, per principium temporum , ad evidentiorem expreſſionem emphaticè denotatum. Nullâ legitimâ probatione, hanc ſuam emphaſin ſuſtinere poſſunt. Emphaſis eſt, cum tacita verbis ſubeſt , ſignificantia , quæ pronuntiatione indicatur. Tempus primum in ſacris non ſignificat tempus ultimum ; tempora enim per hæc intervalla temporum opponuntur & diſtinguuntur. 2. Dico ſi loqueretur author de paſſione Chriſti ex Hypotheſi ſæpius iterandæ oblationis, ſæpius repetendã paſſionẽ ultimis diebus, non dixiſſet in præterito quod oportuiſſet eũ pati à conſtitutione mundi, ſed de eâ tanquã præſente aut futurâ loqueretur, & dixiſſet ſæpius debere pati uſq; ad finẽ mundi.

 Ab hoc

peccata noviſſimi ſeculi expiaret, ſed ejus, quo ex Hypotheſi poſitâ offerre & pati debuiſſet. 3. Adverſarii hac expoſitione ſuâ Apoſtolum argumentantem faciunt ex Hypotheſi, quæ non apparet in verbis Apoſtoli, Etenim ſic eum argumentantem faciunt. Si quò ſe ſæpius obtuliſſet, eò magis expiaret peccata noſtra, oportuiſſet à jacto mundi fundamento pati.

Subjicit Crellius *verbum* ἔδει *ita latè patere. ut non tantum ejuſmodi neceſſitatem, cujus contrarium eſt prorſus impoſſibile, complectatur, ſed etiam vim, aut, ut vulgo loquuntur, neceſſitatem ejuſmodi, cujus contrarium non ſit conſentaneum, licet non ſit prorſus impoſſibile. Nam etſi aliquid ejus, quod ex Hypotheſi illa deducit auctor, ſit prorſus neceßarium, non tamen neceße eß, id eo verbo eße ſignificatum, aut totum id, quod deducitur, eſſe ejuſmodi.* At quidquid ſit de illâ voce, in hac illatione, ex ordinatione Dei talis eſt neceſſitas, ut contrarium ſit impoſſibile, nimirum Chriſtum ſe ſæpius offerre, & non ſæpius pati, niſi malimus Pontificiorū commentis de oblatione incruenta, per ſacrificium miſſaticum accedere. Neque verò etiam ex Hypotheſi illâ deducitur, Chriſtum ſæpius debuiſſe pati, ſed diſertè, debuiſſe pati à jacto mundi fundamento. Itaque non tantum τὸ pati, ſed à conſtitutione mundi pati, conſectarium eſt, quod ex antecedente deducitur.

Subdit idem Crell. pag. 311. *Quemadmodum verba illa, in conſummatione ſeculorum, quæ opponuntur à jacto mundi fundamento, non ita exactè ſumuntur ab auctore, ut terminum ſeculorum*

ultimum ſignificent, in quo Chriſtus per hoſtiam ſuam apparuit: ita etiam conſentaneum eſt verba oppoſita, non ita exquiſitè ſumenda eſſe, ut ſignificetur, ab ipſo ſeculorum initio ſtatim fuiſſe Chriſto patiendum. Nonnulli per conſummationem ſeculorum intelligunt, non finem mundi, ſed tempus paſſioni Chriſti, conſilio Dei deſtinatum: hæc temporum perfectio, *plenitudinis nomine inſinuatur* à Paulo Gal. 4. com. 4. Eph. 1. com. 10. ſed malim propter claram temporum oppoſitionem, quæ ab Apoſtolo, hoc loco facta videtur, communem Doctorum expoſitionem ſequi, qui hanc conſummationem finem ſeculorũ interpretantur. Verùm finis ſeculi nõ tantùm ultimum terminũ ſeculorum noviſſimi ſeculi deſignat, quomodo accipitur Matt. 13. com. 39. 40. Mat. 24. com. 3. ſed totum illud temporis intervallum, quod cæpit Chriſti adventu primo, deſinet ſecundo, *ultimi dies* Act. 2. 17. *ſeculorum fines* 1. Cor. 10. com. 11. *ultima hora* 1. Joh. 2. 13. decentiſſimè conſummatio ſeculi dicuntur. Quæ cum ita ſint planum ſit, Apoſtolum non aliter verba illa, in conſummatione ſeculorum ſumſiſſe, quàm in ſignificatione, quam ex uſu Scripturæ habent quare nullius etiam roboris hæc evaſio.

Unum adhuc propoſito themati firmando locum adfero, is eſt ad Rom. 3. 25. 26. Hoc loco *Chriſtus placamentum dicitur, eorum peccatorum, quæ ante facta* ἐν τῇ ἀνοχῇ τοῦ θεοῦ. Peccata iſta ſunt eorum, qui Chriſti adventum anteceſſerunt: opponitur enim iſtis divinæ tolerantiæ temporibus, tempus illud, quo Chriſtus Evan-

In Dei tolerantiâ.

gelio

gelio exhibitus. Eodem ſenſu dixit Apoſtolus ad Heb. 9. *mortem Chriſti, eſſe ad redemtionem earum tranſgreſſionum, quæ ſub priori fœdere.* Sed ne nimium diffundamur, deſino & manum tollo. Mantiſſam hanc hîc appendere viſum fuit.

Venio itaque ad quartum paragraphum, quo N. fœderis promiſſum adducit ejus inquit *verba oſtendere*, *Deum ingentem beneficentiam ac liberalitatem in condonandis peccatis exerciturum.* Hic primò nobis objicit, *quomodo propitius fuiſſet, Deus injuſtiis populi ſui, ſi cum eas omnes liberaliſſimè condonare potuiſſet, ſibi tamen plenè, pro ipſis ſatisfieri voluiſſet.* Hæc argumentatio nulla eſt, utpote quæ ſumit, Deum ſine ſatisfactione condonare potuiſſe; & ſi conſtare poteſt liberalitas, poſito quod pœna neceſſaria, ut concedit Socinus, quamquam dubitante, non video, cur libera pœnæ exactio tollat liberalitatem: libertas & neceſſitas exactionis, ejus naturam aut eſſentiam intrinſecam non variant, ſed ex accidente ſe ad illam habent. Itaque, ſi pœna, quæ neceſſariò infligitur, liberalitatem in condonando non perimit, id etiam non facere pœnam liberam & arbitrariam, cenſendum eſt. Urget ſecundò peccatorum non recordari, & ea punire contradicentia eſſe. Hoc enim illa operantur, *quomodo peccatorum & iniquitatum populi, in Novo Fœdere peragendo, recordatus non fuiſſet, ſi ne minimum quidem impunitum reliquiſſet.* Primò hæc contradictoria eſſe, ſemper ex cerebri ſui κυρίαις δόξαις, nunquam ex Script. fontibus præcipuis opinionibus.

tibus firmat. 2. Promittit quidem Deus, ſe peccatorum & iniquitatum populi ſui non recordaturum; ſed nunquam promiſit ſe eorum in Chriſto non recordaturum: imò hoc verbo Fœderis ſæpius declaravit, non aliter, non recordationem peccatorum nobis exhibitam & expoſitam eſſe quam Chriſti ſanguine. Quod ſi ergo, ea quæ de ſanguine & morte Chriſti poſtmodum dicenda erunt, id efficiant, veram à Chriſto pro peccatis noſtris, ſatisfactionem eſſe præſtitam, tum non recordatio peccatorum, idonea probatio non eſt, abſolutæ impunitaris. Quemadmodum Chriſti ſatisfactio, Dei liberalitatem non tollit, ita nec liberalitas ſatisfactionem. Non minori jure, quiſpiam poſſet negare, Dei in condonandis peccatis gratiam propter ſolutionem à Chriſto præſtitam; aut ea, quæ de mortis & ſanguinis Chriſti virtute, in delendis peccatis noſtris leguntur, quàm Socinus propter gratuitam condonationem nobis factam, ſolutionem à Chriſto præſtitam tollere e medio eſt auſus. Itaque iſtiuſmodi humana conſequentia, authoritati Script. ſacræ, ſuccumbere oportet; & utrumq; religioſâ fide tenendum nobis, nimirum gratuitam eſſe peccatorum condonationem; Chriſtum verò eorum pœnas perſolviſſe.

Pergit *mirum non eſſe, ſi earum iniquitatum non recordatus ſit amplius, poſtquam pro omnibus ſibi plenè ſatisfactum.* Sed mirum hoc eſſe neq; à Propheta, neque ab authore ad Heb. ſcriptũ eſt. Fallit adverſarius, diſjungens, quæ conjungenda. Non recordatio iniquitatum includit

non

non excludit ſatisfactionẽ. Merito verò quod ſine cauſa nobis objicit, in Prælectorem retorquere poſſumus; *mirũ non eſſe, Deum peccatorũ non recordari cum ſupra prælegerit, planè veriſimile eſſe, naturamque ipſam docere, Deum iis, qui ſceleribus relictis, purè atque innocenter vivunt, ea ſcelera liberaliter condonare* ſect. 2. hujus cap.

Sequitur, *quo magis autẽ is, in quo iniquitates iſtæ puniantur, Deo, hujus eſt, eo minus, non modo liberalitas ulla, ſed facti (ut ſic loquar) tolerabilitas apparet; quid indignius, quam nulla neceſſitate hominem ſibi cariſſimum ſupplicio afficere*, omiſſis aliis, quæ attingere non operæ prætium nego, quo quis magis á Deo diligitur, eò minus tolerabile eſſe, eidem pænam irrogari. Nihil amori aut odio, cum pænâ negotii προσωπολήπτης eſt, qui dextram amoris, aut ſiniſtram odii novit. Quo quis qui deliquit, alioqui charior judici eò magis judex à juſtitiæ laude commendatur. Hinc Bruti & Manlii Torquati in filios ſeveritas. Obſtat amor ſupplicio, & quò eſt major eò difficilius pæna irrogatur, colluctante juſtitia cum affectu. Quod ergo Deus chariſſimum ſibi Filium pro nobis ad pænam poſtulavit, eo illuſtriſſimum clementiæ & liberalitatis documentum exhibuit. Tantum abeſt ut pænam Chariſſimo Filio irrogatam liberalitatem extinguat; ut potius amoris magnitudo, cedat in augmentum liberalitatis. Neque verò etiam, quia quis diligitur, indignum punire. In pænis, non quid amor jubeat, ſed quid juſtitia permittat, aut præſcribat attendendum eſt. Ex merito delicti, æquitas aut iniquitas pœ-

perſonam reſpicit.

pœ-
næ

næ æſtimanda eſt. Si pænâ digni, alioquin Chari, ab omni ratione abhorret dicere, indignum eſſe eos ſupplicio affici. Dices, quamquam ſontes ſupplicio afficere non indignum; nullâ neceſſitate tamen eò adigente, indigniſſimum id eſſe. Primò jam probatum, in ſuperioribus, pœnam non arbitrariam, ſed neceſſariam eſſe non uno modo. 2. Etiamſi neque abſoluta, neque hypothetica neceſſitas pœnam imponeret, neceſſitas tamen iſtius defectus, Socino non poteſt eſſe cauſa ſic pronuntiandi. Si non eſt indignum ex mente Socini, ſine neceſſitate Chriſtum diris objici cruciatibus, ergo nec indignum puniri: quæ enim indignitas in pœnâ liberâ, quæ in afflictione liberâ non inveniatur? Mortem Chriſti non facit neceſſariam neceſſitate ex cauſa Socini: non video itaque cur ſecundum ejus doctrinæ hypotheſes, Deo liberum non fuerit ſine paſſionibus & truculentâ morte ad immortalitatem perducere. Et quemadmodum Chriſtus ad ſalutem perduci potuit, per aliam quàm crucis viam; ita & omnes qui ſalvantur. Si enim Socinianis fides habeatur, hoc præceptum crucis planè ſingulare & novum, per Chriſtum demum datum. *Smalc. cap. 5. lib. de divinitate Chriſti:* quod ſi verum Patres per aliam, quàm hanc viam novam ad immortalitatem pervenerunt: quid ergo impedit, etiam alios pervenire? Quo poſito, mortem Chriſti ad eam viam confirmandam, intervenire non fuit opus. Cauſa enim propter quam, ut ait Crell. reſponſ. ſuæ pag. 282. *Chriſtus ſalutis viam, exemplo ſuo*

nobis demonſtrare, ac plenè confirmare non potuit, niſi mortem violentam adiſſet, & per eam demum, ad immortalem gloriam perveniſſet, eſt, quia hæc ea eſt via, quâ nos ad gloriam Deus vult deducere. Deinde etiamſi viâ crucis piis hominibus ad immortalitatem eſt enitendum; non neceſſe fuit ad eam rem confirmandam ſanguinem à Chriſto fundi: nam ad hanc rem aut ſuffecerunt oracula & miracula Chriſti; glorioſa in cœlos ſine morte evectio: aut ſi opus fuit in plenam fidei & ſpei noſtræ confirmationem, exemplum & experimentum extare, id in alio quolibet exhiberi etiam potuit. Id verò etiam ob iſtam cauſam neceſſarium non fuiſſe ex eo patet, quia Chriſtus ſe per paſſiones ad æternam gloriam & immortalitatem perventurum, ejus exemplo non extante fuit perſuaſiſſimus: ipſe ſcivit mandatum Patris vitam æternam eſſe, etiamſi non haberet ſibi præeuntem, in quo immortalitas ad oculum oſtenſa eſſet ut loquitur Smalc. cap. 25. *lib. de divinitate Chriſti.* Præterea in Chriſti exemplo non monſtratur peccatorum pœnitentium æterna ſalus, & quæ ei adhæret remiſſio peccatorum, Chriſtus enim abſque omni peccato fuit. Taceo quod Chriſtus tertio die ſuſcitatus; fideles poſt multa demum ſecula; quod Chriſtus non ſenſit corruptionem, reliqui fideles in pulverem & cineres convertantur. Multùm inquit Crell. reſp. ſuæ ad cap. 1. *intererat eum, in cujus manu totius ſalutis noſtræ ratio ponenda erat, ſingularem ſuam erga nos adhuc impios charitatem apertiſſimo argumento comprobare, & omnia mala*

ipſamque

ipſamque adeo mortem diriſſimam; quæ nobis ad ſalutem aſpirantibus, perpetuò imminet experiri, ut miſericors evaderet ac fidelis pontifex. Sed neque hæc inevitabilem moriendi neceſſitatem impoſuerunt Filio Dei, nam & aliis illuſtribus argumentis charitas demonſtrari potuit & demonſtratur: Et quamquam Filius non ſenſit corruptionem & diuturnitati mortis non fuit obnoxius; neque peccati infirmitate circumdatus, quemadmodum legalis pontifex, promptus tamen ad ſuccurrendum iis, qui iſtis obnoxii. Propenſiſſimam etiam in ſe miſericordiam Dei experiuntur fideles, etiamſi nullis unquam malis aut infirmitatibus obnoxius fuerit. Itaque cum nullas cauſas attulerit Socinus mortis Chriſti, quæ trahant ſecum omnimodam neceſſitatem, ſcribere non debuit, niſi ſuis velit opprimi principiis, *quid indignius, quã nullâ neceſſitate, hominem ſibi chariſſimum ſupplicio afficere.*

Progredior ad ea quæ ſequuntur. Scribit *liberalem de ſuo donare, id non conſtare, Deum in Novo Fœdere pangendo, de ſuo donâſſe, ſi plenam pro peccatis populi ſatisfactionem acceperit, ut latius legi poteſt in ipſo Prælectionum contextu.*

Deus in Novo Fædere pangendo, de ſuo donat & largitur, Chriſtus Mediator Fœderis illius, quantus quantus eſt, Dei munificentiâ nobis obtingit, quod ipſe ſatisfactionem pro noſtris peccatis præſtitit, hoc ipſum etiam Dei donum eſt, ipſum enim ex merâ in nos munificentiâ ſaluti noſtræ, impendere non dubitavit; *proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus*

omnibus tradidit Rom. 8. com. 32. & nos ſibi per Jeſum Chriſtum reconciliavit; hoc ipſum pretium, quo pro noſtris peccatis ſatisfactum, ab ipſo habet, quod ſatisfactorium.

Poſtquam de promiſſione Novi Fœderis egit Prelector, incipit jam videre de iſtius promiſſionis complemento. Hîc primò ingerit *remiſſionem peccatorum exiſtere per viſcera miſericordiæ divinæ*; ſatisfactonem id tollere, quia nudâ aſſertione ponitur, nudâ negatione retunditur, idque eo magis quia jam dicta repetere ſupervacaneum. Mox adjicit Johannem nihil aliud prædicâſſe, quàm pœnitentiã in remiſſionem peccatorum. Ejus occaſione delabitur in quæſtiones alias; ut de perfectione, lege datâ & latâ per Chriſtum: de vitâ æternâ, per ipſum primùm revelatâ & annuntiatâ, quæ quia quaſi preteriens attingit, mihi de his diſſerere hoc loco non eſt propoſitum, quia fuſiorem diſputationem poſtularent. Summam etiam ipſius doctrinæ Jeſu Chriſti, nihil aliud eſſe ait, quàm remisſionẽ peccatorũ iis, qui pœnitentiã egerint, expoſitam aut paratã eſſe. Summâ doctrinę de pœnitentiâ, ipſâ in Chriſtum fidem contineri, eam non ullius ſatisfactionis apprehenſionem eſſe, ſed Chriſti præceptorum obedientiam ſub ſpe futuræ immortalitatis. Poſtremò tanquam pugnantia inter ſe committit, pœnitentiam noſtram & alienam ſatisfactionem.

Ita Prælector contra Scripturæ authoritatem, fidem & pœnitentiam confundit. Pravam etiam fidei definitionem obtrudit, quâ fides

fides Chriſtiana ſubruitur, quæ aliter concipienda omnino, ſi Chriſti mors verè ſatisfactoria ſit pro peccatis noſtris. Pœnitentiæ noſtræ convenire non poſſe cum aliena ſatisfactione ἀλογίστως pronuntiat; cum Scripturæ authoritas hæc non opponat, ſed componat & ſubordinet. Faceſſere debet humana ratiocinatio probato ex Scripturis ſatisfactionis dogmate: captivandus intellectus in obſequium veritatis. Et ſi ſatisfactio & pœnitentia incompatibiles rationi viderentur, ſatius eſſet ejus agnoſcere infirmitatem, quàm cerebri noſtri conceptibus authoritati ſacræ præſcribere. Pro pœnitentibus ſatisfecit Chriſtus Eph. 5. com. 25. Pœnitentia finis & effectum ſatisfactionis Tit. 2. com. 14. Et quæ eſt concordia gratiæ divinæ, & pœnitentiæ noſtræ quarum utraque delet peccata noſtra; quæ conſenſio juſtificationis cum noſtrâ ſanctificatione, ea etiam inter alienam ſatisfactionem & pœnitentiam noſtram inveniri poteſt. Nam quod ſatisfactio & pœnitentia ad invicem contraria videantur Prælectori, cauſa eſſe videtur, quod præcepto pœnitentiæ à nobis exigatur id, quod ſatisfactione pro nobis præſtitâ eſt perſolutum, atque ita bis idem præſtandum videtur. Hoc ipſum verò in juſtificatione & ſanctificatione noſtrâ ex mente Prælect. conſideratis ita ſe habet: nam cum totam & integram juſtitiæ rationem habeant fideles, per gratuitam Dei imputationem; magnam rurſum ejus partem, per propriam & inhærentem ſanctificationem habent.

Quinto

Quinto hujus cap. Paragrapho, primum totus in eo eſt, *Vt oſtendat remiſſioni debiti, & pro eodem ſatisfactionem ſimul conſiſtere non poſſe, ſive impoſſibilia eſſe, ut unū & idem debitum & exigatur & remittatur; etiamſi exactio & remiſſio circa diverſa ſubjecta occupentur: remiſſionem eſſe liberationem ab obligatione, liberalitate creditoris aut rectoris contingentem. Satisfactionem* ſumptâ voce non ex uſu juris, ſed pro verâ & plenâ debiti aut pænæ compenſatione (cum enim lex ſatisfactionem requirit, ſufficit fidejuſſores vel pignora offerre) *eſſe liberationem ab obligatione, nulla interveniente creditoris liberalitate.* Neque verò tantummodo urget hæc conſiſtere non poſſe, quod hi actus intrinſecam ex parte rei exerce aut repugnantiam; ſed quia alter alteri objectum ita deſtruit, ſecundum totum ſui & quamlibet ejus partem, ut uno poſito alter locum invenire non poſſit.

Ad hanc poſteriorem difficultatem diſſolvendam, omiſſâ priore, ad quam ſuperius reſponſum arbitror, ſciendum eſt ſatisfactionem non ipſo facto liberare reum ab obligationis nexu; ſed hoc agere ut homo pænitens & credens, ab eo abſolvatur & liberetur, qui actus abſolutionis remiſſio eſt. Quod eo minus improbandum, quod jure etiam civili, cum non ſolvitur id quod debetur, ſed aliud pro alio, tum iſta ſolutio ipſo facto obligationem non perimit: neque ipſa liberatio conſequitur, niſi accedente voluntario conſenſu creditoris; non enim cogitur creditor aliud pro alio recipere l. 2. *ſi certe petat* l. cum. 16. cod eod. Alciatus

ad l. ſolut. verb. 176. ff. *de verborum ſignificationibus.* Hic Ulpianus, *ſolutionis vèrbo, ſatisfactionem quoque omnem accipiendam placet,* ſolvere dicimus eum, qui fecit quod facere promiſit, ad quæ ita Andreas Alciatus. *His ſolum admonendi ſumus, procuratorem, qui ſolutione recipiendæ conſtitutus ſit, ſi dilgationem aliamve ſatisfactionem recipiat, debitorem non liberare: ut enim ſolutionis verbo verum ſit omnem ſatisfactionē accipi, tamen cùm aliud pro alio, invito creditore, præſtari non poſſit, qui mandat, ut ſolutio recipiatur; mandaſſe id intelligitur, ut in ſpecie debita recipiatur: & ideo abſque Domini conſenſu, procuratur reum debendi liberare non potuit.* Et paulo poſt, *eum ergo hic omnem ſatisfactionem contineri dicitur, ſubinferendum eſt, quam tamen creditor acceptare voluit.* Quemadmodum ergo ſolutio non tollit debitum, niſi accedente aliquo actu; ita ſatisfactio pro peccatis noſtris non abſolvit ab obligationis nexu, niſi fideles per remiſſionem gratuitam. Tollitur autem omnis obligatio ſolutione ejus quod debetur; vel ſi quis conſentiente creditore aliud pro alio ſolverit.

At contra inſurgit Crell. reſp. ſuæ ad cap. 6. Grotii, pag. 322. remiſſionem debiti, præcepto fidei & pænitentiæ conditionatum, ſatisfactioni ſuccedaneam eſſe non poſſe, Cornuto pugnat argumento. *Aut enim inquit ſi vim verborum ejus reſpicias, ſolutio talis eſt, quæ ſola, abſque aliis conditionibus, præſertim debitori impoſitis, deſiderium creditoris aut rectoris circa debitum, pro quo ſolvebatur, impleverit, aut talis quæ abſque his non impleverit. Si poſterioris generis ſolutionem*

intelligis

intelligis, ea ſola ſatisfactio non eſt, ſed una cum cæteris conditionibus conjuncta. Sin prioris generis ſolutionem intelligis, qualis hic ſumenda eſt, quomodo is qui ſolutionem iſtam admiſit, conditiones adhuc alias imponere poteſt, ad liberandum debitorem neceſſarias? Qui enim conditiones imponit, ejus deſiderium nondũ eſt impletũ. Reſpondetur ad hoc dilemma diluendum, ſolutionem illam verò & plenè ſatisfactoriam eſſe abſque conditionibus, ita ut totum deſiderium Dei ſatisfactoriam ſolutionem debiti poſtulantis ſit impletum; inde tamen propterea non efficitur, totum Dei deſiderium impletum eſſe, ut effectus liberationis ab obligatione, ex ſatisfactoriâ iſtâ ſolutione conſequatur. Cum enim voluntati ſolutionem poſtulanti, quà tali ſatisfactum eſt; nihil obſtat voluntatem Dei velle, ut quædam conditiones ſerventur, antequam debitor effectum ſolutionis conſequatur. Fallit ergo hoc dilemma fallaciâ homonymiæ: nam alia eſt ea ſatisfactio, quâ voluntati debiti perſolutionem poſtulanti ſatisfit, alia ea quâ voluntati conditiones præſcribenti ſatisfit. Fallit etiam fallaciâ dicti ſecundum quid ad dictum ſimpliciter: ſumit enim ſuo dilemmate, deſiderium quod ſecundum quid, per ſolutionem & ſatisfactionem pro peccatis noſtris impletum eſt ſimpliciter ac abſolutè ſic impletum eſſe, acſi nullius amplius deſiderii divini impletio ſuperſit facienda, ut remiſſio conſequatur.

Porro, quemadmodum ſatisfactio non tollit remiſſionem, ita nec debiti noſtri in Chri-

ſtum tranſlatio, ut enim ea hujus ſatisfactionis eſt ratio ut obligationem non extinguat ipſo facto, ea etiam hujus tranſlationis eſt ratio.

Secundo hujus ſectionis loco ex parabolâ Mat. 18. com. 23. & ſequent. argumentatur noſter Prælector; *ex eâ inquit ſatis intelligi, in liberatione noſtra à debito peccatorum noſtrorum, nullam veram ſatisfactionem interveniſſe.*

In eo conveniunt Rex & Deus, quod uterque benignitate maximâ ſunt uſi, Deus in remiſſione debiti peccati, Rex in remiſſione pecuniæ debitæ. Hæc ratio benignitatis & inſtitutæ comparationis ſalvatur, quamquam rex ſine alicujus tertii ſatisfactione, Deus interveniente alterius ſatisfactione univerſum debitum remiſerit. Neque propter hanc diverſitatem ſervus ille malus, ita cum Deo expoſtulare potuit, ut quidem expoſtulantem & Deo miſericordiam ſuam procaciter exprobrantem facit Socinus, quaſi Deo litem intendere poſſit viliſſimus homuncio, multis nominibus Deo debitor, æterno exitio & maledictione dignus, quod Deus poſthabitâ injuſtitiâ non miſereatur, quis iſtiuſmodi exprobrationem non omni humanitatis, æquitatis, pudoris expertem fateatur? neque ſervus in facti ſui defenſionem, modum regiæ remiſſionis, qui per ſatisfactionem alienam obtendere potuit, quaſi ęquitas rei, ęqualitatem poteſtatis, quod ad hoc attinet, inter regem & ſervum eſſe jubeat. At ulterius premimur paritatem à Deo conceſſam, imò mandatam eſſe, & quod Deus fecit hic nobis in exemplum & imitandum propo-

poni,

poni. Verum negatur parietatem per omnia conceſſam aut mandatam eſſe, aut Dei in remittendis peccatis benignitatem, cum ſuis circumſtantiis & propriis modis, aut ſub earum ratione nobis in exemplum aut imitandum proponi. Quapropter hic conſequens non eſt, aut nos curare poſſe, ut nobis ab alio quopiam ſatisfiat, aut à Deo hoc curatũ non eſſe, ut ſibi ab alio ſit ſatisfactum; aut ſi Deus ſibi pleniſſimè ſatisfieri poſtulavit, nobis ſine tali ſatisfactione remittentibus, Deum benignitate in condonandis offenſis ſuperare. Verè à me dici, paritatem per omnia non conceſſam aut mandatam eſſe, aut vi benignitatis divinæ nobis in exemplum propoſitæ, ſatisfactionis pro peccatis noſtris dogma, non everti ex eo patet quod divina remiſſio contingit nobis ſanguine Filii Dei, pro nobis fuſo, Deo id ita procurante, ut autem mutuas offenſas condonemus, nulla victima procuratur, quamquam verò pro proximo delinquente nemo moritur, ut venia illi concedatur, Chriſtus autem pro nobis peccatoribus mortuus, ut remiſſio peccatorum nobis obtingeret, inconſequens eſt nos Deo benigniores eſſe; aut nos propter iſtam diſſimilitudinem, Dei exemplum in condonandis peccatis non imitari, aut quia Deus procuravit, ut aliquis pro delinquentibus moreretur, nos etiam curare poſſe ut moriatur aliquis pro iis, qui nos offenderunt, ut venia offenſæ concedatur.

Tertiò ex voce χαρίζεσθαι argumentatur, & nonnulla alia iterum ponit, ad quæ reſponſio Gratificari.

peti poteſt ex iis quæ ad priorem partem ſect. 4. hujus cap. dicta ſunt. Urget Crell. reſp. pag. 330, verbum hoc ſatisfactionem veram prorſus excludere. *Quod enim inquit, beneficium indebitum præſtat debitori is, qui pro eo verè ſibi ſatisfieri curat, & tantundem, quantum debebatur recipit? Is quidem, qui pro debitore ſoluit, beneficium illi præſtat, & tantò majus quanto plus ſoluit: ſed nullum is qui ſolutionem accipit.*

Cum is qui pro debitore ſoluit, benificium debitori præſtat, poſito quod Chriſtus pro nobis ſoluerit ad extinguendum debitum peccatis contractum, beneficium præſtitit, & gratiæ illius imputanda eſt liberatio ab obligatione. Hoc ipſum verò eſt Crellio χαρίζεσθαι, quare ex eo, quod Chriſtus ſatisfecit pro nobis, inferri non poteſt, quod Chriſtus nobis non ἐχαρίσατο. Qui ſatisfactione ſolutionem debiti recipit, ut in hac materiâ Deus, rectè dicitur χαρίζεσθαι, quando liberatio à debito, indebitum ejus cui ſolvitur beneficium eſt; quam vocis ejus definitionem dicto loco Crell. admittit. Tam verò noſtra à peccatis abſolutio per ſatisfactionem, indebitum Dei in nos beneficium eſt, quia nos nihil ex parte noſtrâ contulimus ad debitum diſſolvendum, ſed Dei clementiſſimi gratiâ id procuratum. Deinde ipſa ſolutio, per quam extincta obligatio, gratiæ divinæ opus eſt, ut & ſupra monui. Addo quod mors Chriſti ſit ſatisfactoria, & vim habet perimendæ obligationis, hoc ipſum indebitum Dei beneficium eſt, niſi enim eſſet Deus qui moritur, mors ejus vim illam ſatisfactoriã non

Gratificatus ſit.

non haberet. Denique quod primo loco potius nominandum erat, Deus non tenebatur ſatisfactionem admittere, gratuitus ergo ille conſenſus Dei ſatisfactionem admittentis, indebitum Dei beneficium eſt, & noſtra inde orta liberatio à peccatis. Opponit Crell. reſp. pag. 315. *Si res quæ ſolvitur, æquè ſit pretioſa & commoda, æquitatis naturam non pati, eum qui ſolvit, amplius obligari, & apud Deum æquitatis auctorē, id fieri nullâ ratione poſſe; talem verò eſſe ſolutionem à Chriſto, noſtri loco præſtitam, ſi adverſariorum inquit noſtrorū mens reſpiciatur.* Ad quod reſpondetur, quod commoditas & utilitas rei nō eſt æſtimanda ex eo, quod res eſt in ſe ſed ex eo quod eſt ei cui utilis aut commoda dicitur, ut fatetur Crellius. Jam verò, res quæ ſunt ex uſu Dei; id ſunt ex Dei decernentis arbitrio ex infinitis myriadibus rerum, de quibus ſtatuere potuiſſet Deus nonnullas ſibi elegit pro arbitrio ſuo, circa quas providentia & regimen ejus verſatur, quo poſito multæ res utiles Deo, in fines & actiones quaſdam ſibi propoſitas, quæ id non eſſent, ſi fines & actiones illas ſibi non propoſuiſſet. Contra quædam non utiles & commodæ quia arbitrii divini decretis non conveniunt, quòd ergo ſolutio Chriſti, æquè commoda Deo, imò magis Deo inſerviens, quàm ipſa pœna peccantium, hoc totum ortum ſuum habet ex Dei arbitrio & liberrimâ diſpoſitione. Si enim Deo aliter diſponere viſum fuiſſet de ſuis & noſtris rebus, tota res contrario ſe haberet modo. Itaque ſatisfactionem non admiſit Deus, quia magis

utilis & commoda; ſed ex liberrimo & gratioſo voluntatis ſuæ beneplacito & φιλανθρωπίᾳ eam ſibi magis utilem & commodam fecit. Etiamſi, modò velit, quod poteſt ex plenitudine poteſtatis ſuæ, Deo æquè commodum atque utile eſſe poteſt, id quod ſolutum, quàm id quod eſt in obligatione, ut in ſatisfactione Chriſti contingit, quæ eſt loco pœnæ noſtræ, nego propterea Deum ab ipsâ æquitate determinari ad id accipiendum; quamquam enim non malè exiſtimet Crellius, hoc ipſum in rebus humanis, omnino jubere æquitatem, non tamen argumentum procedit ab humanis ad divina. Etſi enim æquiſſimus Deus omnis æqui & recti auctor, ejus tamen æquitatem iiſdem teneri legibus, quibus humana inconſequens eſt. Neque rationes eæ, quæ hominibus adimunt indifferentiæ libertatem, eæ & Deo hanc neceſſitatis legem figunt.. Aio ergo Deum ſalvâ æquitate potuiſſe non velle ſolvi ſibi ab alio, quamquam quod perſolutũ æquè utile atque commodum illi, quàm quod erat in obligatione. Quod niſi concedat Crellius, admittere cogetur, Deum peccata debuiſſe condonare ex vi hujus æquitatis, quia hujus æqualis utilitatis atque commoditatis ratio tam inveniri poteſt in opere remiſſionis, quàm in hoc opere ſatisfactionis. Quid enim an non tam ad utilitatem Dei, hoc eſt Dei gloriam comparata poteſt eſſe remiſſio, quàm pœna: neque glorificari minus ſalute, quàm exitio peccatoris poteſt Deus. Tenebitur ergo Deus per regulas Crellii ad remiſſionem facien-

Amore erga homines.

faciendam ; quod eo fortius procedit, quod remiſſio cum æternâ debitoris ſalute ; pœna cum extremâ debitoris pernicie foret conjuncta. Verba enim Crell: dicto loco pag. 315. ſunt ; *iniquisſimè facturum creditorem, ſi rem ipſam, quæ eſt in obligatione ſibi exhiberi poſtulet, præſertim ſi videat, id cum extremâ debitoris pernicie fore conjunctum.* 2. Si tenetur Deus ex æquo & bono, ad id quod æquè utile & commodum; cur indurat peccatores, quorum miſereri posſit? cur nonnunquam juſtâ ſeveritate utitur in peccatores,neque contumaces,neque omnino deſperatos, cum eos gratiâ dignari, non minus ad commoditates Dom. comparatum eſſe posſit. Plura adferre poſſem ejus generis, ſed his misſis in viam redeo.

Scribit hoc eodem paragrapho Prælector, duplicem Dei liberalitatem eſſe. *Primam ſitam eſſe in gratuitâ remisſione. Secundam in largitione unigeniti Filii, ut remisſionis iſtius fructum ſentiremus.* Ex noſtrâ verò ſententiâ, unicam tantùm Dei liberalitatem eſſe, eamque mancam & obſcuram valde ; priori Deum planè ſpoliari,poſteriorem imminui & obſcurari, ab iis quicunque Chriſtum, ad æs noſtrum alienum, quod cum Deo contraxeramus, diſſolvendũ, àDeo in mortem traditum eſſe volunt.

Nego ſententiam de ſatisfactione, utramq; hanc Dei beneficentiã nõ agnoſcere,in iis quæ jam reſponſa acquieſco. In iiſdem ſemper inhærere tædio pleniſſimum. Triumphat Socinus, in doctrinâ ſuâ, duplicem liberalitatem prædicatam, nullus tamen video, qui meus

poteſt eſſe ſtupor, cur hæc liberalitas duplex, non verò una Dei liberalitas ſit. Quid enim revera Socino eſt, velle Deum credentibus gratuitò remittere peccata, quàm curare velle, ut peccatum in ipſis deleatur, & vitam æternam reipsâ conſequantur. Niſi enim annuntiata, confirmata, à Chriſto oſtenſa,& data in eo fuiſſet ſalus,nulla fuiſſetDei promiſſio, *omnis opera vana& irrita fuiſſet* ut aitSmalc.lib. de divinitateChriſti cap.de cauſis exaltationis Chriſti. Nulla eſt volitio finis, ſine volitione mediorum,utrumque enimDeus finem &media ad finem ejuſdem decreti efficaci & ordinatisſimá diſpoſitione vult.

Liberalitatem *Chriſti dandi per ſententiam ſatisfactionis imminui & obſcurari conqueritur.* Quid ita? Quid mirum inquit Deum pro nobis Chriſtum ſuum, quodammodo profudiſſe, cum id ideo fecerit, ut quod ſibi à nobis debebatur reciperet. Telum plumbeum. Mirum quod Deus ex miſericordiſſimâ voluntate exegerit à Filio debitum noſtrum ut nobis parceret. Dignum verò admiratione eſſe non poſſe tale Dei opus, quo facit aliquid, ut recipiat quod ſibi debetur, id niſi ſecum ipſe pugnet, adverſarius affirmare non poterit. Deus ſeipſum &ſuam gloriam in omnibus operibus ſuis reſpicit.Quomodo negare audebit Socin. Deum impendiſſe Filium ſuum, ut debitum obedientiæ exolveremus. Jam verò Deus non tantùm recipit, quod ſuum eſt, ut ita loquar cum Socin. cum pœnam peccatis debitam infligit; ſed cum vitæ ſanctimoniâ à veris Chri-

ſtianis

ſtianis ipſi debitum obedientiæ perſolvitur. Abſurdum verò eſt in alieno dogmate damnare quæ probes in tuis.

Secundum ejus argumentum pro imminutâ liberalitate eſt, *quia ſatisfactio non neceſſaria*, quod tantæ indicat efficaciæ, ut liberalitas in immanitatē tranſiiſſe videri debeat. Ne ſupervacuâ repetitione chartas impleamus, videat lector, quod initio. 4. Paragraphi dixi. Abſit dogmate ſatisfactionis, ex optimo & benigniſſimo numine Hannibalem Pœnum non facimus, qui inſpectâ plenâ humani ſanguinis foſſâ, pulchrum eſſe ſpectaculum dixit. Nemo in volentes ſævit. Non crudelis ille, qui punit ut juſtitiam exerceat, & perditorum miſereatur; qui punit non ut pereat patiens, ſed ut glorioſâ liberatione poſtmodū emergat. Punit Deus innocentem Filium ut proſit, pænam ordinans in multarum animarum ſalutem. Crudelitatem *eſſe atrocitatem animi in pænis exigendis*. Seneca dixit. lib. 2. cap. 4. Eodem cap. Sen, *Illos ego crudeles vocabo. qui puniendi cauſam habent, modum non habent, ſicut in Phalari, quem ajunt non quidem in homines innocentes, ſed ſuper humanum ac probabilem modum ſæviſſe. Poſſumus effugere cavillationem, & ita finire: Ut ſit crudelitas, inclinatio animi ad aſperiora, hanc clementiam repellit à ſe: nam cum ſeveritate illi convenire certum eſt.* Thomas definivit vitium excedens modum puniendi culpas ſect. ſecund. quæſt. 159. *Crudelis*, inquit, *culpa commiſſa habet rationem, in quâ vindicandâ modum excedit*. Verborum ergo Phalerus non argumenti pondus attulit

Socin.

Socin. Graviſſimis cruciatibus innocentiam objiciens, nec peccato iraſcens, nec ultionem ſequens idque in maximum nocentiſſimorum hominum bonum, potius crudelis videri debet.

Sequitur ſectio ſexta & ultima hujus cap. ubi primò *Deum ſecundum nonnullos, ſatisfactionis potius, quam omni ex parte prorſus gratuitæ remisſionis viam elegiſſe, ut major quædam ipſius liberalitas appareret,* id nihil ad farinam conferre exiſtimat Prælector, quia ille hujus liberalitatis fructus non eſt neceſſarius, ſed ab eadem liberalitate ſeparabilis, quod dicitur, non probatur à Prælectore. Quantò divina liberalitas, plures adſert utilitates, tantò major, quantò pauciores, tantò minor.

Subjicit alterum in perſonâ objicientis, *voluiſſe Deum à Chriſto omnium peccatorum noſtrorum pœnas repetere, ipſumque in eum finem acerbisſimæ morti tradere, ut inde quanto is odio peccatum proſequeretur, intelligere poſſemus, eaque ratione à peccando abſtineremus.* Hanc etiam rejicit Socinus. Ratio rejectionis hæc eſt, quod hoc odium ex morte Chriſti apparere poteſt, etiamſi in eâ morte nulla pro peccatis noſtris ſatisfactio fuerit, quo conceſſo, quid aliud efficietur, quam non uno modo Deum morte Filii ſui, odium ſuum erga peccatum teſtatum facere potuiſſe apparet ex morte, ſepoſitâ conſideratione ſatisfactionis, odium erga peccatum, ergo ex morte quà ſatisfactoriâ non apparet? Non bene hæc tinniunt; aut morte ſine ſatisfactione mortis, odium ſuum erga peccatum declarare

declarare potuit,ergo ſatisfactione nō declaravit,nec declarare voluit,conſequentia nulla eſt

CAP. XVIII.

Nullo modo juſtitiæ divinæ ſalvis nobis pro peccatis noſtris ſatisfieri potuiſſe, ne ab ipſo Chriſto quidem.

SEquitur, ut ſatisfactionem iſtam inter ea numerari poſſe ac debere oſtendamus,quæ nulla prorſus ratione fieri poſſunt. Sed prius animadvertendum eſt, adverſarios reverà duplicem iſtam ſatisfactionem ſtatuere. Nam & Chriſtum omnes pœnas omnibus peccatis noſtris debitas morte ſua perſolviſſe volunt, & innocentiâ ſuâ vitæque ſanctitate pro nobis Dei legem perfectè ſervâſſe contendunt. Priorem ſatisfaciendi modum præcipuè urgent, cum de ſatisfactione nominatim loquuntur. Poſteriori verò vix ſatisfactionis nomen commodant, ſed ad juſtitiæ imputationē referunt. Verùm, quomodocunq; ipſi loquantur,oſtendamus nos ante omnia, vel iſta duo ſimul conſiſtere nō poſſe,vel certè,alterutrum ſupervacaneū eſſe. Non videntur autē hæc duo ſimul ſtare poſſe, quia modus ſatisfaciendi per pœnarum ſolutionē oſtendit manifeſtè, eum pro quo ſatisfit pro innocente nō haberi. Vbi enim innocentia,id eſt,nullū delictum,ibi nulla pœna. Modus autem ſatisfaciendi per eorum præſtationem quæ alter facere debuerit, omninò efficit, ut is pro quo ea præſtantur innocens habeatur

habeatur, deque eo perinde cenſeatur, ac ſi nullum delictum commiſiſſet unquam. Alterutrum autem ſupervacaneum eſſe, id demonſtrat, quod, ſi quis ea omnia feciſſe cenſeatur, quæ facere debuerat, jam deleta ſunt omninò peccata ejus univerſa. Quomodo enim vel minima quidem ex parte is peccâſſe cenſendus eſt, ſive peccati reus haberi poteſt, qui omnia fecerit quæ debuerat? Similiter, ſi quis pœnas univerſis ſuis peccatis debitas perſolviſſe cenſeatur, jam prorſus deleta ſunt ipſius peccata. Quomodo enim peccati reus is ampliùs haberi poteſt, pro cujus peccatis plenè ſatisfactum fuerit? Siquidem animadvertendum eſt, in delendis peccatis non id agi videlicet, ut reverâ peccata admiſſa non fuerint, nec enim id fieri ullo modo poteſt: ſed ut perinde judicetur, ac ſi nunquam commiſſa fuiſſent, & omnis peccatorum reatus aboleatur, quod utrâvis ex prædictis ſatisfaciendi rationibus planè fieri oſtenſum eſt, eaque re alteram omninò ſupervacaneam eſſe. Namque, ut veritas clariùs appareat, ſciendum eſt, pervulgatam illam peccatorum diſtinctionem, quòd alia ſunt peccata commiſſionis, alia verò omiſſionis, non Sacris literis minùs, quàm rationi conſentaneam eſſe, quemadmodum unuſquiſque per ſe eas legendo animadvertere poteſt. Hoc dico ne quis exiſtimet, pœnarum pro omnibus peccatis ſolutionem ad commiſſa mala tantum pertinere, & non etiam ad omiſſa bona. Nam, neque, eorum omnium quę fieri debebant pręſtatio ad commiſſa bona tantùm pertinet, ſed etiam

etiam ad omiſſa mala. Eadem enim juſtitiarum (ut eas nominat Scriptura) quæ peccatorum diſtinctio eſſe debet, nt ſcilicet, quemadmodum dictum eſt, alię ſint commiſſionis, alię verò omiſſionis: Ex quo facilè intelligi poteſt, nihil eſſe in quo alterutra ex iſtis ſatisfactionibus planè ſupervacanea cenſeri non debeat. Cauſam verò hujus aut leviſſimi adverſariorum erroris, quæ ſanè eos graviùs accuſat, tunc explicabimus, cum de imputativa juſtitia nominatim agemus. Nunc ad id, qood oſtendendum nobis propoſuimus, revertamur. Primùm igitùr, neutro ex iſtis modis juſtitiæ divinę pro nobis ſatisfieri potuiſſe in univerſum demonſtrabo: Deinde verò, de Chriſti perſona privatim diſputabo, eumque ipſum præſtare id minimè potuiſſè, aut cεrtè ea non feciſſe vel paſſum eſſe quæ id præſtare non potuerint, oſtendere conabor.

Non potuit quidem per pœnarnm ſolutionem pro peccatis noſtris ſatisfieri, duplici potiſſimum de cauſa: quarum una hæc eſt, quòd pœna noſtris peccatis debita mors æterna erat, mors autem æterna corporalis pœna eſt. At corporales pœnas nemo pro altero pendere poteſt. Pecuniariæ pœnæ ideo pro altero pendi poſſunt, quia unius pecunia alterius effici poteſt; & cum quis pecuniam pœnæ nomine pro alio quopiam ſolvit, tunc is pro quo ſolvitur, tacitè reipsâ priùs eâ pecuniâ donatur, ipſeque eam ſolviſſe cenſetur. At mors unius, corporisvè ulla vexatio, alterius fieri non poteſt. Altera cauſa eſt, quòd, cùm unuſquiſque noſtrum

noſtrûm propter peccata ſua æternam mortem deberet, (ſic enim, ut rem diligentius explicemus, loquendum nobis eſt) unus autem quiſpiam non niſi unam æternam mortem ſolvere poſſit, neceſſe fuiſſet totidem invenire, qui æternam mortem ſubirent, quod nos ſumus, qui ipſi ſcilicet nihil peccâſſent, neque ei pœnæ pro ſeipſis ſolvendæ obſtricti eſſent. Quomodo verò id fieri potuit, cùm omnes homines generatim peccaverint? Ex quo ſatis conſtat, cum adverſarii contendunt oportuiſſe, ut divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfieret, nihil aliud eos ſive prudentes ſive imprudentes dicere, quàm oportuiſſe, ut omnes generatim in æternum periremus. Adde, quòd etiamſi maximè fieri potuiſſet, ut alterius ſive unius ſive plurium innocentium æterna morte, pro nobis noſtriſque peccatis Deo ſatisfieret, id tamen ut fiat nulla ratio patitur. Quid enim iniquius, quàm inſontem pro ſontibus puniri, præſertim cum ipſi ſontes adſunt, qui ipſi puniri poſſunt? Annon ipſe Deus ne quis alterius
Deut. 24. 16. pœnas ferat in lege diſertè cavit, inquiens: *Non occidentur patres pro filiis, neque occidentur filii pro patribus, ſed quiſque pro peccato ſuo occidetur.* Et ne quis inneptè cavilletur, Deum aliis, non autem ſibi, legem ſuam poſuiſſe, eorum memineris, quæ in puniendis populi ſceleribus à ſe factum iri ait, apud Ezech. cap. 18. 4. 20. *Anima* (inquit) *quæ peccaverit ipſa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, neq; pater portabit iniquitatem filii.* &c. Quod ſi ex Dei ipſius ſententia atque decreto, nec filius

ipſe

ipſe propter patris peccata, nec pater propter peccata filii puniri debet, quomodo tandem fieri poteſt, ut ipſe Deus pœnas peccatorum noſtrorum ab alio ullo repoſcere voluerit? Atq; hoc pro tertia cauſa eſſe poteſt, cur pro peccatis noſtris ſalvis nobis Deo ſatisfieri non potuerit. Etſi enim nulla prorſus ratione id fieri potuiſſe demonſtrandum nobis propoſuerimus, tamen id nulla ratione fieri poſſe meritò dicitur, quod jure fieri nequit, præſertim cum à Dei voluntate, ut hic, id proficiſci debet: ſiquidem fieri nulla ratione poteſt, ut Deus aliquid fieri velit, quod jure fieri nequeat. Cæterũ, ex prædictis intelligi poteſt, eos qui volunt Deũ peccatorum noſtrorum pœnas ab alio quopiam repetiiſſe, non iniquitatis modò, verùm etiam inſcitiæ ipſum Deum turpiſſimè inſimulare: quippe quem non ſolùm decreta ſua irrita facientem, nullamque æquitatis manifeſtiſſimæ atque incommutabilis rationem habentem, ſed ea conantem quæ ex ipſarum rerum natura nullo prorſus pacto fieri poſſunt, inducere non verentur. Nec verò (ut quantam imprudentes divinæ majeſtati notam inurant melius intelligatur) ullam cauſã invenies unquam, cur Deus ſui quodammodo ſuorumque decretorum oblitus, noſtrorum peccatorum pœnas ab alio ullo repetere voluerit. Si enim ſuam in nos clementiam ac liberalitatem exercere, eamque nobis commendare voluit, cur, cùm id maximè facere poſſet, peccata noſtra nullâ vera à quoquam pro ipſis ſatisfactione accepta nobis non condonavit? Sin autem iram & ſe-

 verita-

veritatem ſuam in peccatis puniendis, quam, ut diximus, juſtitiam appellare ſolemus, oſtendere decrevit, cur eos ipſos non punivit, qui peccata commiſerunt? At inquiunt adverſarii, voluiſſe eum eadem in re ſe miſericordem ſimul & juſtum declarare: miſericordem quidem, quatenus nos ipſos qui peccavimus non punit: juſtum verò, quatenus peccata noſtra nihilominus punit. Quaſi verò fieri ulla ratione poſſit, ut ipſo ſonte impunito dimiſſo, ejus ſcelera in alio puniantur; aut juſtitia iſta, quæ in puniendis peccatis elucere poteſt, conſtare ullo modo queat, ubi æquitas & rectitudo negligitur, quemadmodũ hîc fieri ex iis quæ modò diximus perſpicuũ eſſe arbitramur. Omitto autem, quòd nulla Dei miſericordia apparet, ubi nulla ejus liberalitas conſpicitur, & ubi ejus ſeveritati in peccatis puniendis pleniſſimè ſatisfit: quod hîc meritò dici poſſe, partim confitentur, imò verò contendunt adverſarii ipſi, partim nos ante demonſtravimus. Et ſane, adverſariorum commentum iſtud, quod Deus in ſalute nobis per Chriſtum partâ, & juſtus & miſericors ſimul fuerit, præſertim, cùm nonnulli perfectè juſtum perfectèque miſericordem fuiſſe dicant, iſtud commentum, inquam, planè ridiculum eſt, nec ullo pacto ſuſtineri poteſt: quandoquidem nõ poſſunt iſta duo eâdem in re eodemque tempore ſimul jungi, quippe quæ invicem prorſus repugnent. Miſericordia enim, ut peccanti ignoſcatur, omninò requirit. Juſtitia autèm iſta, ut qui peccaverit pœnas det, planè poſtulat. Nam de eâ, ut

videmus

vidimus, ſcriptum eſt: *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur.* Itaque, quocunque ſe adverſarii vertant, quomodo iſtum per pœnarum ſolutionem pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciendi modum exiſtere potuiſſe oſtendant, nunquam invenire poterunt. Sed jam de altera illa pro pro peccatis noſtris ſatisfaciendi ratione agendum eſt. Atqui utraque illarum priorum cauſarum, propter quas ſuperiorem ſatisfaciendi modum exiſtere nullo modo potuiſſe oſtendimus, hîc quoque omninò locum habet. Primùm enim, quemadmodum corporales pœnas nemo pro altero pendere poteſt: ſic, quod quis facere omninò ex lege debet, alius pro eo præſtare non poteſt: nec enim magis unius factum alterius eſſe poteſt, quam corporalis unius pœna alterius fieri poſſit. Et ſicut in corporalibus pœnis non ipſa mors, aut alia corporis vexatio, ſimpliciter quæritur, ſed cujuſdam certi hominis mors & corporis vexatio: ſic etiam in factis ex legis præſcripto præſtandis, non ipſum factum ſimpliciter quæritur, ſed uniuſcujuſque, qui lege illa teneatur, proprium factum. Deinde, quemadmodum unusquiſque noſtrum propter peccata ſua æternam mortem debebat: ſic unusquisque noſtrum legi divinæ, ſive eam in cordibus noſtris inſcriptam, ſive ab ipſo Deo nobis datam & promulgatam haberemus, ſervandæ obſtringebatur. Itaq;, etiamſi unius factum alterius fieri poſſet, tamen planè neceſſe fuiſſet totidem invenire, qui pro nobis legem Dei ſervarent, quot nos ſumus. Unus enim quiſpiam, non niſi unã divinæ legis con-

Ezech. 18. 4. 20.

ſervationem præſtare poteſt. Quocirca unum quempiam (ut plerique factum eſſe crediderunt) exiſtere potuiſſe, qui pro nobis omnibus legem Dei conſervaverit, non magis dicendum eſt, quàm unum aliquem, qui aureos centum tantùm habeat, pro innumerabilibus aliis, qui ſinguli centum aureos debeant, ſatisfacere poſſe. Eſt autem animadvertendum, quod ſicut in ſuperiore ſatisfaciendi modo, neceſſe erat, ut qui pro alio moreretur in æternum, ipſe ei morti nequaquam obnoxius eſſet: ſic etiam hîc neceſſe eſt, ut qui divinam legem pro alio ſervet, ipſe ab ea ſervanda liber ſit atq; immunis. Quomodo igitur hac ratione ſatisfieri pro nobis potuit, ſi ne unus quidē inventus eſt unquā nec inveniri poteſt, qui divinam legē ſervare non debeat? Hinc apparet, alteram hanc cauſam, cur ſatisfieri non potuerit pro peccatis noſtris, in poſteriore hoc ſatisfaciendi modo plùs etiam valere, quàm in priore. Siquidē fieri aliqua ratione poteſt, ut ſive unus, ſive etiam plures inveniantur, qui æternam mortem non ſint commeriti: ſed vel unum quidem invenire, qui Dei legi ſervandæ non ſit obnoxius, nemo niſi aut ſtultus aut impius ſuſpicari auſit. Et hæc ſatis eſſe arbitramur, ut in univerſum demonſtretur, nullo pacto cum ſalute noſtra pro peccatis noſtris Deo ſatisfieri potuiſſe.

Nunc de ipſius Jeſu Chrſti perſona privatim videndum eſt, atque oſtendendum, ipſum nihil ſingulare nec in ſe habuiſſe, nec feciſſe, nec paſſum eſſe, ex quo intelligi poſſit, eum ſatisfactionem iſtam vel peregiſſe, vel peragere ulla

ulla ratione potuiſſe. Antequàm verò ad rem ipſam propiùs accedamus, conſiderandum eſt, quòd cùm à nobis demonſtratum fuerit, ſatisfactionem iſtam, utrocunque modo eam peragi velimus, ex eorum genere eſſe, quæ nullo prorſuspacto fieri poſſunt,ſequitur neceſſariò, Chriſtum ipſum minimè eam peregiſſe, alioqui Chriſtus id feciſſet, quod planè fieri nequit: quæ duo invicem prorſus repugnant, nempe, aliquid fieri planè non poſſe, & id ipſum factum eſſe. Hinc fit, ut ne Deus quidem ipſe ea faciat, quæ ſuâpte naturâ fieri nequeunt. Huc accedit,quòd priori illi ac potiori per pœnarum ſcilicet ſolutionem ſatisfaciendi modo Dei ipſius lex atque decretum ut vidimus, apertè refragatur. Ex quo conſequitur, non veram tantùm ſatisfactionem pœnarum ſolutione factam,ſed pro vera etiam à Deo habitam, penitùs excludi. Hoc autem dico,quia ſunt qui confitentur quidem, Chriſtum eorum quæ paſſus eſt dignitate, verè pro nobis non ſatisfeciſſe, ſed iidem tamen, pro vera ſatisfactione ea à Deo habita fuiſſe contendunt. Verùmtamen,ut rem cominùs agamus,demus ipſius rei naturam neutri iſtarum ſatisfaciendi rationum repugnare, nec legem aut decretum Dei aliquod extare, quo prior illa ratio penitùs excludatur; & quæ fecerit aut paſſus fuerit Chriſtus diligenter perpendamus, an ſcilicet ejuſmodi fuerint,ex quibus ſatisfactio iſta manare potuerit. Utque primo loco de priore ſatisfaciendi ratione agamus, jam dictum eſt, pœnam, quam nos propter peccata noſtra de-

Rom. 6, 23. bebamus, mortem æternam fuiſſe: *Stipendia enim* (inquit Apoſtolus) *peccati mors*. Æternam enim mortem eo loco (ut alibi ſæpiſſimè) à Paulo intelligi, & vitæ æternæ ibidem antitheſis declarat, & res ipſa docet: cùm temporariam mortem ii quoque experiantur, quorum omnia peccata remiſſa ſunt atque deleta. Atqui Chriſtus æternam mortem non eſt expertus, & væ nobis ſi eam expertus eſſet. Nam, ut Paulus ait, 1. Cor. 15. 17. *Si Chriſtus non reſurrexit*, id eſt, ſi Chriſtus à morte ita liberatus non eſt, ut ampliùs non moriatur, *vana eſt fides noſtra, & adhuc ſumus in peccatis noſtris*, id eſt, nequaquam ſunt deleta peccata noſtra, &, qui in Chriſto obdormiunt pereunt omnes: & tamen, ſi Chriſtus morte ſua ideò deleviſſet peccata noſtra, quia moriendo omnes pœnas peccatis noſtris debitas pro nobis perſolviſſet, jam ante reſurrectionem deleta noſtra peccata fuiſſent: itaque ut ea delerentur, ejus reſurrectione nihil opus aut eſſet aut fuiſſet. Quod ſi quis dixerit, idcircò oportuiſſe Chriſtum reſurgere, ut inde appareret, eum ejuſmodi fuiſſe, qui pœnas iſtas pro nobis perſolvere potuerit: Interrogabo, qua ratione id ex Chriſti reſurrectione apparere potuerit? Si dixerit, quia reſurrectio illum æternum Deum eſſe docuerit: Primùm id negabo, & quidem jure, quum nos quoque reſurrecturi ſimus, qui tamen æterni Dii non ſumus. Nam, quòd hîc quidam excipiunt, Chriſtum propria vi reſurrexiſſe, nos autem propria vi non reſurrecturos, id nihil ad rem facit. Nam etiamſi Chri-

ſtus

ſtus propria vi reſurrexiſſet, non tamen id ex ipſa reſurrectione conſtare ullo modo poſſet. Deinde dicam, quòd Chriſtus æternus Deus ſit, aut eſſe credatur, id non modò nullam vim habere ad ſatisfactionẽ iſtam peragendam aut abſolvendam, ſed planè eam impedire, & commentitiam eſſe oſtendere, quemadmodum poſteà docebimus. Verùm non ſolùm, ut dixi, Chriſti reſurrectio eum æternum Deum eſſe minimè probat; ſed neque etiam eum, dum hîc mortalis ageret, aliquid excellentius, quo nos careamus, habuiſſe docet, aut quovis noſtrûm ulla in re excellentiorem fuiſſe. Potuiſſet enim Deus, à quo Chriſtum excitatum à mortuis, & gloriâ donatum fuiſſe legimus, 1. Petri 1. 21. ea omnia quæ in reſurrectione Chriſto dedit, cuicunque ex nobis dare. Neque verò hoc dico, quòd negem, Chriſtum quolibet noſtrûm, dum etiam hîc eſſet, excellentiorem multò fuiſſe: ſed, quòd ex ipſius reſurrectione id nequaquam conſtare affirmem, etiamſi reſurrectionis Chriſti nomine hoc loco, quemadmodum in Sacris literis fieri conſuevit, univerſam ſimul poteſtatem, quam reſurgendo adeptus eſt, intelligamus. Reſurrectio Chriſti non eum talem fuiſſe oſtendit, etiam ante reſurrectionem, qualis nunc eſt, ſed eum talem effecit. Idque intelligit Paulus, cum ait Rom. 1. 4. Chriſtum definitum fuiſſe filium Dei in potentia, per ſpiritum ſanctificationis, ex reſurrectione mortuorum. Definitum enim aut conſtitutum Paulus dicit, non autem declaratum ut multi arbitrati ſunt. Eſt namq; ibi participium

ὁρισθέντος. ὁρίζειν autem, non eſt declarare, ſed definire aut conſtituere: niſi declarandi verbum eo ſenſu proferamus, quo boni Latinitatis auctores illud interdum uſurpant, veluti cum dicunt, quempiã conſulem declaratum fuiſſe, id eſt, definitum & conſtitutum, ſeu mavis, creatum. Hujus autem Græci verbi ſignificationem rectè agnoverunt ferè omnes in loco perſimili, ubi idem Paulus apud Lucam loquitur, Act. 17.31. Nam, quòd in vulgata editione Scriptum eſt, *In viro in quo ſtatuit* &c, in Græco legitur ἐν ἀνδρὶ ᾧ ὥρισε &c: ubi tamen eſt animadvertendum, rectiùs multò converſurum fuiſſe locum veterem interpretem, ſi dixiſſet, *Per virum quem ſtatuit* &c. non modò præpoſitionem ἐν *Per* reddendo, ſed eam minimè repetendo, quamvis idem Eraſmus quoque & Caſtellio fecerint. Quidquid ſit, certum eſt, ibi verbum ὁρίζειν non Declarandi, ſed Conſtituendi, aut certè Decernendi ſignificationem habere. Sed dicet quiſpiam: Nunquid Chriſtus non erat filius Dei, etiam ante reſurrectionem? Erat quidem, ſed non in potentia, nec qualis poſt reſurrectionem fuit: adeò, ut per ipſam reſurrectionem à Deo generatus dicatur. Act. 13.33. Ut igitur concludamus, neceſſe eſt fateri, per Chriſti reſurrectionem nequaquam apparuiſſe, eum pœnas peccatorum noſtrorum perſolvendi vim habuiſſe. At enim dicent Adverſarii, quamvis Chriſtus morte ſua omnes pœnas peccatis noſtris debitas perſolverit, oportuiſſe tamen eum reſurgere, ut pro nobis mortem ſuperaret: Sed frivolum iſtud

eſt

eſt in propoſito noſtro. Jam enim iſta alia erit nos ſervandi ratio, & peccata noſtra delendi, quam per ſatisfactionem & pœnarum ſolutionem, imò eam planè convellet. Satisfactio enim per pœnarum ſolutionem, æternam mortē in eo qui ſatisfacturus ſit, ut vidimus, omnino requirit: Iſta autem à morte peccatorum pœna nos liberandi ratio, æternam vitam, in eo qui nos liberaturus ſit, planè poſtulat. Ad ſummam, cùm Chriſtus mortem æternam non ſubierit, ſed à morte ad vitam æternam revocatus fuerit, & niſi revocatus fuiſſet, peccata noſtra minimè deleta fuiſſent, perſpicuũ eſſe poteſt, eum pænarum pro noſtris peccatis ſolutione dum moritur Deo non ſatisfeciſſe, neque ea ratione peccata noſtra deleviſſe. Sed finge, Chriſtum ipſam æternam mortem ſubiiſſe, aut quâvis alia ratione ea perpeſſum fuiſſe, quæ quilibet noſtrum propter commiſſa peccata perpeti debuiſſet, quid hoc ad plenam ſatisfactionem pro peccatis omnium noſtrûm? Nam ut ſupra dictum eſt, unusquisque noſtrûm æternam mortem debebat, & ridiculum ſanè cenſeri debet, ejus ſolutione quod unus debet pro infinitis ſatisfieri qui idem omnes debeant. Sed ajunt adverſarii noſtri, Chriſti perſonam ejuſmodi fuiſſe, ut etiamſi nec ea verè Chriſtus paſſus fuerit, quæ quilibet noſtrûm propter peccata ſua pati debuiſſet, & multò minùs ea ipſa ſolus corpore ſuo dependerit, aut dependere potuerit, quæ nos omnes ſimul pendere debueramus, ejus tamen perpeſſiones pœnas peccatis omnium noſtrûm debitas non

æquaverint modò, ſed etiam ſuperaverint. At nos dicimus neceſſe eſſe, ut ſi hoc verum eſt, id vel ex ipſius Chriſti perſonæ dignitate vel ex vi quâdam inde proficiſcente, vel ex utrâque re ſimul factum fuerit. Quod ad dignitatem perſonæ attinet, nullam apud Deum acceptionem perſonarum eſſe affirmamus, nec pluris apud ipſum eſſe levem pœnam digniſſimæ perſonæ, quàm gravem indigniſſimæ, ubi delicta ſint paria. Quocirca cùm Chriſtus (ut ipſi volunt, aut certè ſi ſatisfactionem iſtam aſſerere pergant, velle debent,) omnia delicta noſtra in ſe tranſtulerit, ac ſi ipſemet ea commiſiſſet, nulla ratione poteſt per Chriſti perpeſſiones divinæ juſtitiæ ſatisfactum fuiſſe affirmari, niſi Chriſtus eadem paſſus fuerit, quæ nos propter delicta noſtra pati debebamus, & nihilo leviores pænas dederit, quàm eæ ſint, quæ nobis conſtitutæ erant. Quamquam concedi facilè poteſt, perſonæ dignitatem pœnam alioqui levem gravem efficere, ſeu, tanti eſſe digniſſimæ perſonæ leviorem pænam, quanti indigniſſimæ graviorem, ſed ita tamen, ut inter ipſas pœnas aliqua ſit proportio. Atqui nulla prorſus proportio eſt, inter ea quæ Chriſtus pertulit & ea quæ nobis perferenda erant: non ſolùm quia hæc tempore infinita ſunt, illa verò finita; verum etiam quia utrorumq; qualitas planè diverſa eſt. Neq; enim quæ paſſus eſt Chriſtus pœnæ propriè ſunt, aut dici poſſunt cùm ea ejuſmodi beatitas & gloria conſecuta fuerit, quam humana mens & lingua nec referre nec intelligere ſatis poteſt: ſed labores

reverâ

reverâ fuerunt præmia antecedentes, quos ſi cum ipſis pręmiis compares, quamvis graviſſimi fuerint, leviſſimos tamen eos eſſe dices. Quod ſi tamen Chriſti perſonæ dignitas tanti hac in re fuit, ut nulla proportio inter ejus perpeſſiones & ea quæ nos perpeti debebamus requirenda fuerint, cur Deus leviſſimâ aliquâ pænà (ſi ita loqui libet) de Chriſto ſumptâ contentus non fuit, verum ipſum tam atrociter excarnificari voluit? cur tot ante ipſam mortem & animi & corporis anguſtiis premi? cur denique morientem præ ſupplicii atrocitate ſe à Deo derelictum fuiſſe magna voce exclamare compelli? Certum igitur eſſe debet, niſi Deum injuſtitiæ & immanitatis per ſummum ſcelus inſimulare velimus, aut Chriſti perſonæ dignitatem, omnem inter ipſius noſtrasque perpeſſiones proportionem nequàquam excluſiſſe, aut ea quæ paſſus eſt Chriſtus, eorum quæ nobis perpetienda erant loco ſubſtituta non fuiſſe. Quod verò attinet ad vim aliquam ex Chriſti perſona proficiſcentem, ea nullo pacto ſat magna videtur eſſe poſſe, niſi ſit infinita; & proinde Chriſtus æternus & ex ſeipſo naturâ Deus ſtatuatur: quod nec adverſarii unquam probabunt, nec ſi probarent, id tamen eorum ſententiam aliquid reverâ juvaret, cùm divina natura perpeſſiones aliquas experiri, eaſvé ulla ratione participare non poſſit; & ad veram plenamque ſatisfactionem pro peccatis noſtris peragendam neceſſe fuerit, ut ipſa humana natura quæ peccavit ex ſeipſa id univerſum exſolverit, quod nos propter peccata noſtra de-
bebamus

bebamus. Adde, quòd cùm divina natura ea eſſet, cum qua, ut ipſis adverſariis placet, iſtud noſtrum æs alienum contractum fuerat, nullo modo poteſt ipſa illud ſatisfactione diſſolvere, aut vim ſolutioni dare. Nemo enim ſibi ipſi aliquid ſolvit, aut ſibi ipſi ſatisfaciendi vim ſuppeditat. De vera enim & propria ſatisfactione loquimur, quæ ſatisfacientem non modò ab eo cui ſatisfit alium eſſe omninò requirit, ſed etiam ex eo & ſatisfacere & ſatisfactionem perficere quod ipſe habeat, nec ejus cui ſatisfit jam eſſe dici poſſit. Quare ſi Chriſtus æternus & ex ſeipſo Deus eſſet, cùm ejuſmodi Deus unus tantùm ſit, tantum abeſt, ut propterea ſatisfactionem iſtam peragendi vim habiturus fuiſſet; ut potiùs ob hanc ipſam cauſam eâ vi planè fuiſſet deſtitutus. Apparet igitur, id ipſum unde ſatisfactionem iſtam à Chriſto peragi potuiſſe maximè ſuaderi poſſe videbatur, eam funditùs tollere, &, ſi verum id eſſe volumus, ipſam, ut prædiximus, commentitiam eſſe omninò oſtendere. Sed jam de altero illo ſatisfactionis genere agamus.

4. Quæritur itaque, utrum Chriſtus ea omnia aut præſtiterit aut præſtare potuerit, quæ nos facere debueramus? Et ſanè, cùm Chriſtus homo natus eſſet, & quidem ſub lege, ut Paulus affirmat Gal. 4. 4. perſpicuum eſſe poteſt, ipſum univerſæ Legi Dei perfectiſſimè ſervandæ obſtrictum fuiſſe. Quomodo igitur id pro aliis prçſtare potuit Chriſtus, quod ipſe debebat? Nam ſi dixerit quiſpiam, Chriſtum multò plura præſtitiſſe, quàm Dei Lex præcipiebat:

piebat: Reſpondeo, ea quoq; Chriſtum præſtare debuiſſe, quippe quæ ſibi à Deo Patre mandata & injuncta fuiſſent. Id enim vel ex eo intelligi poteſt, quòd ipſam mortem ex Patris mandato ſubivit, Joh.10.18. quòdque in ipſa crucis morte ſuſtinenda obediens fuiſſe dicitur, Phil.2.8. nempe ipſi Deo, ut ex citato loco ſatis conſtat. Statim enim additur. v. 9. *Propter quod & Deus exaltavit illum* &c. Atqui ubi obedientia eſt, ibi mandatum quoq; fuiſſe oportet. Huc accedit, quod ibidem ſcriptum eſt, Chriſtum obedientem fuiſſe uſque ad mortem, mortem autem crucis: qui loquendi modus, in iis quoque quæ crucis mortem anteceſſerunt eum obedientem fuiſſe oſtendit, & idcircò nihil pręſtitiſſe, quod ad ſui ipſius demiſſionem attinet, quod ſibi à Deo injunctum non fuiſſet. Itaque nihil quod in Dei Lege mandatum non eſſet præſtitit Chriſtus, quod præſtare non deberet: ea enim ſui ipſius demiſſione prorſus continentur. Apparet igitur, nullam pro aliis ſatisfactionem ex iis quæ Chriſtus fecit proficiſci potuiſſe. Adde, quòd Chriſtus ejuſmodi præmium & mortis & omnium laborum ſuorum à Deo in ſua ipſius perſona reportavit, quod ipſos labores & mortem quàm longiſſimè ſuperat, adeò, ut iis laboribus & morti pro aliis ſatisfaciendi nullus penitùs relinquatur locus. ‖Lege quæ ſupraſcripto loco ad Philip. ſcripſit Paulus. Ubi animadvertendum eſt, ipſos præcipuos adverſarios noſtros fateri, verba illa, *Propter quod &c*, non cauſam exaltationis Chriſti, ſed conſequentiam tantùm

Phil.2.9.10.11.
Calvin. Inſt. lib.2.cap.17 ſect. 6.

tùm oſtendere. Ita ut Chriſtus ne ſibi ipſi quidem, niſi ex Dei promiſſo, ea quæ accepit ſuâ obedientiâ meritus fuerit, tantum abeſt, ut nobis aliquid propriè mereri potuerit, ut quidem neceſſe eſt, ſi iis quæ præſtitit Deo pro nobis abunde ſatisfecit, & quidquid nobis ad divinam legem conſervandam deerat pleniſſimè ſupplevit. Sed finge Chriſtum obedientiæ quam Deo præſtitit præſtandę minime obſtrictum fuiſſe, certum eſt, unius hominis obedientiam licèt perfectiſſimam (ſi modò id alioqui fieri poſſet) pro uno quopiam tantummodò ſatisfacere poſſe: Nemo enim eſt ex iis pro quibus ſatisfaciendum ſit, qui Deo perfectiſſimè obedire non debeat. Jam verò, ſi hîc quoq; vel ad Chriſti perſonæ dignitatem, vel ad vim aliquam infinitam confugere adverſarij velint fruſtra ſimiliter id erit: Nulla enim perſonæ dignitas tanta eſſe poteſt, quæ obedientiam perfectiorem efficere poſſit eâ quam nos debemus, quæ, ut dictum eſt, perfectiſſima eſſe debet; nec ſanè quiſquam erit, quin videat, perſonæ dignitatem hac in re nullius momenti eſſe. Nam quis, exempli causâ, dixerit unquam virum nobiliſſimum legibus parendo plus pręſtare, quàm hominem ruſticum qui iiſdem legibus æquè atque ipſe pareat? De vi autem aliqua infinita ex Chriſti perſona proficiſcente nihil attinet dicere, cùm humana natura, à qua ſola obedientia divinæ Legis præſtari & potuit & debuit, infinita vi per ſe ipſa prædita eſſe nullo pacto queat. Etenim divinam naturam, cui obedientia debetur, quęque nullo modo

do

do obedire ipſa poteſt, aut vel ſibi ipſi, vel alteri quidquam mereri, cùm ipſa ſit quæ merita, ſi qua ſunt, præmio afficiat, hanc inquam, vim aliquam verè ac propriè merendi alicui obedientiæ ſuppeditare, ridiculum ſimul & impoſſibile cenſeri debet: quod etiamſi fieri poſſet, tamen cùm vis iſta nihil ampliùs efficere queat, quàm obedientia reverâ perfectiſſima efficeret, perfectiſſimam autem obedientiam quiſque noſtrum debeat, nihil inde ampliùs, quàm pro uno quopiam ex nobis ſatisfactio, manare poſſet.

Refut. Cap. XVIII.

Nullo modo juſtitiæ divinæ ſalvis nobis pro peccatis noſtris ſatisfieri potuiſſe, ne ab ipſo Christo quidem.

POſtquam ſatis ſuperq; & potuiſſe & voluiſſe Deum ſine ſatisfactione remittere demonſtravit, jam iis quibus poteſt viribus oſtendere aggreditur, *ſatisfieri pro noſtris peccatis, nobis ſalvis impoſſibile fuiſſe; neque alienâ obedientiâ, neque alterius pœnis ſolvi pro nobis poſſe*, id omnibus machinis conatur. Primâ ſectione prælegit, *modos iſtos aut contradictorios eſſe, aut alterutrum ſupervacuum.* 2. *Impoſſibilem eſſe ſatisfactionem per pœnarum ſolutionem & alteram illam ſimiliter eſſe ἐκ τῶν ἀδυνάτων.* 3. Chriſtum nec ſatisfeciſſe, nec ſatisfacere potuiſſe. Id primùm in communi docet, & ſpeciatim multis de priore modo. 4. Sect. de modo poſteriori. Ex iis quæ impoſſibilia.

Specia-

Speciatim de ſingulis muſis bene juvantibus videbimus.

Primâ ſectione primò ait, *quod modi contradictory videantur*: à quo vitio hoc dogma abſolvit, dum in ipſius Prælectoris verbis, ejus contradictionis nec vola nec veſtigium. Pœnæ ſolutio arguit nocentem ſive ut Prælectoris verbis utar, *modus ſatisfaciendi per pœnarum ſolutionem oſtendit manifeſtè, eum pro quo ſatisfit, pro innocente non haberi: præſtare quæ alter facere debuit, efficit ut is, pro quo ea præſtantur, innocens habeatur:* ibi culpa objectum eſt ſolutionis, hic innocentia effectus eſt obedientiæ, quæ præſtatur pro alio, pro crimine alterius luere, eſt curare ut injuſtus juſtus fiat, quæ hic vel umbra contradictionis? Jam verò non tantum hi modi non contradictorii, ſed & neceſſarii: ſupervacaneus neuter: qui cenſetur feciſſe omnia quæ facere debuerat, nihilominus peccator eſſe poteſt; quemadmodum illi, qui legem politicam magiſtratus violavit, poſtmodum ſervare poteſt legem legi obediendo, interea tamen reus violatæ legis eſſe poteſt, & tenetur ad pœnam violatæ legis: fieri quidem non poteſt, ut homo propriâ univerſali juſtitiâ juſtus ſit quæ omnibus ſuis numeris abſoluta & perfecta eſt, & peccati reus, attamen fieri poteſt, ut cum homo in ſe injuſtus eſt & peccati reus, alius pro eo omnem impleat juſtitiam, juſtus in illo cenſeatur, atque interim peccati teneatur & pœnę obnoxius ſit, atque ea ſubeunda etiam ſit, ut liberetur. Ita etiamſi quis pœnam peccato debitam perſolverit, atque ita reatus peccati

peccati ſit abolitus, & iſtâ ſolutione ſit non peccator is, pro quo ſatisfactum eſt, ea tamen quà tali non efficitur juſtus. Pœnæ ſolutio injuſtitiam abolet; obedientia legis juſtitiam parit; propterea abolito reatu per ſolutionem pœnæ, obedientia non eſt ſupervacanea, cum ut vitam conſequamur, non tantùm non debeamus eſſe peccatores ſed & juſti. Sic qui legem aliquam magiſtratus violat, pænâ perſolutâ non prius eſt juſtus ſecundum eam legem, niſi obediendo præſtiterit. Quæ de tritâ illâ peccati diſtinctione in peccata commiſſionis & omiſſionis commemorat, non improbo, neq; contra ſententiam de duplici modo ſatisfactionis ſunt: pænâ perſolutâ & reatu peccati abolito, peccatum, tum commiſſionis, tum omiſſionis abolitum eſt. Dices, in quo utrumq; hoc peccati genus abolitũ eſt, ille non eſt peccator, ſi non peccator ergo juſtus. At nego idem eſſe, peccatorem & juſtum eſſe: Non peccator nec non juſtus nec injuſtus eſt, ſed in ſtatu medio carens utroq; extremo. Solutio pro peccato tũ omiſſionis tum commiſſionis efficit, ut cenſeatur homo peccato omiſſionis & commiſſionis liber: non omiſiſſe bonum intelligitur propter hoc, in quantum non omiſſio præcisè dicit negationem actus mali, ut ſic dicam omiſſione perpetrati; non verò quà illa dicit ipſam poſitivam legis præſtationem. Non commiſiſſe malum intelligitur, in quantum non commiſſio dicit negationem actus mali; non verò quà dicit actum juſtitiæ, qui omiſſione mali vetiti continetur. Summa reſponſionis huc redit, in-

juſtitiam quidem ſolutione iſtâ aboleri; juſtitiam verò non conferri;ad hoc actualem & poſitivam legis obedientiam neceſſariam eſſe; Unde juſtificatio duas partes habet, peccati non imputàtionem ſive remiſſionem, juſtitiæ imputationẽ ſive adjudicationem;ſicuti quoq; ſanctificatio noſtra ad hanc rationem comparata eſt, conſtat enim mortificatione veteris, quà peccatum & injuſtitia aboletur, & vivificatione novi hominis, quâ mortuo peccato juſtitia viget.

Secundo paragrapho primò ait *pœnam peccatis noſtris debitam, mortem æternam eſſe. mortem autem æternam corporalem pœnam eſſe*, inuſitato loquendi genere prophano ſenſu, quaſi æterna mors aliud nihil ſit, quam hominis in pulverem redactio, ad quam vitæ reſtitutio non conſequatur, qualem mortem æternam omnes beſtiæ moriuntur, de quâ re plura ſub init. Refut. noſtræ legi poſſunt. Pœnas corporales nemo pro altero pendere poteſt, quæ aſſertio Socino ratio eſt, propter quam ſatisfactio per pœnarum ſolutionem impoſſibilis. Veritatem rationis eo firmat argumento,quod mors unius,corporisve ulla vexatio,alterius fieri non poteſt, id jus in pænis pecuniariis eſſe, quia unius pecunia alterius effici poteſt. Idem legitur lib. 3. cap. 3. de Servat. in init. cap.

Primò in contrarium probatur,pœnam corporalem poſſe pro alio ſolvi, ex ipsâ prælectoris & eorum qui partes ejus ſequuntur confeſſione. Socini verba hæc ſunt lib. 3. de Servat. cap. 3. *Solent aliquando homines ira & vin-*

dicta

dicta libidine excæcati in innocentes quoque ſævire: maximè verò cum eum qui ipſos læſit, vel quia eorum manus effugerit, vel quamcunque aliam ob cauſam ulciſci nequeunt. Vindictæ cupiditas pœnæ cupiditas eſt, cum pœna ab innocente exigitur, ſolvit pœnam exactam innocens, & quando punitur innocens, quia læſus nocentem vindicare non poteſt, in tali ſanè caſu, alter pro altero pœnas corporales pendit, aut finis & voluntas vindicantis eſſe poteſt ut pendat. Crel. reſp. ad cap. 4. pag. 268. *Nam cum nihilominus ad eſſentiam pœnæ pertineat, ut ei, qui puniri debet, peccatum ſive proprium ſive alienum imputetur, & aliquo ſaltem modo inhærere cenſeatur (eatenus enim demum id pœnam ejus videri poteſt mereri, id quod pœnæ eſſentiale eſt) ſive interim res ipſa ita ſe habeat, ſive minus: pœna quidem ſimpliciter in innocentem cadit, juſta cadere non poteſt, loquitur autem Crell. de pœnâ corporali, quæ per afflictionem & vexationē corporis irrogatur.* Idem pag. 263. *Vindicta rationem eſſe formam pœnæ.* Ibidem ſubdit. *Vindictæ verò ratio, etiamſi non requirat ut delictum verè cenſeatur illius proprium, ſeu ab eo ipſo commiſſum, qui pœnam luere debeat, id tamen requirit, ut ei alienum ſaltem delictum imputetur, & veluti ipſius proprium eatenus conſideretur.* Jam verò aliquem ob alterius delictum puniri, eſt pœnam pro altero pendere. Ita Didacus Covarruvias Tom. 2. Variarum reſolutionum lib. 2. cap. 8. *Hæc duo tanquam ἰσοδυνάμοντα proponit.* An juſtum ſit lege vel ſtatuto, aliquem ob alterius culpam puniri, & an pœnam unius alterum ferre juſtum ſit, ſanè in æquipollentia.

quantum quis pænam, quam alter commeritus fert, in tantum unus alterius loco punitur, pro eo ſatisfacit, & loco alterius punitur: in quantum verò hoc, in tantum reus per ſolutionem iſtam liberari poteſt. Si quis verò ita ob alterius culpam puniatur, ut totam pœnam ferat, is ſic ſanè pro alio ſolvit, ut perinde ſit, ac ſi ipſe reus eam ſolviſſet, ut liberationis effectus inde conſequatur. Deinde poteſt *nocenti delictum proprium non imputari: poteſt nocenti alienum delictum imputari*, ut admittit Crell. poteſt ergo alter alterius loco puniri pœnâ corporali, generatim enim id, de quovis delicto concedit Crellius.

Secundò poteſt quis jure puniri, pœnâ etiam corporali, ut non uno loco concedit Crell. reſp. ſuæ ad cap. 4. ob alienum delictum. At negat alienum *delictum cauſam meritoriam eſſe poſſe, cauſam impulſivam eſſe poſſe pœnæ, admittit*, quæ perpetua ipſius toto prædicto cap. aſſertio eſt. Neque verò quicquam aliud volunt Sacræ literæ, cum aſſerunt, *quempiam á Deo, ob aliena delicta punitum fuiſſe, quam Deum alienis peccatis impulſum fuiſſe ad eum puniendum; non verò aliena peccata, quà quidē aliena fuerunt, & ipſi puniendo nullo modo communia, pœnam alterius fuiſſe commerita* pag. 239. Verum eo loquendi genere, quo quis dicitur, pnniri ob hoc vel illud crimen, cauſa meritoria pœnæ indicatur: ita Didacus Covarruvias prædicto loco propoſitâ quæſtione his verbis. *An juſtum ſit lege vel ſtatuto, aliquem ob alterius culpam puniri*, ita reſponſurus *exorditur. Plerumque in con-*

troverſiam

roverſiam incidit quæſtio, quâ de juſtitiâ legum dubitatur, præſertim earum, quæ pœnam innocenti, alterius culpam & crimen infligunt. Hoc ſenſu objectio de pænis tranſlatis ad convellendam Dei providentiam adhibetur. Porro cum quis punitur ob alterius delictum, hoc eſt quà innocens, ita ſæpius punitur ut nocens dimittatur, quoad delictum illud. Sic quod peccaverat Achab poſteritas perſolvit, utut enim Achabi poſteritas non fuit innocens, Achabi tamen delicta non poſteritatis, ſed Achabi erant propria. Quamquam etiam Achabi impunitas non fuit plena liberatio à pœnis ſimpliciter, ſed à pœnâ tantum certâ, inde tamen conſequitur, cum partium & totius eadem poſſit eſſe ratio, impoſſibile non eſſe, pro altero ita corporalem pænam ſolvere, ut nocens dimittatur.

Tertiò multi juris magiſtri in eâ ſunt ſententiâ, conſuetudine & moribus poſſe induci, quod innocens ſeipſum obliget & aſtringat pro alterius crimine ad corporis pœnam Rom. conſ. 15. Idem in ſing. 28. Hippol. in D. q. 29. Dec. in d. c. 2. de conſtit. 1. & 2. lect. Fol. in c. 2. num. 8. de prob. Rochus Curt. in c. ult. de conſuet. fol. 45. colum. 4. Ex eorum ergo Doct. mente, non tantum pœna pecuniaria, ſed & corporalis pro alio ſolvi poteſt, neq; tantum cum pœna pecuniaria ferenda, ſed & ubi pœna corporis imminet, reum fidejuſſoribus relaxari poſſe.

Quartò etiamſi nullo humano jure aut conſuetudine id juſtum eſſe poſſit, ut alter pro altero puniatur pœnâ corporis; neque ullum iſti-

 us rei

us rei de quâ agitur exemplum produci poſſet, non tamen ſatis probaretur Chriſtum delicta noſtra non luiſſe; nam ut Rex quiſpiam dilectum & innocentiſſimum ſuum filium curet mori, in maximum ſuorum hoſtium bonum, id factum eſt nunquam, teſte Paulo ad Rom. 5. neque adverſarii id inficias eunt. Neque verò etiam jure humano obtinet, acerbiſſimis modis innocentiam affligere, ut nocentes & ſcelerati dimittantur.

Objicitur legis Moſaicæ rationem *non ferre hanc ſubſtitutionem, quia eâ non minus innocentiæ ac pietati cujuſque propoſita fuit impunitas, vitaq; fælix & longæva, quam peccatis pœna.* Verum reſp. per hoc divinarum promiſſionum veritatem non infringi, nam aut ſubſtituitur in hac translatione pœnæ qui innocens eſt, aut qui nocens: ſi nocens, non læditur promiſſio pietati facta, tum enim illâ pænâ ob peccatum ſuum dignus eſt, ſi innocens; quod ſolum in ſatisfactione Chriſti contingit, poteſt ille de jure ſuo cedere, quod promiſſione legis acquiſitum; aut poteſt à legislatore illa promiſſio alio modo compenſari; ita enim volunt adverſarii, quamquam lex promittat hic vitam fælicem, eam tamen ſervantibus calamitoſam Dei ordinatione obtingere poſſe, imò Chriſto Prophetis aliiſq; viris ſanctis obtigiſſe dicunt, quia Deus omnes eorum cruciatus majori præmio erat compenſaturus Crell. pag. 142. *Licet ordinaria vi legis Moſaicæ inſpectu, quam exactè ſervaverat Chriſtus, jus quoddam habuiſſe cenſeri queat, ad mortem tam truculentam & exercabilem evitandam:*

tamen

tamen quia Deus omnes iſtos cruciatus præmio infinitis partibus majori erat compenſaturus; jure tanquam Dominus abſolutus, de eo ſtatuendi habuit arbitrium, quo fere pacto Prophetæ aliique viri ſancti, qui ſub lege vixerunt, præmio in eâ manifeſtè propoſito, quod ad hanc vitam ſpectabat, non ſunt potiti, cum, ſi quiſquam alias eo eſſent digniſſimi, ſed atroci atque infami nonunquam morte fuerunt ſublati. Deo majus illorum pietati præmium reſervante.

Secundum Prælectoris contra ſatisfactionem per pœnarum ſolutionem argumentum eſt, *quod cum unuſquiſq; mortem debeat æternam; unus autem non niſi unam mortem ſolvere poſſit, neceſſe eſſe tot eſſe qui æternam mortem ſubeant, quot nos ſumus.*

Id non eſt abſolutè impoſſibile, poſſent enim per abſolutam omnipotentiam tot dari innocentes, quot ſunt nocentes; 2. Negatur argumenti ſequela, una pretioſa gemma multis rebus comparandis ſufficit. Unius captivi dimiſſione multi quoque captivi redimuntur.

Tertium Prælectoris argumentum eſt. *Etiamſi alterius morte pro nobis ſatisfieri poſſet, id tamen nullam rationem pati, idque duobus V. Teſtamenti locis ſtabilire nititur.*

Loco illo Deuteronomii lex judicibus à Deo fertur, ut rectè annotat Vatablus. Ineptum verò cavillum non eſſe, ſi quis dicat, Deum ſibi eam legem non tuliſſe, eo documento ſatis probatur, quod multa ſibi permittit Deus, quæ lege divina hominibus prohibita ſunt Non eſt ex conceſſione adverſariorum, contra jus Dei,

 peccata

peccata patrum viſitare in filiis; at lex divina id juris Magiſtratibus non concedit, affligere & morte ipſa afficere innocentes in pœnam nocentium non poſſunt, quod Deo ex jure Dominii abſoluti licet Crell. reſp. ſuâ ad cap. 4. Grotii. Deo licet in poteſtatem peccandi conjicere hominem peccatorem, excæcare indurare, nefas id hominum committere iis quibus poteſt modis. Quam multa ſunt providentiæ divinæ judicia, ad quæ poteſtas hominum extendi non poteſt: Deus immittit peſtem, famem aliaque humani generis flagella, iſtâ falce multa millia demetit, nihil hic injuriæ, princeps ſi faciat iis quibus poteſt modis, tyrannus erit. Objicitur ex Ezech. 18. Deum etiam ſibi eam legem poſuiſſe, & ſeipſum ad id, quod prædictâ lege hominibus præceptum obligâſſe. Verum reſponderi poteſt, eam legem ex Dei verbo interpretandam eſſe, & hunc caſum ſolutionis ab alio pro nobis factæ, ſub iſtâ Dei ordinatione, nunquam fuiſſe comprehenſum. 2. Hac lege ſive promiſſione Dei jus acquiſitum puniendo, ut non teneatur invitus ad alterius iniquitatem portandam; totâ enim hac Dei declaratione promiſſio fit conquerentibus Judæis jactato iſto proverbio, *patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*, *quod anima quæ peccaverat ipſa moreretur*, lex ergo hæc voluntariâ Chriſti perpeſſione non fuit violata. 3. Non major repugnantiæ ſpecies inter hunc locum Ezech. & dogma ſatisfactionis, quam inter hunc locum & Prælectoris dogmata. Promittitur inter alia hoc loco

juſtis

juſtis vita, ſic enim legitur com. 9. *In ſtatutis meis fideliter ambulaverit, juraque mea obſervaverit colendo veritatem, juſtus hic omnino vivet, dictum Domini Jehovæ.* Hæc vita temporalis fælicitas in terris Prælectori eſt, quæ tamen multis piis, non fælix, ſed multis modis calamitoſa fuit, acerbâ etiam & violentâ morte deſinens, quæ ſunt oppoſitum boni, quod Prælectori promiſſione vitæ continetur. Poſſet nonunquam arbitrari quiſpiam honeſtiſſimum eſſe pro reo mortem oppetere, præſertim ſi eum credat innocentem; ſic Chriſtianus pro Chriſtiano innocente, ſi vereatur, ne is metu mortis, aliquid ſe indignum faciat, aut veritatem divinam abneget, aut ſi eum Chriſtianæ Reipublicæ ſe putet utiliorem, poſſet, imo deberet ad capitalem pœnam ſe obligare, itemq; filius pro patre, frater pro fratre amicus pro amico, aut viro aliquo magno, quem digniorem putet vitâ quam ſeipſum Crell. 275. Cur ergo Chriſto honeſtum eſſe non potuit, innocentium & perditorum ſalutem mori, & Deum opt. max. id admittere. Porro, quamquam ex Dei ipſius ſententiâ atque decreto hic promulgato, filius propter peccata patris, pater propter peccata filii puniri non debeat, concedit tamen Prælector ut fidem nobis facit Crell. alterum ob alterius peccata tanquam cauſam impulſivam ſimpliciter puniri. Cum Deus peccatis paternis impellitur ad puniendum filium, filius patris portat iniquitates. Rurſum cum innocentes (loquor ex ſuppoſitione Prælectoris) diris cruciatibus imo

acerbâ morte afficiuntur, abſoluto Dominii jure, ut id cedat in nocentium, cum quibus conjuncti ſunt pœnam (Crell. cap. 4. reſponſ.) in hoc etiam caſu alter alterius iniquitatem portare videtur, cum mors ei ob alterius peccata infligatur, quod cum fit proverbio etiam locum eſſe putabunt iſti Judæi.

Cætera quibus calumnioſis & inefficacibus conſequentiis dogma ſatisfactionis impetit, cum prioribus ſubrutis ſponte concidant, tranſmitto, & ea, quibus eandem nobis occinit, de juſtitiâ & miſericordiâ cantilenam: menſas ſuas non ſemel nobis iſtis bellariis inſtruxit: ſed hæc illi inſtar uvæ Rhodiæ, ex quâ cum generoſiſſimum vinum conficeretur, dignum inprimis videbatur, quod in libamenta Deorum impenderetur. Unde illud Poetæ Virgilii. *Non ego te Diis & menſis accepta ſecundis Tranſierim Rhodia.*

Tranſit inde ad alterum ſatisfactionis modum, qui eſt per præſtationem eorum, quæ lex jubet. Ternario argumentorum numero hunc etiam impetit.

Primum argumentum eſt, *factum unius alterius fieri non poſſe.* Contrarium probatur ex confeſſione Crellianâ, quæ colligitur ex ejus verbis quæ leguntur pag. 268. reſp. ad cap. 4. *Præmium & gratiam poſſe per naturam in benemeriti liberos aut cognatos, qui ipſi nil commeruerant conferri. ſi ipſis parentis aut propinqui merita aut beneficia imputentur, cum meritum parentis filijs imputatur, ita ut æſtimetur ipſorum eſſe meritum, & propter hanc mentis æſtimationem præmij*

rationem

rationem habeat, id quod in liberos confertur, in hoc caſu factum unius alterius fit. Fidejuſſor alterius obligationem ſuſcipit, & fide ſuâ eſſe jubet. In omnibus verò omnino obligationibus, ex quibuſcunque ortæ contractibus, fidejuſſiones jure tam civili, quam naturali firmæ. Procurator negotia gerit aliena loco Domini; judicialis procurator lites alienas in judicio perſequitur: in iſtis ſubſtitutionibus factum unius alterius cenſetur. 2. In juſtificatione gratuitâ peccatoris, is qui revera in ſe injuſtus eſt, pro juſto habetur ut manifeſtum eſt, cenſetur ergo aliquid factum ab eo, qui id facere omnino ex lege tenebatur, & eandem vim habet ac ſi feciſſet, cum tamen non fecerit. Quod ſi cenſeri poteſt factum eſſe, quod non eſt factum, cur quod factum eſt ab uno, imputatione mentis non poſſit fieri alterius. Neque enim legis poſtulatum, factum uniuſcujuſq; proprium requirens, magis ceſſat in hac tranſlatione, quâ factum unius æſtimatione quadam mentis transfertur in alium, quam imputatione eâ quâ non factum pro facto cenſetur: ſi qua hic derogatio aut obrogatio, ea non minor in priore actu. Proinde quamquam lex unumquemque noſtrum ad obedientiam obliget, alium ejus loco gratioſâ Dei ordinatione ſubſtitui non poſſe minimè efficitur, atque ita juſtitiæ divinæ obedientiâ noſtro nomine præſtitâ non poſſe ſatisfieri. Satis eſt pręſtari quod lex poſtulat, etiamſi non præſtetur ab eo, a quo lex id poſtulat: hoc enim & nihil aliud vult ſententia de ſatisfectione, non enim ea ſignificatur

catur legi ſatisfactum, quatenus obedientiam à nobis poſtulat, hoc enim apertam repugnantiam involveret, ſed ipſam obedientiam legis obligatione contentam perſolutam eſſe. Perſonæ ſolventis ex ordinatione Dei commutatio facta eſt: hoc autem fieri non potuiſſe ratiocinatione ſuâ non demonſtravit Soc. neq; ullam aut divini aut humani juris authoritatem attulit, cũ tamen illi partes actoris incumberent.

Unum quempiam, quod Prælectori pro ſecundo argumento eſt, exiſtere potuiſſe, qui pro nobis omnibus legem Dei conſervaverit, non magis dicendum exiſtimat, quam unum aliquẽ qui aureos centũ tantum habeat, pro innumerabilibus aliis, qui ſinguli centũ aureos debeant ſatisfacere poſſe. Verum etſi una legis conſervatio ſit tantũmodo ab uno præſtita, inconſequens tamẽ eſt virtute & dignitate multiplicatis legis obſervationibus eam non eſſe parem. Proinde inepta & malè inſtituta cõparatio illa parium, nam ibi qui ſatisfaciet & pro quo ſatisfiet, ſinguli centum tantum aureos habent; in ſententiâ noſtrâ qui ſatisfacit pretioſiſſimum habet theſaurũ, qui omne id, ad quod tenentur ij, pro quibus ſatisfit pretio & valore exæquat.

Tertium telum eſt, *neceſſe eße, ut qui divinam legem pro alio ſervet ipſum ab eâ ſervandâ immunem eße; nullam autem inveniri poſſe, qui legi divinæ ſervandæ ſuo nomine non ſit obnoxius.* Sed nec iſtâ ratione proficit Socinus. Poteſt quis & ſuo & alieno nomine, teneri ad aliquid faciendum. Exempli gratia procurator teneri poteſt, ad litem perſequendam aut negotium aliquod gerendum

rendum ſuo & alieno nomine, ſi negotium aut cauſa communis ſit, ita qui divinam legem pro alio ſervat, ſuo etiam nomine teneri poteſt ad eam ſervandam. Itaque major illa, non univerſaliter ſine ulla limitatione admittenda eſt, qui divinam legem pro alio ſervat, ipſe ab eâ ſervandâ immunis eſſe debet, quatenus quis pro alio ſervat eatenus ipſe immunis, & quatenus quis immunis, eatenus pro alio ſervare poteſt, poſitis aliis etiam requiſitis. Chriſtus quà homo & creatura rationalis, legem quidem ſervare debuit, ſed vi humanitatis ſuæ per ſe nudè conſideratæ, non fuit obligatus ad ita præſtandam legem quemadmodum præſtitit, ſed quatenus obedientiæ iſtius efficacia in noſtram ſalutem & juſtificationem ſe exerit. Chriſtus eam præſtitit ut θεάνθρωπος & Mediator noſter, atque ab eâ præſtanda qui purus putus homo eſt, & qualitate iſtâ non veſtitus, immunis eſt.

Sequitur tertium caput, in quo ſpeciatim de Jeſ. Chriſti perſona diſquiritur. Quæ principio hujus diſputationis proponuntur, tranſmitto, cum ex præmiſſis inferantur, ex iis quæ appoſui dijudicari poterunt. De morte quæ ſuggerit non eſt quod tangam, vide ſis ad cap. prim. Prælect. Pergo ad id, quod directè propoſiti argumenti eſt. Igitur Chriſtum morte ſuâ ut ſatisfactoriâ peccata noſtra non deleviſſe, eâ primum ratione probat, *quod eo poſito ſupervacua ad ea delenda reſurrectio.* In formam Syllogiſmi ſi contrahas ita habebit. *Si Chriſtus morte ut ſatisfactoria peccata delevit, jam ante reſurrectionẽ deleta ſunt, & reſurrectio ad ea delenda ſuperva-*

ſupervacanea. At reſurrectio non eſt ſupervacanea, firmatur authoritate Pauli 1.Cor.15.17. *Mors ergo ut ſatisfactoria non delevit peccata.* Poſitâ ſatisfactoriâ vi mortis Chriſti, confitendum quidem eſt jam ante reſurrectionem peccata noſtra deleta eſſe, ſi quoad impetrationem intelligas, non verò quoad applicationem, hoc eſt actu & reipſa nos conſecutos eſſe abolitionem peccatorum, ac propterea ſupervacua quidem reſurrectio quoad impetrationem, ſive ut ſit deletio peccatorum, non verò quoad applicationem, hoc eſt, ut nos actu & reipsâ eam conſequamur. Majoris ergo conſequentia conceditur, ſi intelligatur de deletione ſecundum modum priorem, negatur ſi intelligatur de modo poſteriore. Eadem minoris quoque ratio eſt: hoc modo poſteriori liberationem noſtram à peccatis cum reſurrectione Chriſti cohærere ſatis eſt ad ſententiæ Paulinæ veritatem, *ſi Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis in peccatis veſtris.* Neq; verò Prelector exſtimat Chriſti reſurrectionem aliter delere peccata, quam quia per eam fit, ut deletionis peccatorum actu & reipsâ participes fiamus, & effectu ipſo eam conſequamur. Proinde ex mente ejus, hoc ſenſu reſurrectio ſolummodo ad deletionem peccatorum neceſſaria, quare & ex hypotheſi ſententiæ ejus, deleta erant peccata noſtra, antequam Chriſtus reſurgeret, quatenus jam erat deletio peccatorum quoad exiſtentiam in abstracto conſideratâ. Totus enim Chriſtus quantus qualis eſt, ſi Socinianiſmo credis, eſt, ut abolitionem peccatorum credentium, doſtrinâ

annunti-

annuntiaret, miraculis confirmaret, morte ſanciret, reſurrectione oſtenderet, ſummâ poteſtate donatus homines ad fidem adduceret, eorumque peccata reipſa deleret. Videatur Socin. Synopſis prima juſtificationis noſtræ per Chriſtum. Apparet ergo ante reſurrectionem peccata jam deleta fuiſſe ex ſententiâ Socini, neque interveniſſe reſurrectionem Chriſti, ut exiſteret deletio, ſed ut adduceremur per fidẽ ad actualem ejus participationem. Nos ergo dicere poſſumus reſurrexiſſe Chriſtum, ut impetratam peccatorum abolitionẽ nobis communicaret; taceo jam quod in reſurrectione habeamus ſatisfactionis ab ipſo præſtitæ teſtimonium.

Objicit ſibi *per Chriſti reſurrectionem non apparuiſſe, eum iſtiuſmodi fuiſſe qui pœnas iſtas pro nobis perſolvere potuerit, hoc eſt æternum Deum.* Cujus objectionis occaſione in multã de reſurrectione diſputationem digreditur. Ad hæc reſpondere nõ eſt opus, ſi præſenti inſtituto inſiſtere velimus. Nam dato ex Chriſti reſurrectione, non apparere æternam ejus deitatem, aut eum pœnas noſtras perſolvere potuiſſe, poteſt nihilominus reſurrectio ad delenda peccata requiri, aut præſtita eſſe à Chtiſto ſatisfactio per pœnarum ſolutionem: quia tamen Prælector nos ducit ad hoc diverticulum, nonnihil cum eo deviabimus. Communis Theologorum ſententia eſt; Chriſtum reſurrectione ſuâ, non factum Dei Filium ſed declaratum. Eraſmus ait in annot ad Rom. 1. v. 4. *magno conſenſu Græcos codices habere* ὁρισθέντος, id eſt qui finitus

finitus ſeu definitus erat, hoc eſt juxta Græcorum ſcholiorum interpretationem, certò prononciatus demonſtratus ac declaratus. Negat Socinus Chriſti reſurrectionem docere eum æternum Deum eſſe; illi nullius momenti hæc probatio, quod propriâ vi reſurrexit. Ratio, cur hancprobationem rejiciat, eſt, etiamſi Chriſtus propriâ vi reſurrexiſſet, non tamen id ipsâ reſurrectione conſtare ullo modo poſſe. Dico cõtra ex ipſâ reſurrectione, ut verbo Dei declaratâ id conſtare poſſe, quod in hac re ſatis eſt: nam etſi ex ipsâ reſuſcitatione corporis Chriſti per ſe nudè inſpectâ id evidens non fiat, an propriæ an alienæ virtuti exiſtentiã ſui debeat, id aliunde manifeſtum eſſe, ac proinde quod propriâ vi reſurexit, judicium eſſe æternæ deitatis: Chriſtus reſurrectionem ſuam ſuæ virtutis opus futuram dixit: templum à Judæis deſtruendum intra triduum excitandum dixit, ut deſtruxerunt Judæi, ita Chriſtus erexit. Verum quidem eſt, de aliis hominibus quoque ſcriptum eſſe, *quod ſeipſos ſint ſervaturi* Mat. 10. 39. *& ſeipſos vivificaturi* Luc. 17. 33, At quem iſtiuſmodi locutiones ſenſum habeant, nullum poteſt eſſe dubium, idemque aliud nihil eſt, quam eos, qui vitam ſuam inſtituunt ad normam à Chriſto præſcriptam, ad ſalutem æternam perventuros. Hujus locutionis Chriſti longe alia ratio, nõ [illegible]m agit de viâ hic, quâ ad beatam immortalitatem perventurus, ſed operi Judæorum, quod verâ & reali actione in deſtruendo ipſius corpore erant peracturi, ſuum opponit, quo illud erat erecturus. Nimis mirũ
eſſet

eſſet, fideles aliter quam Dei vertute vivificari: at Chriſtum habere virtutem in ſe manentem, quâ ſe vivificet, mirum non poteſt eſſe, cum vitam in ſeipſo habeat, & quos vult vivificet. Secundò aliâ adhuc ratione, ex Chriſti reſurrectione æterna ejus deitas apparet. Audiatur Socini Dominicus Loper de S. Script. authoritate edit. Hiſpalenſis pag. 53. *Ex iis quæ hactenus diſputata ſunt, facile intelligi poteſt, verum eſſe Ieſum Nazarenum à morte in vitam rediiſſe, & ob eam rem, non ſolum unum aliquem Deum eſſe eumque homines ſingulatim curare, ſed etiam ipſius Jeſu religionem eſſe veram, cum nec ſine ſingalari Dei providentiâ, Chriſtus reviviſcere potuerit, nec ullam aliam ob cauſam id Deus curaſſe, quam ut ea omnia confirmarentur, quæ ejus nomine Jeſus dixerat.* Si ergo in hac doctrinâ, dogma æternæ Deitatis Filii continetur, ut impræſentiarum ſupponimus, neceſſe etiam erit, per hæc allegata, ex Chriſti reſurrectione, æternam ejus Deitatem conſpicuam eſſe. Manifeſtum etiam eſſe poteſt ex reſurrectione, quod majori confidentiâ uſus, negare etiam auſus eſt Socinus, Chriſtum dum hic mortalis ageret, quovis hominum excellentiorem fuiſſe. 1. ex confeſſione Socini dico Chriſtum quolibet noſtrum, dum etiam hic eſſet excellentiorẽ fuiſſe. Jam verò ejus excellentia, doctrinâ explicatur, quam cum reſurrectio evidenti teſtimonio confirmet, qualis etiam & quantus fuerit Chriſtus, dum hic in terris ageret, non poteſt non reſurrectione comprobatũ eſſe. 2. Chriſtus reſurrectione glorificatus eſt, *quia Patrẽ in terrâ*

gloriſicavit, & opus conſummavit, quod accepera perſiciendum. Joh. 17. v. 4. Quis vero negare audeat, Chriſtum hoc opere in terris peracto, quo opus liberationis noſtræ continetur, omnibus hominibus longè excellentiorẽ eſſe. Quod verò ait, quemlibet hominum, ad eam dignitatem promoveri ex Dei voluntate potuiſſe, ad quam Chriſtus reſurrectione evectus eſt, id ortum ſuum ducit ex commentitiâ opinione, quâ arbitratur Dei gratiâ novos fieri poſſe Deos, quemadmodum cenſet, Chriſtum hoc pacto factum Deum precarium.

Loca ad Rom. 1. com. 4. & Act. 13. non attingam, dixi de iis in examine, id tamen moneo, etiamſi legatur conſtitutum Filium Dei in potentiâ, neceſſum tamen non eſſe, propterea arbitrari, Chriſtum factum potentiſſimum Dei filium actu & reipsâ, quaſi antea impotens, aut non ita potens Dei Filius fuerit, ſed ratione exertionis & manifeſtationis, hoc totum intelligi poſſet.

Secundum ejus argumentum, quo utitur contra ejus ſatisfactionem per pœnarum ſolutionem, eſt, *quod ſervandi ratio per pœnarum ſolutionem, in ſervatore mortem æternam requirit; ea verò quæ Servatoris reſurrectionem, ad peccatorum noſtrorum deletionem poſtulat, æternam vitam in Servatore requirit*, atque ita hanc rationem ſervandi incompatibilem eſſe, cum illâ de quâ quæritur, & cum eâ ex diametro pugnantẽ. Hęc ratio pro adverſario concluderet, ſi ſervandi ratio ſolutione pœnæ, mortem duratione æternam requireret præcisè, & fieri non

poſſet

poſſet per pœnam æternæ æquivalentem, qui poſterior ſervandi modus optimè conſiſtere poteſt cum æternâ immortalitate Servatoris, quæ mortem ejus conſecuta eſt.

Tertiæ rationis loco eſſe poteſt, *quod iſtiuſmodi ſatisfactio* ἐκ τῶν ἀδυνάτων *eſſe videatur, neq; defendi poſſit dignitate perſonæ Chriſti; neque obtendi poſſe virtutem inde emanantem, neq; in utroq; conjuncto quicquam eſſe præſidij*. Primò oppugnat præſidium à dignitate perſonæ deſumptum.

Apud Deum προσωποληψίαν non eſſe Scrip. frequenter ingerunt. De hac ita Thom. ſec. ſecund. quæſtion. 63. artic. 1. Perſonarum acceptio opponitur juſtitiæ diſtributivę, conſiſtit enim æqualitas juſtitiæ diſtributivæ in hoc, quod diverſis perſonis diverſa tribuuntur ſecundum proportionem ad dignitates perſonarum. Si ergo aliquis conſideret illam proprietatem perſonæ, propter quam id quod ei confertur, eſt ei debitum, non eſt acceptio perſonæ, ſed cauſæ. *Unde gloſſa ſuper illud ad Eph. 6. perſonarum acceptio non eſt apud Deum, dicit quod Deus judex juſtus cauſas diſcernit, non perſonas. Puta ſi aliquis promoveat aliquem ad magiſterium propter ſufficientiam ſcientiæ, hic attenditur cauſa debita, non perſona, ſi autem aliquis conſideret in eo, cui aliquid confert, nō id propter quod, id quod ei dat, eſſet ei proportionatum vel debitum, ſed ſolum hoc quod eſt iſte homo; (puta Petrus vel Martinus) hic eſt acceptio perſonæ: quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam cauſam. quæ facit eum dignum, ſed ſimpliciter attribuitur perſonæ. Ad perſonam autem refertur, quæcunq; conditio non*

faciens ad cauſam, propter quam ſit dignus hoc dono. Puta ſi aliquis promoveat aliquem ad prælationem vel magiſterium, quia eſt dives, vel quia eſt conſangnineus ſuus, eſt acceptio perſonæ. Contingit tamen aliquam conditionem perſonæ facere eam dignam reſpectu unius rei, & non reſpectu alterius, ſicut conſanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quod inſtituatur hæres patrimonij, non autem ad hoc, quod conferatur ei prælatio Eccleſiaſtica. Et ideo eadem conditio perſonæ in uno negotio conſiderata facit acceptionem perſonæ, in alio autem non facit. Non eo ergo, quod dignitatis & ordinis perſonæ, in impoſitione pœnæ ratio habetur, in vitium προσωποληψίας incurritur, quod ni eſſet, malè concederet Prælector, *perſonæ dignitatem pœnam alioqui levem gravem efficere, ſeu tanti eſſe digniſſimæ perſonæ pœnam leviorem, quanti indigniſſimæ graviorem*; poteſt ergo dignitatis perſonæ in moderandâ pœnâ ratiò haberi, ſine crimine reſpectus perſonarum. Etſi perſonę dignitas nihil faceret ad rationem pœnæ, dicendum non eſſet, non pluris eſſe, apud Deum levem pęnam digniſſimę perſonæ, quàm gravem indigniſſimæ, ubi delicta ſunt paria, ſed majoris non eſſe pœnam digniſſimæ perſonæ, pœnæ perſonæ indigniſſimæ æqualem. Porro etſi non pluris ſit apud Deum levis pœna digniſſimæ perſonæ, quam gravis indigniſſimæ, quomodo hinc elicis Prælector, Chriſti paſſione juſtitiæ divinæ ſatisfactum non eſſe, niſi Chriſtus eadem paſſus fuerit, quæ nos pati debebamus, & nihilo leviores pœnas dederit, quam eæ ſint, quæ nobis conſtitutæ, hoc eſt,

pœnas

pœnas Chriſti & noſtras per omnia ſecundum Polycleti regulam æquales eſſe debuiſſe, neq; in pænis irrogandis, ullam dignitatis habendam rationem. Etenim ſi tanti eſt, levis pœna digniſſimæ perſonæ, quanti indigniſſimæ gravior aut majoris æſtimanda; hoc ipſo illata pœnæ æqualitas convellitur. Vera æqualitas, hoc poſito, in æqualitate, in inæqualitate inæqualitas eſſet.

In pœnis rationem ordinis & dignitatis habere jure Romano & aliorum quoq; moribus receptum. Lex Cornelia, *eum qui uxorem in adulterio deprehenſam occiderit, ſi humiliore loco poſitus ſit, exilio perpetuo damnat; ſi verò in aliquâ dignitate, ad tempus relegari jubet* l. 1. §. ultim. ad leg. Cornel. de ſic. *Honeſtiores fuſtibus ſubjici non ſolent*. l. 28. D. *de pœnis*: Neque omnes fuſtibus cædi ſolent, ſed hi duntaxat, qui liberi ſunt, & quidem tenuiores homines, honeſtiores verò fuſtibus non ſubjiciuntur, idque principalibus reſcriptis ſpecialiter exprimitur. *Veteres Romani decurionem quantumcunque crimen admiſiſſet, neque in metallum, neque in furcas damnari patiebantur* l. 3. *de privilegiis veteranorum*. Marcum Scaurum antiquæ nobilitatis decus, etiam florenti populari ſtatu, qui æqualitatem pænarum affectabat, ab excidio vindicavit, *narrante* Valerio Maximo. Neque hoc Romanorum proprium, ſed omnium pene populorum commune fuiſſe teſtatur Bodin. ſexto de Repub. cap. 6. *Legibus inquit Francorum ac Saliorum, quas diximus, quamplurimæ pro cujusq; ſtatu ac conditione pœnæ infliguntur: quin etiam*

inquit illi ipſi populorum omnium barbariſſimi Indorum, qui ad occaſum poſiti ſunt, cum ejuſdem ſceleris convictũ nobilem ac plebejum tenerent, nobili capillos aut brachialia truncabant, plebejo nares & auriculas præcidebant. Quis juſtitiæ repugnans arbitretur inter divitem & pauperem leges pænales quandoque diſtinguere, infirmiorem non ſuſtinere æquè gravem corporis afflictionem, atque firmiorem, ubi cæteroquin per delictum, ex æquitatis fontibus deduci poſſe videtur. Fæminas moderatius quam viros caſtigare debent judices D. l. *ſi quis in gravi.* Videmus etiam Apoſtolum Paulum, jus civium Roman. in ſui defenſionem centurioni objeciſſe Act. 22. v. 27. *num hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare.* Bodin. pag. 1191. *Furem nocturnum* inquit Martianus *ſi telo ſe defenderit, in metallum dari, in dignitate collocatum relegari; milites cum ignominiâ dimitti oportet.* L. 1. & ult. de furibus balneariis. Veſembec. in Pandectas pag. 1253. *balneary autem qui propter communem balneorum uſum, & quoniam nudis ibi atque aliud agentibus hominibus, facilius quid ſurripi poteſt, gravioribus ſanctionibus veſtimenta lavantium ab injurÿs defendi publicè omnium maximè refert. Nam in univerſum, quo occultius & impunitius committi flagitia poſſunt, eò deprehenſa acerbius, majoreq; jurisdictionis ſeveritate ſunt caſtiganda.* Debebit inquit Ulpian. *Proconſ. pro qualitate perſonæ proque rei conditione & temporis & ætatis & ſexus, vel ſeverius vel clementius ſtatuere* l. ſacrileg. 6. ad legem tul. pecul. *Modum pœnæ ex 7. circumſtantiis metiendum*

tiendum eſſe dicunt juris magiſtri, cauſâ, perſona, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu. Vecemb. in Pandectas pag. 1362. Cicero oratione pro Rabirio. *Porcia lex virgas ab omnium civium corpore amovit.* Flagellis verò cædi, quod Apoſtolo Paulo à centurione parabatur Act. 22. com. 25. non ingenuorum, nedum civium, ſed ſervorum ſupplicium erat. Terent. Adelph. *ad necem operire loris San. loris liber? indignatur exclamans ut in re inſolenti, libero homini intentata lora. Servilem conditionem* Menæ Horatius hinc probat Epod. od. 4. *Sectus flagellis hic triumviralibus, præconis ad faſtidium.* Et Imper. reſcripſerunt, *mulierem habere juſtas divortii cauſas, ſi ſe verberibus, quæ ingenuo aliena ſunt, afficientem maritum probaverit* l. 8. c. de repudiis ut novum & ſeverum quoque in Ticinio Pontifice narrat Valer. l. 1. cap. 1. *quod ei virgo veſtalis digna viſa eſt, quia parum diligens ignis æterni cuſtos fuiſſet, quæ flagro admoneretur.* Paulus ergo præſidium legis invocavit, quæ virgas & flagella à civium Rom. corpore arcet, quod non feciſſet, ſi iniquæ fuiſſent leges illæ, quæ ſervos ab ingenuis, & inter hos cives à peregrinis diſcriminant; æquitati enim conſentaneum non eſt, iniquo jure velle defendi: neque putandum eſt voluiſſe Apoſtolum Magiſtratus προσωποληπτας eſſe in ipſius incolumitatem. Præterea concedit Crell. pag, 446. *dignitatem perſonæ vim habere poſſe, ſi pœna ipſam hominis dignitatem ſpectet, & in honoris diminutione, vel tota vel pars ejus aliqua conſiſtat, ita quidem ut ex intentione punientis, plus ſit perditurus dignior,* perſonam reſpicere

 quàm

quàm indignior, etiamſi alioquin idem uterque patiatur. At verò in propoſitâ noſtrâ controverſiâ id contingit, nam Salvator noſter cum ſceleratis reputatus eſt, & ignominioſiſſimâ morte inter latrones crucifixus. Hinc Bodin. de Rep. c. 6. ita ſcriptū reliquit. *Quod autem diximus illuſtrium virorum pœnas leviores eſſe oportere; quam ſordidorum aut obſcurorum virorum, ut cæteri ad virtutem excitari poſſent, popularis illa quidem eſt, & unicuique perſuaſa ratio, non tamen vera: quia geometrica ratio facit, ut nobilis mulctatus ex eâ causâ, quæ dignitatem & exiſtimationem minuit, tam acerbè plectatur, quam ſordidus flagellis caſus: cui de dignitate, quam nullam habet nihil decedit.* Objicitur Deum in legibus Moſaicis, nullam ullius dignitatis rationem habuiſſe, Crell. contra Grot. reſp. ad cap. 8. pag. 446. 450. Ad hoc reſponderi poteſt, illud eſſe juris poſitivi, & non omni ex parte immutabilis, neque enim hoc aut juris naturæ, aut gentium eſt. Quædam ita ſunt juſta, ut ſalva juſtitiâ aliter fieri non poſſint: quædam ita ut aliter fieri poſſint. Quare ſufficiens cauſa non eſt ſuſpicari, iniquum eſſe, pœnas ex dignitate perſonarum æſtimari, quia hoc in legibus Moſaicis neglectum fuit. 2. Leges Moſaicæ in jure de hæreditatibus rationem habuerunt diſcriminis perſonarū, primogenito duplum tribuebatur, cæteris ſimplum, videtur ergo & in pœnalibus rationem perſonarum haberi potuiſſe, imo diſcrimen perſonarum non prorſus neglectum fuit Levit. 19. v. 20. Id amplius apparet ex parabolâ Nathanis, & ſententiâ à Davide pronuntiatâ

tiatâ. Lex Moſaica de furtis, citra perſonarum diſtinctionem, pœnam facto conſtituit, divitem pauperi furari rem unicam & chariſſimam, graviori pœnâ dignum eſſe, quam furtum in communi, ex ipſis æquitatis fontibus deducitur. Quapropter non videtur improbanda eorum ſententia, qui dicunt, in manu judicum poſitum fuiſſe pœnas augere vel imminuere, pro ratione circumſtantiarum, ſicut juriſconſulti dicunt, tametſi lex in genere, & in abſtracto, citra aliquem perſonarum & rerum complexum pœnam conſtituit aritlmeticâ proportione, & ex lege talionis eam delicto commenſurat: juſtitiam tamen diſtributivam, ſeu Magiſtrat. juſtitiæ inſtrumentũ, cum legem exequitur & in concreto de pœnâ perſonę applicandâ diſputat, rem ad proportionem geometricam reducere. Nec tantum quid facto debeatur, ſed quid congruat perſonæ tam ejus qui deliquit, quam illius in quem commiſſum eſt, expendere & examinare l. Sacrilegiis D. ad l. Jul. pecul. *Sacrilegij pœnam debebit Proconſul pro qualitate perſonæ, proque rei conditione & temporis & ætatis, & ſexus vel ſeverius vel clementius ſtatuere.* Id verò in Hebræorum Repub. obſervatum eſſe potuit, & à lege non a judice omnibus eadem pœna conſtituta. Rabbi Maymon lib. 3. ſcripſit. *Sanedrim ex æquitate judicare licuiſſe, quando cavetur ne judices à verbis legum diſcedant, id tamen volunt inſignes juris Magiſtri, æquitatis vim & congruam legibus interpretationem non tollere,* ut conſultus Alexander ex Bartoli ſententiá reſpondit. Rabbi kanan negat

uſquam in Hebræorum civitatibus, ita talioni locum fuiſſe ut oculus & effoderetur, qui alteri oculum ademiſset. ſed oculi æſtimationem, judicum arbitrio pecuniâ æſtimari conſueviſſe. Ne jam dicam quidquid ſit de jure politico Iſraeliticæ Reip. inde conſequẽs non eſſe, aliud in myſterio ſalutis noſtræ per Chriſtum non fuiſſe obſervatum, nam ſcriptum eſt *abolebo ſapientiam ſapientum & intelligentiam intelligentum tollam è medio. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi diſquiſitor ſeculi iſtius* 1. cor. com. 19. 20.

Secundò ait conceſſo eo, quod dignitas ad rationem pœnæ faciat, & quod tanti ſit digniſſimę perſonæ levior pœna, quam indigniſſimæ gravior, inter ipſas tamen pœnas proportionem requiri, eam nullam eſſe inter noſtras pœnas, & ea quæ Chriſtus pertulit, noſtras æternas fuiſſe, Chriſti non æternas.

Pœnas Chriſti noſtris duratione proportionatas eſſe debuiſſe, alioquin divinæ juſtitiæ ſatisfacere pro nobis non potuiſſe, aut juſtam proportionem inveniri non poſſe, aut pœnam pœnâ non compenſari, niſi proportio in duratione conſtituatur, probare non adferre tantum oportuit Socinum. Inter pænam & peccatum, ex æquitatis & juſtitiæ fundamento proportio eſſe debet, neque tamen propterea proportio durationis requiritur. Peccatum eſt temporarium imo ſæpe momentaneum, pænam tamen meretur æternam ſecundum juſtiſſimam Dei conſtitutionem, poteſt ergo in pœnâ, quæ duratione non æternâ, aliquid inveniri, quo noſtræ pœnæ æternitas compenſetur.

Ea eti-

Ea etiam quæ paſſus eſt Chriſtus, pœnas non fuiſſe, eo non probatur, quod infinita ea beatitas & gloria conſecuta fuerit, tantum abeſt ut propterea cenſendum ſit, paſſiones Chriſti non fuiſſe pœnas, ut potius hinc ſit inferendum oppoſitum, paſſione nempe ejus pænas peccatis noſtris debitas fuiſſe perſolutas, non potuit enim ad glorioſam illam dignitatem attolli, quâ æternus noſter Pontifex & Rex in cœlis factus eſt, niſi pœnas peccatis noſtris debitas perſolviſſet, gloriæ ad quam Chriſtus evectus eſt ut æternam ſalutem noſtram promoveret, argumento nobis eſt, pœnas noſtras à Chriſto obedientiâ mortis fuiſſe perſolutas. Dices de naturâ pęnæ eſſe ut tantum quęratur nocumentum ejus, qui punitur. Chriſtum verò paſſione ſuâ, ex Dei diſpenſatione maximam gloriam conſecutum. Verùm negatur hoc eſſe de ratione pœnæ cujuſlibet, quocunque tandem modo inflictæ, id poteſt procedere in pœnâ, quâ quis ob propria delicta punitur, non verò quà quis ut Mediator ob delicta aliena, quod ſimul & juſtitiæ & miſericordiæ opus, quale eſt paſſio Chriſti pro nobis puniti.

Tertiò ſententiæ de ſatisfactione Chriſti per pœnarum perpeſſionem objicit adverſarius. *Si tanta Chriſti perſona hac in re dignitas fuit, ut nulla proportio inter ejus perpeſſiones, & ea quæ nos perpeti debebamus requirenda fuerit, cur Deus inquit leviſſimâ pœnâ contentus non fuit?*

Tantam non dicimus Chriſti perſonæ dignitatem, ut nulla proportio fuerit neceſſaria: nam ſi proportio in duratione, non fuit neceſſaria,

ſaria, ergo prorſus nulla? non valet conſequentia à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter. Infinitas valoris ſatisfactionis Chriſti exſurgit, ex dignitate perſonæ & gravitate paſſionis. Ea cum Sc. ſacris conjungimus. Scholaſticorum illud de unicâ ſanguinis gutta, niſi pro Hyperbolico loquendi genere accipiatur; aut ut eo indicetur, maxima Chriſti patientis dignitas, ex ſacrarum literarum mente ſuſtineri non poteſt; docent illæ acerbiſſimam illam paſſionem prout eam ſubiit Chriſtus, ad nos Deo reconciliandos ſuſceptam eſſe, & peccata noſtra totius illius paſſionis, & omnium ejus partium fuiſſe cauſas, in quâ ſacrarum literarum ſententiâ, dum oporteat φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν Rom. 12. com. 3. piorum conſcientiæ facilè conquieſcunt. Itaque in dignitate perſonæ & paſſione ejus prout eam ſubiit Chriſtus, vim & efficaciam ejus collocamus, & ex duobus iſtis exurgit ratio proportionis inter ſatisfactionem Chriſti & pænas noſtras. Dignitas perſonæ à proportione non eſt excludenda, ut in hoc argumenti tractatu facit Prælector, cum rationem ejus conſtituat & ingrediatur. Eo etiam condonato de leviſſimâ pœnâ, aut unicâ guttâ ſanguinis, quod innonocentius Papa in extravagantibus tradidit, diris illis injuſtitiæ & immanitatis conſequentiis hoc dogma non proſcindit, niſi ex ſuis etiam doctrinæ fontibus rivulos illos deduci patiatur. Quid enim quæſo adferre poteſt, quo perſuadeat, per doctrinæ ſuæ principia, totam Chriſti paſſionem, ſecundum omnes ejus partes & gradus omnino

ſapere ad ſobrietatem

& abſo-

& abſolutè fuiſſe neceſſariam, neque tamen injuſtitiam & immanitatem aliquam divinam ut dogmatis ſui ἑπόμενον amplectitur. vidimus de hac re ſuperiore capite. conſequens

Tranſit ad ſecundum de vi & virtute aliquâ ex Chriſti perſona promanante. Per vim hanc intelligit Socinus non vim valoris & æſtimationis, ab ipsâ perſonæ dignitate derivatæ, vim enim hanc à dignitate diſtinguit. Sic enim loquitur cap. 4. lib. 3. de Servat. ubi fuſius hanc rem perſequitur. *Quod ſi non per ſe, ſed ex perſonæ dignitate Chriſti perpeſſiones æſtimari velis, jam perſonæ dignitatem eam vim, quâ ad ſatisfactionem iſtam peragendam opus fuiſſet, iis, quæ paſſus eſt Chriſtus, conciliare non potuiſſe, probatum fuit.* Quid verò illa vis ſit quam ab efficaciâ ex perſonæ dignitate promanante diſtinguit, explicat Crell. in fine reſp. ſuæ ad cap. 8. *Cum vim, inquit nominat Socinus, non ſimpliciter valorem atque æſtimationem, de quâ Grotius loquitur intelligit, ſed virtutem atque efficaciam quandam occultam, quam paſſio habuit ad ſatisfaciendum.* Talem verò vim occultam perpeſſionibus inhærentem, & à Chriſti perſona efficienter productam, cum nos non proferamus ad conciliandam paſſionibus Chriſti ſatisfactoriam facultatem, diſputationem Socini contra eam occultam virtutem attingere neceſſum non habemus: quia tamen nonnulla adferuntur quæ contra ſententiam de ſatisfactione, quę vim ſatisfactionis in perſonę dignitate collocat, de iis cognoſcere omiſſis cęteris operæ pretium erit.

Verba igitur ejus quæ contra valorem ſatiſfactionis

ſactionis ab æſtimatione perſonæ derivatum dirigi poſſe videntur, ſunt, *ad veram plenamque ſatisfactionem pro peccatis noſtris peragendam, neceſſe fuiſſe, ut ipſa natura humana quæ peccavit ex ſeipsâ id univerſum exſolverit, quod nos propter peccata noſtra debebamus:* conſequenter videtur à dignitate perſonæ, nullum humanæ naturæ ferri auxilium potuiſſe. Id Socinus non Script. teſtimoniis firmat, ſed ex κυρίαις cerebri ſui δό-ξαις tantum profert, non magni ergo faciendum eſt. Videmus debitum obedientiæ perſolvi ab homine vero, quamquam homo ex ſeipſo id non exſolvat, ſed auxiliis gratiæ divinæ adjutus, ut vel ipſe non it inficias, ſed apertis verbis in ſcriptis ſuis palam confitetur, ſi verba ipſa ſaltem & profeſſionem ipſius ſpectemus. Naturam humanam ergo alienis auxiliis adjutam debitum pœnæ exſolvere poſſe, pari ratione videtur. Debitor creditori tam pecuniâ quam ab alio, quam à ſeipſo habet ſatisfacere poteſt. Subdit, *Deum eſſe cui ſatisfieri debeat, ac proinde ſatisfacere non poſſe: neminem ſibi ſolvere, aut ſibi ipſi vim ſatisfaciendi ſuppeditare.* At etiamſi hoc generatim ita inter homines obtineat, quod creditor & debitor, ſolvens & is cui ſolvitur perſonaliter diſtinguantur; id tamen ita etiam in hoc myſterio ſalutis noſtræ per Chriſtum procedere, inde firmiter non concluditur. Nemo hominum unigenitum ſuum & innocentiſſimum filium pro ſceleratis hominibus & juratis hoſtibus in mortem dedit, & tamen *commendat Deus charitatem ſuam, quod Chriſtus pro nobis mortuus eſt, cum adhuc eſſemus peccato-*

præcipuis dogmatibus

peccatores & impii Rom. 5. com. 8. & 6. Dico ſecundò id non abſurdum fore, ſi creditor & debitor ſint una perſona. In mediatore noſtro creditor Deus, & homo debitor unam perſonā conſtituunt. Præterea lapſi in peccatum, ad pœnitentiam redeuntes, per ſeveriorem diſciplinam ſe caſtigant; ſic poteſt quis indignari peccatis ſuis, & mala à ſe commiſſa vindicare quodammodo, atque ita ſecum in gratiam redire. Animadvertendum etiam Chriſtum ſibi vim ad ſatisfaciendum non ſuppeditaſſe, nam hoc ipſo quod eſt Deus homo ſatis ad ſatisfaciendum eſt comparatus. 2. Id non eſt universè verum, neminem ſibi ipſi vim ſatisfaciendi ſuppeditare: Una potentia in homine alteram confortare poteſt: pars una alteri ſuccurrere, redi inquit David *anima mea in requiem tuam* Pſalm. 116. com. 7. ita Chriſtus ut Deus ſibi quatenus erat homo vires ſuppeditare potuit. Quod verò amplius in ſatisfaciente requirit, debere ſatisfacere ex eo quod ipſe habeat, nec ejus cui ſatisfit jam eſſe dici poſſet, id in Mediatore noſtro invenitur: ſatisfecit ex eo quod ipſe habet: pretioſiſſima autem & maledicta mors, quà pœnæ peccatorum perſolutæ, neq; erat ejus cui ſatisfactum, antequam exiſteret, non jus in illā habebat niſi ex vi ſanctionis, quà peccator tenetur ad pœnam. Dicat quis dignitatem perſonæ eſſe etiam in noſtrà ſententià. Id, quo ſatisfit, quatenus λύτρον quod ſolvitur, ab eâ quod ſit λύτρον habet: iſta verò perſonæ dignitas Filii eſt, cui etiam ut parti læſę ſatisfactum: quamquam hoc ita ſit, dignitas tamen perſonæ pretium redemtionis.

non

non eſt ipſum pretium ; ſed mors maledicta vim pretii à dignitate perſonæ accipit. Filius antequam pateretur , erat Filius at non filius moriens. Dignitas perſonæ ut relata ad mortem , non erat antequam pateretur. Ne jam dicam, ex Socini Hypotheſibus, etſi contrarium ſimpliciter aſſereretur, id quo quis ſatisfacit, dici poſſe, antea fuiſſe ejus , cui ſatisfacit, vix refutari poſſe, ni fallor: mors enim æterna peccatorum quâ Deo ſatisfit , jam Dei erat, ſi credis Socino, ex abſoluto dominii jure, ex vi enim illius juris mori æternum & pati potuere etiam non peccatores. In reliquis, quæ hoc paragrapho reſtant concluſiones contexit ſuas, quæ cum præmiſſis everſis ruere neceſſe ſit, de iis non laboro. De altero ſatisfactionis genere agens , iis, quibus antea uſus eſt, pugnat argumentis, tantummodo interpolat. *Chriſtum univerſæ legi perfectiſſimè ſervandæ obſtrictum fuiſſe, pro aliis præſtare non potuiſſe, quod debebat ipſe*, examinatum fuit , cum ſuperius actum generatim , de hujus ſatisfactionis impoſſibilitate ex Prælectoris ſententiâ. Quod verò ipſam etiam mortem ex Patris mandato ſubiit , id mandatum non fuit illi datum , niſi quà Mediator & ſacerdos noſter , cum mors non ipſius hominis , quà talis , ſed peccatoris tantum debitum ſit : non ſuo quoque , ſed alieno nomine mortuus dicitur , ex perpetuâ ſcripturæ phraſi. Chriſtum verò ejuſmodi mortis & laborioſæ obedientiæ ſuæ præmium reportaſſe , quod eam longiſſimè excedat, quod etiam ab eo ſuperius affirmatur, negari poteſt. Lombard.

bard. lib. 3. ſentent. diſtinct. 18. *tenet humilitatem eſſe meritum claritatis.* Bellarm. lib. 5. de Chriſto Mediatore. Theologi Doctores apud Magiſt. in 3. ſentent. diſtinct. 18. conveniunt inter ſe, atque uno conſenſu docent, *Chriſtum præter ea bona quæ ſuis* laboribus peperit nobis, meruiſſe etiam ſibi corporis gloriam & nominis exaltationem. De nominis exaltatione quod ait Bellarm. in eo Scholaſticorum conſenſus. In priore fervent Scholaſticorum conflictus.

Jam verò Chriſtum meruiſſe æternum ſacerdotium & regnum, ratio dictare videtur. Remiſſio peccatorum & æterna vita, quæ ſacerdotii & regni divini effectus, merito Chriſti fidelibus obtingunt; ergo & interceſſionis authoritas & jus collationis per regiam poteſtatem, ejuſdem meriti efficacię innituntur. Ut autem morte ſuâ non ſibi ſed nobis quæſivit; ita etiam omne id quod exaltatione ſuâ aſſecutus Chriſtus, in ſalutem noſtram dirigitur & quidquid in perſonâ ſuâ reportavit in ſalutem noſtrã reportavit. Chriſtus paſſus & glorificatus in ſalutem noſtram. *Pater* inquit *venit hora illa, glorifica Filium tuum, ut & filius glorificet te. Sicut dediſti ei authoritatem in omnem carnem, ut quotquot dediſti ei, det eis vitam æternam.* Joh. 17. com. 1. 2. *Per eum credentes in Deum, qui ſuſcitavit eum à mortuis, & gloriam ei dedit, ut fides ac ſpes veſtra in Deo eſſet:* totus enim Chriſtus quantus eſt à Sp. S. nobis proponitur, ut noſter non ut ſui ipſius Servator. Chriſtus ſui oblitus, ſe totum in ſalutem noſtram addixit:

ſervare perfectè poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens ut interpellet pro eis Heb. 7. com. 25. Atque hoc ſenſu accipi poteſt Calvinus loco à Prælectore allegato, ubi negat Chriſtum ſibi meruiſſe: Verba ejus ſunt. *Quærere verò an ſibi ipſi meruerit, quod faciunt Lombardus & Scholaſtici, non minus ſtulta eſt curioſitas, quā temeraria definitio, ubi hoc idem aſſerunt. Quid enim opus fuit deſcendere unicum Dei Filium, ut ſibi acquireret quicquam novi? Et conſilium ſuum exponens Deus omnem dubitationem eximit. Non enim Filii utilitati conſuluiſſe dicitur Pater in ejus meritis, ſed eum tradidiſſe in mortem, neq; ei peperciſſe quia mundum diligeret. Et notandæ ſunt locutiones Propheticæ. Puer natus eſt nobis. Item exulta filia Zion: ecce rex tuus venit tibi. Frigeret etiam alioqui confirmatio illa amoris, quam Paulus commendat, quod Chriſtus pro inimicis mortem ſubierit, inde enim colligimus rationem ſui non habuiſſe.* Atque hoc ſenſu rectè dicitur Chriſtum ſibi non meruiſſe. Id autem quod Chriſto per exaltationem collatum, ad promovendam Eccleſiæ ſalutem, ſub meritum ejus non cadere ex Pauli ad Philipp. teſtimonio non evincitur. Dices affirmat Paulus, quod Deus illi ἐχαρίσατο nomen, quod ſupra omne nomen: ex merito & gratiâ habere pugnantia ſunt. Verum pro ſolutione eſſe poteſt, vocem χαρίζεσθαι, non ſumi eâ notione, quâ merito opponitur, notat enim etiam rem gratam facere Homer. Odyſ. α, νύ τ' ὀδυσσεὺς ἀργείων παρὰ νηυσὶ χαρίζετο ἱερὰ ῥέζων. *Nonne Vlyſſes Græcorum apud naves gratificabatur ſacrificando* Odyſſ. ξ μοι το

Eſa. 9.6.
Zag. 9. 9.

τί μοι

τί μοι ψεύδεσι, χαρίζεο ne mihi mendaciis gratificare. Ibi verò Euſtat. adnotat illud ἀκριβῶς eſſe accuratè dictum: Variis enim modis χαρίζεσθαι nos poſſe, videlicet δώροις, δεξιώσεσι, ἀληθείαις ψεύδεσι, donis gratulationibus veritate mendaciis. aliiſque multis. Denique etſi Calvinus & alii, qui negant Chriſtum ſibi meritum, verbum illud διὰ non cauſam meritoriam exaltationis; propterea ſed conſequentiam duntaxat oſtendere, dicant; inde tamen non efficitur, Chriſtum nobis non eſſe meritum, cum nihil impediat, pro aliis mereri, qui pro ſeipſo non mercatur, quamvis pro ſe non ſolvat fidejuſſor, pro alio nihilominus ſolvere poteſt. Fruſtra etiam eo nos gravat Prælector, *quod unius hominis obedientia licet perfectiſſima, pro uno quopiam tantummodo ſatisfacere poſſit, propter perſonæ dignitatem pro pluribus valere non poſſe.* Ratio qua hæc fulcit eſt, *nullam perſonæ dignitatem tantam eſſe poſſe, quæ obedientiam perfectiorem efficere poſſit eâ, quam nos debemus, quæ perfectiſſima eſſe debet.*

Perfectiſſima quidẽ ea eſt obedientia, quam ſinguli noſtrum debent, neque per adjectionem partium aut graduum, ita poteſt compleri, ut ſub iſta ratione, non debeatur. At verò perſectiſſimæ in genere obedientiæ, excellentia & valor per dignitatem perſonæ accedere poteſt, & hoc ſufficit ad id quod quæritur. Nos ſinguli perſectiſſimam, non digniſſimam, debemus, ut Chriſtus præſtitit: perfectiſſima pro uno tantum, digniſſima pro pluribus valere poteſt. Multum etiam debetur Chriſto, quod liber, homo fieri voluerit, ut ſe tanto oneri ferendo obligaret. Inſtat perſonæ dignitatem,

hac in re nullius momenti eſſe poſſe; *virum nobiliſſimum legibus parendo, non plus præſtare, quam hominem ruſticum, qui iyſdem legibus æquè atque ipſe pareat.* At quemadmodum diverſitas ſtatus perſonarum, in delictis ſpectatur unde natum illud, quod vulgo dicitur: Duo cum idem faciunt, non eſt idem, id etiam in rectè factis, habere poteſt locum. Duobus eidem legi parentibus, alter altero plus præſtare poteſt. Plus præſtat homo, omnium rerum indigus, à furto abſtinens, quam dives opibus abundans. Plus præſtat gregario milite dux ille, qui plerumque in opere, in agmine, qui auſit primus ſumſiſſe labores, primus iter carpſiſſe pedes, qui monſtrat tolerare labores, non jubet. Plus præſtat extraneus benefaciens extraneo, quam ſi eadem charitatis & humanitatis officia, domeſtici ſanguine juncti, ſibi mutuo præſtent. Major in Samaritano virtus miſericordię, quā in ſacerdote & Levita fuiſſet, ſi idem officium vulnerato præſtitiſſent, quia pluribus nominibus debebant. Multum hic valet perſonarum diſcrimen. Hinc eſt ut re ad Geometricam proportionem reductâ, Chriſtus pronuntiarit, *pauperculam viduam duo minuta in gazophylacium conjicientem, amplius conjeciſſe quam omnes,* quo non obſcurè indicavit, plus à paupercula vidua quam ab opulentis eſſe præſtitum. Quis non fateatur ſummæ dignitatis virum, miniſterium viliſſimum exhibentem, infimę conditionis homini plus pręſtare, quam ſi in nullo numero cum Megarenſibus poſitus, idem miniſterium exhibeat. Quis negare audeat,

deat, majus eſſe Dominum lavare pedes Servorum, quam ſervum conſervi Joh. 13. com. 13. 14.

De vi infinita quod adfertur facile diſſolvitur, ſi proportionaliter applicentur ea, quæ allata ſunt in fine paragraphi ſuperioris: humana natura debitum obedientiæ ſolvere potuit eo modo, quo debitum pœnæ: quomodo verò id fieri poſſit contra Socinum oſtenſum eſt. Divinæ naturæ obedientiam deberi: obedire non poſſe: vim merendi obedientiæ non poſſe ſuppeditare &c. Cum ſupra eaſdem difficultates moverit, contra ſatisfactionem per pænarum ſolutionem ſolutio ex iis peti poteſt. Deſino.

CAP. XIX.

Ad teſtimonia, quæ pro Chriſti ſatisfactione afferri poſſent, reſponſio: & primum ad ea, in quibus de Redemptione per ipſum facta diſſeritur.

SAtis credimus probatum fuiſſe, Chriſti ſatisfactionem pro peccatis noſtris ex eorum genere eſſe quæ fieri nullo modo poſſunt; nec porrò ulla ratione eum pro nobis Deo ſatisfeciſſe. Nunc ad teſtimonia, quæ ex Sacris literis pro ea ſatisfactione confirmanda afferri aut ſolent, aut poſſunt, reſpondendum eſt: Ea autem omnia, præter pauca quædam, de quibus vel ſeparatim vel certe nominatim agemus, ad quatuor capita revocanda ſunt, quò commo-

dius ad ea reſpondere poſſimus; & ſi quodpiam ipſorum omiſſum fuerit, (ſingulatim enim omnia prorſus examinare nimis longum eſſet) quomodo id explicandum ſit, ex generali re-
1. ſponſione intelligi poſſit. Primum caput erit eorum, in quibus de redemptione per Chriſtum perque ejus ſanguinem facta agitur; vel quòd ſeipſum ſive animam ſuam Redemptionis pre-
2. tium pro nobis dederit affirmatur. Alterum eorum, in quibus ſcriptum eſt, Chriſtum pro nobis & pro peccatis noſtris ſeu propter noſtra
3. peccata percuſſum & occiſum fuiſſe. Tertium eorum, ubi Chriſtus dicitur tuliſſe ſeu portâſſe languores & dolores noſtros, & pec-
4. cata noſtra, idque in corpore ſuo feciſſe. Quartum & ultimum caput ea omnia teſtimonia complectetur, quæ ad expiationem peccatorum noſtrorum per Chriſtum referri poſſunt: in quo præcipuè de Chriſti ſacrificio & ſacerdotio agetur, ſeu de ſimilitudine, quæ inter Chriſtum & victimas antiqui Fœderis, antiquumque illum Summum ſacerdotem ex Sacris literis eſſe appareat.

Ut igitur de primo capite primùm agamus, quid verbum *Redimere* in Sacris literis ſignificare ſoleat, diligenter conſiderandum eſt; & videndum, num ex eo quod Chriſtus in eis nos redemiſſe dicatur, ſtatuendum ſit, quemadmodum adverſariis placet, Chriſtum juſtitiæ divinæ id omne perſolviſſe, quod nos propter peccata noſtra ſolvere debuiſſemus, & ita pro nobis plenè ſatisfeciſſe? Propria quidem verbi Redimendi, id eſt, verborum λυτροῦν & λυτροῦσθαι

atque

atque ἀπολυτρῶν, quæ in novi fæderis ſcriptis exſtant, & Redimendi verbo à vetere interprete Latino reddita ſunt, notio ac ſignificatio eſt, cum ad hominem paſſivè refertur, Captivum vel ſervum aliquem, ex illius manibus qui eum captivum detinet, cuivé ſervit, pretio illi dato liberare. Verùm Sacræ literæ, quod etiam apud prophanos ſcriptores paſſim fieri videmus, ejuſmodi verbis non propria, ſed metaphorica ſignificatione uti ſolent: præſertim verò, cum de hominum redemptione, quam Deus procuraverit, aut procuraturus, aliquo modo agunt. Metaphoricam autem ſignificationem intelligo, ubi vel nullum prorſus, vel certè non verum pretium intervenit. At verum pretium intelligo, non pecuniam tantùm, ſed quidquid ut illi ſatisfiat, ei datur, qui captivum aut ſervum detinet. Itaque affirmo, cum in novo Teſtamento Redemptionis per Chriſtū facta ſit mentio, nihil aliud ſignificari quàm Liberationem, nullo vero pretio interveniente. Quod adnimadvertens Sebaſtianus Caſtellio, ubique fermè in interpretatione ſua, pro verbis Redimendi & Redemptionis, Liberandi & Liberationis verba ſubſtituit. Sed libet ex vetere Teſtamento locos afferre, unde metaphorica hæc iſtorum verborum ſignificatio apertè conſtare poſſit. Sciendum eſt enim, in locis quos afferemus, in Hebræo eſſe verba *Padah* aut *Gaal*, quæ ſine dubio ſi propriè accipiantur, veram redemptionem, id eſt, vero pretio interveniente ſignificant atque idem omnino pollent, quod verba illa Græca in novo

 Teſta-

Teſtamento. Igitur Exodi cap. 15. 13. ſcriptum eſt, *Dux fuiſti,*(vel potius *Duxeris*) *in miſericordia tua populo quem redemiſti.* Hîc certè dicitur Deus redemiſſe populum Iſraëliticum, quia ex ſervitute Pharaonis eum liberaverat, cum tamen nemini pretium aliquod pro eo liberando ſolviſſet. Idem ſcribitur Deut. cap. 7.8.ubi expreſſiùs etiam dicitur, Deum redemiſſe Iſraëlem è manibus Pharaonis Regis Ægypti. Atque idem loquendi modus eâdem de re habetur eodem lib. cap. 9. 26. & cap. 13. 5. & cap. 21. 8.& bis 2.Sam. cap. 7. 23. Nehem. cap. 1. 10. & Pſalm. 77. 16. Propterea Moſes, per quem Deus redemptionem iſtam peregerat, à Stephano Act. cap. 7 35. λυτρωτὴς ſeu Redemptor eſt appellatus, quamvis nec etiam ipſe Moſes pretium aliquod pro ea peragenda alicui ſolviſſet. Quemadmodum igitur Deus per Moſem, ſive ipſe Moſes, potentia & auctoritate ſibi aDeo tradita,non autem alicujus pretii ſolutione, Iſraëlis populum ex Pharaonis ſervitute liberavit, & tamen ejus rei nomine eum Redemiſſe, ſeu redemptor dicitur: ſic Chriſtus ſuprema potentia& authoritate ſibi à Deo conceſſa, nos ex peccati & mortis ſervitute nullo vero pretio alicui dato liberavit, quamvis nos Redemiſſe dicatur. Nam quâ ratione Deus populum Iſraëlis redemerit vide Exodi cap.6.6. Quid potuit autem ad redemptionē per Chriſtum factā explicandam magis accommodatum afferri, quam exemplū ſeu ſimilitudo redemptionis per Moſen factæ, cùm inter omnes conſtet, & ſacræ literæ a-

ræ apertè omnes teſtentur, Moſen Chriſti typum fuiſſe; inque ea populi Iſraëlitici redemptione redemptionem noſtram fuiſſe adumbratam? Sed præterea, ut verbi redimendi methaphoricam ſignificationem in Sacris literis ita frequentem eſſe agnoſcamus, ut propriæ locum obtinuerit, nulla alia re eſt opus, niſi Eſaiæ vaticinationem & Pſalmorum librum legere, ubi Deum Redimere de morte, Redimere de inimicis, Redimere animam ſeu vitam, Redimere denique aliquem ſimpliciter pro Liberare, nullo vero pretio interveniente, perſæpè ſcriptum eſt. Quinetiam in ipſo novo Teſtamento non pauci ſunt loci in quibus manifeſtè Redimendi autRedemptionis verbum,non propriè ſed tranſlatè accipitur. Sunt autem iſti: Luc. 2.38. & 21.28. & 24.21. Rom. 8.23. Eph. 4.30. & 5.16. Col. 4.5. Imò nullus fortaſſe eſt in toto eo libro locus, ubi propriè accipi debere manifeſtè conſtet. Adde, quòd Luc. cap. 1.68. apparet redemptionem per Chriſtum factam ipſi Deo tribui, iiſdem ferè verbis quibus Pſal 111.9. eidem redemptio per Moſen facta tribuitur. Ex quo ſatis intelligi poteſt, ipſi Deo ſive ejus juſtitiæ in hac redemptione noſtra nihil ſolutum fuiſſe. Nam quomodo Deus, ut apud Lucam eſt, hanc redemptionem feciſſet, ſi ipſi Deo ejúsve juſtitiæ, redemptionis noſtræ pretium ulla ex parte datum eſſet? Satis autem apparet, nos non ex Dei ejúsve juſtitię manibus, ſed aliunde redemptos eſſe, cum ſcriptū ſit, nos redemptos eſſe, vel ab iniquitatibus noſtris, Tit. 2.14. vel ex vana Luc. 1. 68.

converſatione noſtra, 1. Pet. 1. 18. vel ab execratione legis, Gal. 3. 13. Legis enim execratio eo in loco non divinam aliquam juſtitiam, cui omninò ſatisfaciendum eſſet, ſed pœnam ipſam in Lege ſtatutam ſignificat. Quo ſenſu etiam dictum eſt, nos per Chriſtum ab ira, ſive ſupplicio liberandos eſſe, Rom. 5. 9. 1. Theſſ. 1. 10. Quod cùm per ipſius Chriſti vitam, ut
Rom. 5. 10. Paulus eodem ad Rom. loco docet, fieri debeat, ſatis conſtat, nos non vi alicujus Chriſti ſatisfactionis ab æterna morte, quæ futura illa ira, ſive ſupplicium eſt, eximendos eſſe, ſed quia Chriſtus in æternum vivens poteſtate ſibi à Deo tradita nos qui ipſi obediverimus æternâ vitâ donabit. Itaque ut ad propoſitum revertamur, patet, tunc etiam cum de redemptione noſtra agitur, in Sacris literis Redimendi verbum metaphoricè ſumi, nec ulla ratione dici poſſe, propterea quòd Chriſtus nos redemerit, juſtitiæ divinæ quidquam à Chriſto pro nobis ſolutum fuiſſe. Adeò autem metaphoricus hic loquendi modus apud Sacros ſcriptores invaluit, ut quemadmodum Redimere pro Liberare nullo pretio cuiquam dato ſæpiſſimè dixere, quod prophani quoque ſcriptores fecerunt, ſic Vendere pro In ſervitutem tradere, nullo pretio à quoquam accepto nonnunquam dixerint, quod apud prophanos ſcriptores vix inveniri putaverim. Igitur Deut. cap. 32. 30. Hæc verba leguntur: *Quomodo perſequeretur unus mille, & duo fugarent decem millia, niſi Petra eorum vendidiſſet eos, & Jehova concluſiſſet eos?* Ubi perſpicuum eſt, Vendere nihil aliud eſſe,

quàm

quàm in ſervitutem tradere, ſive alicui ſubjicere. Eundem prorſus loquendi modum habes Judic. 2. 14. & cap. 3. 8. & cap. 4. 2. & idcircò vetus interpretes in duobus poſterioribus locis ſenſum magis quàm verba reddens, pro *vendidit*, quod ex Hebræo legi debet, *tradidit*, repoſuit. Et Eſaiæ cap. 50. 1. ſcriptum eſt, *Propter iniquitates veſtras venundati eſtis*, id eſt, alienæ poteſtati eſtis mancipati: Et Paulus quoque hac tranſlatione uſus, inquit: *Ego carnalis ſum, venundatus ſub peccatum*, Rom. 7. 14. q. d. Peccati ſervus ſum factus illique mancipatus: & hæc illa ſervitus atque captivitas eſt, ex qua nos Chriſtus redemit, in qua redemptione nullo vero pretio opus fuit, ut poſteà videbimus. Dicet enim aliquis, ſe quidem metaphoricam verbi Redimendi & Redemptionis ſignificationem in Sacris literis agnoſcere, verùm tamen Redemptionem noſtram, quam Scriptura commemorat, metaphoricam eſſe non poſſe, cùm diſertè alicubi pretii pro nobis dati mentio fiat, ut Matth. 20. 28. Mar. 10. 45. 1. Tim. 2. 6. In quibus locis ſcriptum eſt, Chriſtum dediſſe animam ſuam vel ſeipſum pretium redemptionis pro multis, ſive pro omnibus: Reſpondeo, eâdem ratione, quâ Redimendi & Redemptionis verbum metaphoricè ſumitur, Pretii quoque redemptionis verbum, metaphoricè ſumendum eſſe. Nam ſi quid in metaphorica redemptione intervenit, quod commodè pretio reſpondere queat, id redemptionis pretium meritò appellatur. Atq; tunc verè metaphora redemptionis ſuis partibus

bus conſtat, cum aliquid in ea intervenit, quod per tranſlationem decenter vero pretio in vera redemptione reſpondeat. Hoc autem de Chriſto ejusque anima in metaphorica (uti nos eam accipimus) redemptione noſtra dici poſſe apertè conſtabit, ſi ſingulas ejus partes explicuerimus, & quatenus veritati reſpondeat, oſtendemus. In vera hominis alicujus redemptione, captivus homo ſeu ſervus requiritur: hic in redemptione hac noſtra humanum genus, ſive nos ipſi ſumus. Requiritur & is à quo captivus detinetur, ſive cujus ſervus eſt: huic in redemptione noſtra plura reſpondent, peccatum, diabolus, mundus, & qui peccatum conſequitur, mortis æternæ reatus, ſeu mortis æternæ nobis decreta pœna; verùm nos ad unum peccatum omnia referemus. Requiritur præterea is qui redimat: hic autem eſt Deus, ſive Chriſtus per quem Deus nos redemit. Requiritur poſtremò pretium, hoc autem eſt ipſe Chriſtus, ſeu potiùs vita ejus. Nec aliud deſideratur, ut redemptio noſtra, non metaphorica, ſed vera ſit, niſi ut is, qui nos captivos detinebat, cuique ſerviebamus, pretium iſtud recipiat. Ridiculum eſt enim diabolum id pretium recepiſſe affirmare, etſi ita, Ambroſio & Auguſtino viſum fuerit, quorum ſententiam merito deridet Volfgandus Muſculus in ſuis locis communibus. Porrò, redemptio noſtra dupliciter conſideratur: vel quatenus ab ipſo peccato in hac vita eximimur, dum ſectatores bonorum operum efficimur: vel quatenus à morte peccati pœna liberamur. Utrumque primùm in Deo, eſt, qui nos

nos à tantis malis liberare & conſtituit & curat: deinde in nobis, qui hanc liberationem reipsâ adipiſcimur. Jam verò, ſicut in vera redemptione pretium non ejus causâ datur, qui redemptionem procurat, imò ipſe eſt qui illud dat, & idcircò liberationem, quatenus ea in ipſo eſt, non gignit, ſed ejus causâ ſolvitur, qui ſervus aut captivus eſt, & hac ratione is ex captivitate vel ſervitute eximitur, unde liberatio ex ejus parte gignitur & comparatur: ita Chriſtus ſive ejus anima in redemptione noſtra pretium fuit, non quo liberatio ex parte Dei, qui eam procuravit & ipſum dedit, comparetur nobis, ſed quo nos eam reipſâ conſequeremur. Siquidem Chriſtus ſive ejus vita per crucis mortem profuſa in cauſa eſt, ut utroque ex prædictis modis nos à peccato liberemur. Priore enim modo a peccato liberamur, id eſt, ſectatores bonorum operum efficimur, ſi Chriſti verbis fidem adhibeamus, qui nos pœnitentiam agere juſſit, & novos homines fieri cœleſtis hæreditatis præmio propoſito, ut videre eſt toto cap. 5. & 6. & 7. Matthæi & paſſim apud omnes Euangeliſtas. Atqui Chriſti reſurrectio potiſſima cauſa eſt, cur ejus verbis fidem adhibeamus, ad reſurrectionem verò non niſi per mortem pervenire is poterat; & ſimul ejus in cœlis gloria atque potentia ad quam, ita Deo ſtatuente, per violentam mortem eum perduci neceſſe erat. Luc, 24. 26. He. 2. 9. 10. De hac autem liberatione noſtra à peccato per Chriſti mortem loquitur Paulus, cum de Chriſto ait: *Qui dedit ſemteipſum pro nobis*

bis ut redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret ſibi populum peculiarem, ſectatorum bonorem operum. Tit.2. 14. Poſteriore autē modo à peccato liberamur, id eſt, à morte peccati pæna exſolvimur, primùm hîc ſpe, deinde re ipsa in cœlis, ubi ſcilicet immortalitate donabimur: tunc enim verè juſtificati & à peccatis noſtris abſoluti erimus, cùm ab æterna morte peccati pœna vindicati ad æternam vitam fuerimus in cælum tranſlati. Itaque dum hîc ſumus, ſpe potiùs quàm re ipsâ juſtificati dici poſſumus. Propterea Paulus ad Gal. cap. 5.5. ait. *Nos enim ſpiritu ex fide ſpem juſtitiæ exſpectamus:* & 2. Tim. 4. 8. affirmat, ſibi in illa die Coronam juſtitiæ à Domino datum iri. Coronam juſtitiæ appellat, non juſtitiæ ſuæ mercedem, ſed immortalitatis præmium: eſtque loquendi modus illi ſimilis, cum dicimus Coronam vitæ, ut apud Jacobum & Johannem legitur, Jacob. 1. 12. Apoc. 2. 10. & Coronam gloriæ, ut apud Petrum prioris epiſtolæ cap. 5.4. Alludit enim Paulus, ut ex antecedentibus verbis liquet, ad athletas, qui, ut idem alibi ait, perituram coronam accipiebant, ipſe verò æternam exſpectabat, id eſt immortalitatem, quam hîc juſtitiam nominat, 1. Cor. 9. 25. 26. Id quod Petrum quoque feciſſe crediderim, cum dixit, 2. Pet. 3. 13. nos ex Domini promiſſo novam terram novosque cœlos exſpectare, in quibus juſtitia habitat. Hanc igitur juſtitiam & à peccato liberationem, quâ univerſa noſtra ſalus continetur, ſive ſpe in hoc mundo, ſive reipsâ in futuro ſeculo habere, non ſine Chriſti morte nobis

nobis contingit. Firmam enim immortalitatis ſpem in nobis Chriſti reſurrectio, quæ ſine antecedente ejus morte eſſe non poteſt, potiſſimùm gignit, ut ex Petri verbis conſtat, epiſtolæ prioris cap. 1. v. 3.4. Nec verò, ut nobis certa ſpes immortalitatis fieret, ſatis fuiſſet Chriſtum ſimpliciter mori, ſed atrociſſimam mortem eum ſubire opus fuit, & per eam à Deo ad immortalitatem & gloriam perduci. *Decebat enim* (inquit divinus ille ſcriptor, Heb. 2. 10.) *eum propter quem ſunt omnia & per quem ſunt omnia, multos filios in gloriam adducendo, principem ſalutis eorum per paſſiones conſummare.* Afflictionum enim & calamitatum via eſt, per quam ad cœlorum regnum, & ad gloriam nos perducere decrevit Deus. Act. 14. 22. Rom. 8. 17. hac ſiquidem ratione potiſſimùm potentiam ſapientiamq; ſuam oſtendit atque illuſtrat. Quamobrem, ſi Chriſtus, qui nobis hanc Dei voluntatem patefecit, remque ſic prorſus ſe habere perſuadere voluit, & Dux præterea ad tantam ſalutem nobis datus fuit, eam viam ipſe prior ingreſſus non fuiſſet, unde poſteà in cœlum aſcenderet, quò nos ea ductura tandem eſſet compertum non habuiſſemus, nec ipſe verè Dux noſter dici potuiſſet. Oportuit igitur Chriſtum non ſolùm mori, ſed atrociſſima & ignominiæ plena morte occidi, ut inde poſtmodùm ad glorioſam æternamque vitam ac beatitatem perductus, nihil veri mali in ea via eſſe doceret, quam nobis præmonſtraverat; & deinceps nulla quantumvis atroci & infami morte à ſpe immortalitatis ii qui ipſi obediunt

dimoveri

Gal. 3. 13. dimoveri poſſent. Atque huc reſpiciens Paulus meritò dicere potuit, Chriſtum factum pro nobis execrationem, ab execratione Legis nos redemiſſe, non autem, ut multi ſunt arbitrati, quia illam execrationem Chriſtus ſubierit; quam nos propter peccata noſtra alioqui ſubituri eramus. Namque ut alibi dictum à nobis fuit, execratio quam nos ſubire ob peccata noſtra debebamus, æterna mors erat, quam minimè Chriſtus ſubiit. Ab execratione igitur Legis Chriſtus nos, execrationem Legis ipſe ſubeundo, redemit, non ſolùm, quatenus crucis morte, quam ipſe ſuſtinuit, quæ ex Lege execrabilis erat, factum eſt, ea ratione quâ mox explicabimus, ut à morte æterna, quam Legis dictum illud nobis minabatur, Deut. 27. 26. *Execrabilis quicunque non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, ut faciat ea*, liberandi ſumus; verùm etiam quatenus, cum Legis execrationem, quam ipſe ſubiit, ab eo deinde ſuperatam videmus, nihil eſt cur eam ampliùs horreamus, certò futurum jam perſpicientes, ut ſi ipſius veſtigia ſecuti, in ipſam inciderimus, nos quoque eam ſuperaturi ſimus. Cæterùm, ab ipſa æterna morte veram liberationem quomodo tandem reipsâ conſequi poteramus, niſi Chriſtus qui nos ab ea vindicaturus erat, ſupremam in cœlo & in terra poteſtatem adeptus eſſet? Hanc verò quomodo adipiſci poterat, niſi crucis morte præeunte, propter quam illum à Deo donatum eâ fuiſſe Sacræ literæ apertè teſtantur? Meritò igitur Paulus ad Rom. cap. 3. 24. 25. ſic ſcribit: *Juſtificati gratis per*

gratiam

gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ejus ſanguine, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium peccatorum. Hujus enim loci ſententia eſt, partam nobis eſſe juſtificationem, id eſt, à peccatis noſtris abſolutionem, eòque ab æterna morte liberationem ex Dei gratia per fidem quam Jeſu Chriſto adhibemus, in quo Deus adeò ſe placatum oſtendit: ut non modò per illum, ſecundùm antiqua promiſſa ſua, in quibus ſervandis juſtum ſe, id eſt, fidelem atque veracem oſtendit, nobis peccatorum remiſſionem obtulerit gratuitam, & ita per Chriſtum ex parte ſua nos à peccatis, id eſt, peccatorum pœna redemerit; ſed etiam, ut nos hujus redemptionis fructum perciperemus, ipſum Chriſtum ſanguinem ſuum fundere, & tanquam ſceleroſum aliquem ſupplicio affici voluerit. Sciendum eſt enim primùm, Propitiatorii ſive ἱλαστηρίου nomen, ad arcæ antiqui Fœderis operculum alludere, quod eo nomine appellabatur. Heb. 9. 5. quod non quidem placatum populo Deum reddebat, ſed placatum oſtendebat; & ex quo, populo Deus reſponſa dabat, id eſt, Moſi ea dicebat, quæ populo ſignificari volebat. Exo. 25. 21. 22. Quocirca decentiſſimè eſt hoc loco à Paulo Chriſtus eo nomine appellatus, quando non ſolum Deus in Chriſto nobis ſe placatiſſimum oſtendit; verùm etiam quidquid nos ſcire voluit per ipſum patefecit, unde fides noſtra, & proinde juſtificatio conſecuta. Quod ſi quis Paulum in Propitiatorii voce ac operculum illud arcæ ita appella-

Crellius pag. 105. 106. contra Grotium

pellatum alludere negaverit, non propterea Chriſtum nobis Deum placâſſe concludendum erit:: ſed tantummodò, ſi Deum reipsâ placatum experiri vellemus, & reipsâ ab æterna morte vindicari, neceſſe eſſe, ut Chriſto fidem habeamus, id eſt, Chriſto obediamus, quemadmodum alibi à nobis planiſſimum fiet. Deinde animadvertendum eſt, verba illa *in ejus ſanguine*, non cohærere in antecedente verbo *fidem*, quaſi de fide cum Chriſti ſanguine collocanda hoc loco agatur, ut Caſtellionis interpretatio habet, ſed per ſe ipſa ſtare, atque idem ſignificare, quod *interveniente ipſius ſanguine*, quemadmodum Eraſmus & Tigurini ea ſunt interpretati. Quamvis enim Chriſti ſanguis Deum ad redemptionem, id eſt, liberationem à peccatorum noſtrorum pœna nobis concedendam, movere non potuerit, intervenire tamen debuit, ut nos eo ad oblatam liberationem accipiendam moveremur, utque ipſius liberationis effectus ad nos reipsâ manare poſſet, iis rationibus & propter eas cauſas, quæ paulò ante à nobis expoſiti fuerunt. Hunc autem Pauli locum, alius ejusdem Apoſtoli mirificè illuſtrat, in quo de hac eàdem redemptione noſtra agitur, is eſt ad Coloſſ. cap. 1. 13. 14, 15. ſic enim ibi de Deo Patre ſcribit: *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filii ſui dilecti, in quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, qui eſt imago Dei inviſibilis* &c. Hîc primùm apparet, Deum fuiſſe, qui nos de poteſtate tenebrarum eripuit, iſt eſt, è Diaboli & peccati ſervitute libera-

Rom. 3. 25.

liberavit, unde meritò ab ipſo Deo redempti fuiſſe dici poſſumus, id eſt, Deus ipſe redemptionem noſtrã confeciſſe: Deinde, ſuperioris loci verba illa *in ejus ſanguine* ſanguinis Chriſti interventum in redemptione noſtra, ut diximus, ſignificare, non autem Chriſti ſanguinem eſſe, in quo fides noſtra collocetur. Eandem enim vim, ut alibi ſæpiſſimè, habere eo loco conſtat dictionem *In*, quam habet dictio *Per*, cùm hic dicatur *per ſanguinem ejus*, & nulla fidei fiat mentio. Quanquam, nec in vulgata editione Latina, nec in Syriaca, nec in complutenſi Græco codice, extant verba iſta, *Per ſanguinem ejuss* &c. Sed tamen ea omnes codices habent in loco perſimili, Eph. 1. 7. Poſtremò perſpicuum eſt ex hoc loco, id quod etiam ex loco ad Epheſios patet, nihil aliud eſſe redemptionem, quam in Chriſto per ejus ſanguinem habemus niſi remiſſionem peccatorum. Peccatorum autem remiſſio, ut ſupra viſum fuit, cum ſatisfactione nihil commune habet. Ex quo manifeſtum fit, veri pretii ſolutionem ullam in redemptione noſtra non interveniſſe, nec ut interveniret ullo modo fieri poſſe; & porrò Chriſti ſanguinem, quo interveniente redemptio noſtra facta eſt, etiamſi redemptionis pretium appellatur, non tamen verum pretium, ſed metaphoricum eſſe. Adde, quòd ea verba, quæ Paulus ſubjungit, *Qui eſt imago Dei inviſibilis*, &c, ſatis indicant, non alia ratione magis redemptionem iſtam nobis obtigiſſe, quam quòd per Chriſtum Dei voluntatem pleniſſimè aſſecuti fuerimus, atque ipſum Deum quaſi

Rom. 3. 25.

Col. 1. 15.

 præſen-

præſentem conſpexerimus, quod certè non ſine ſanguinis fuſione factum eſt: Eſt enim Chriſti ſanguis fuſus, æterni Fœderis ſanguis, Heb. 13. 20. quo omnes per ipſum Chriſtum divinæ factæ nobis promiſſiones confirmatæ & corroboratæ ſunt. Quod ſi quis intelligere velit, univerſam ſalutem nobis per Chriſtum partam, ipſamque redemptionem noſtram, patefactione conſilii Dei maximè niti, legat locum illũ ad Epheſios primo capite, qui huic reſpondet, & phraphraſis quædam hujus loci dici poteſt: ubi etiam, quemadmodum & hîc redemptionem hanc noſtram quæ in Chriſto eſt, nihil aliud quàm remiſſionem eſſe peccatorum comperiet. Reſpiciunt autem prædicti tres loci, in quibus de redemptione noſtra per Chriſti ſanguinem agitur, magis ad redemptionis ſpẽ, quàm ad ipſum redemptionis effectum. At locus eſt, in quo de ipſo redemptionis effectu, per Chriſti ſanguinem apertè agitur, & ratio, quâ per Chriſti ſanguinem reipsâ redempti ſimus, dilucidiùs exponitur. Is eſt in epiſtola ad Heb. cap. 9. 11. 12. ubi ſcriptum eſt: *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt, non hujus creationis; neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa* Chriſtus igitur per ſuum ſanguinem in cœlum ingreſſus eſt, ex quo æternam liberationem eſt adeptus, non ſolùm quia jam ipſe in æternum vivit; verùm etiam quia nos quoq; qui ipſius membra ſumus, eâ potentiâ quã ibi nactus eſt, à morte vindi-

Eph. 1. 3 4 5. 6. 7. 8 9 10. &c.

vindicabit, & unà ſecum in æternum vivere faciet. Quodnàm hîc (quæſo) veſtigium ſolutionis alicujus veri pretii apparet? vel quid opus fuit Chriſti ſanguinem verum pretium eſſe, cùm per ipſum, quatenus via ipſi Chriſto fuit in cælum ingrediendi, & immortalitatem ea ratione & ſibi & ſuis comparandi, à noſtrorum peccatorum pœnis redemptionem conſecuti ſimus? Metaphoricum igitur pretium in redemptione noſtra, ut ex jam allatis teſtimoniis patet, ſanguis Chriſti eſt. Quocirca, cum Chriſtus dixit, Matth. 20.28. daturum ſe animam ſuam redemptionis pretium pro multis, non id voluit dicere ſcilicet, ſe cuipiam qui nos captivos aut ſervos detineret, vitam ſuã ſoluturum, quâ tanquam juſto pretio noſtræ redemptionis accepto, ille nos liberos dimitteret: ſed ſe vitam ſuam daturum, id eſt ſe interfici permiſſurum, ut inde non ſecus ac ſoluto redemptionis pretio veris captivis evenire ſoleat; nos è ſpirituali peccati & mortis captivitate noſtram liberationem conſequeremur. Atque ob hanc ipſam cauſam Paulus dixit, Chriſtum Jeſum dediſſe ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus. 1. Tim. 2. 6. Ubi etiam quo ſenſu potiſſimùm id dixerit, ex verbis quæ ſtatim ſubjicit intelligi poteſt, *teſtimonium temporibus ſuis*. Dei enim de nobis ſervandis decretum per Chriſti mortem cumulatiſſimè teſtatum videmus, unde factum eſt, ut ei obediverimus, atque ea ratione reipsâ ex peccati ſervitute, ſpe autem à peccati pœna redempti & liberati ſimus. Hæc autem pretii redemptionis

metaphora, alibi etiam in Sacra ſcriptura reperitur, ut Prov. 13. 8. *Redemptionis pretium* (*Copher* enim eſt in Hebræo, & ſeptuaginta habent λύτρον) *animæ viri, divitiæ ejus*. Nam quacunque ratione hæc verba interpreteris, neceſſe eſt fateri, metaphoricè hoc loco Redemptionis pretii nomen ſumi. Sed objiciet fortaſſe quiſpiam: Si Chriſti ſanguis ſeu mors pretium redemptionis noſtræ idcircò dicitur, quia ſanguine Chriſti interveniente nos à peccato redempti ſumus, cur non potiùs ejus reſurrectio redemptionis pretium dicta eſt, quæ (ut nobis quidem placet) multò majorem vim in nobis à peccato redimendis habet? Facilis eſt reſponſio. Non enim eam proportionem vel ſimilitudinem habet cum vero pretio Chriſti reſurrectio, quam ſanguis ejus & mors. Chriſtus enim reſurgendo nihil de ſuo dat, imò plurimum accipit: ſed moriendo vitam ſuam profundit. Itaque, quemadmodum ſi quis amicum ex hoſtium manibus ipſis hoſtibus occiſis liberâſſet, interim tamen cum hoſtibus confligendo non levia vulnera accepiſſet, non hoſtium interitum, ſed ſuum ſanguinem pro amico liberando ſe impendiſſe diceret, quamvis vulnera illa per ſe potiùs impediviſſent, quàm adjuviſſent liberationem: ſic Chriſtus, quoniam dum nos é Diaboli manibus liberat, ſanguinem ſuum interim fundit, non Diaboli ejusque imperii abolitionem, quæ revera ejus reſurrectionis vi facta eſt, ſed ſuum ſanguinem pro nobis impendiſſe dicitur, & ſuo ſanguine nos redemiſſe, quamvis ſanguis ipſe ſeu mors per ſe, non con-

ſecuta

ſecuta reſurrectione, teſte Paulo 1. Cor. 15. 17. ad nos à peccatis liberandos, nullam vim habitura fuiſſet. Mortis autem & ſanguinis Chriſti in liberatione noſtra peragenda, idcircò tàm frequenter in Sacris literis mentio fit, ut Dei ipſiusq; Chriſti charitas erga nos, nobis quàm maximè commendetur, quæ ſumma & admirabilis ea in re conſpecta fuit: non autem ut nos alicujus occultæ virtutis, quæ ex morte & ſanguine Chriſti fluxerit, admoneamur, qualis ea eſſet, quòd ejus ſanguinis fuſione id omne divinæ juſtitiæ perſolutum fuiſſet, quòd nos propter peccata noſtra illi debebamus: quod tamen, ut ſupra docuimus, nulla ratione fieri potuit, nec ſi factum eſſet, id nobis quantumvis ea de re monitis ullo modo nec ulla ex parte conſtare poſſet. Prætereà mortis & ſanguinis Chriſti tanquam pretii redemptionis noſtræ fieri mentio ſolet, ut ſciamus, nos non ampliùs noſtros eſſe, ſed ejus qui nos redemit, & ſibi aſſeruit. Is autem Chriſtus quidem ipſe eſt, ſed Deus quoque, imò is præcipuè. Deus enim per Chriſtum & Chriſti ſanguine nos emit, & eccleſiam acquiſivit. Actor. 20. 28. Apoc. 5. 9. Prottereà Petrus eos, ad quos ſcribit, vocat populum acquiſitionis. Idem ſimiliter ait, futuros inter eos, ad quos ſcribebat, falſos Doctores, qui negent herum, qui illos emit. Herum autem iſtum Deum eſſe docet Judas, qui epiſtolam ſuam ex Petri epiſtola illa poſteriore quodammodo deſcribens, hunc locũ ſic effert, v. 4. *Et ſolum herum Deum, ac Dominum Jeſum Chriſtum negantes.* Ex quibus locis apertè conſtat,

1. Pet. 2. 9.
2. Pet. 2. 1.
Jud. v. 4.

ſtat,

ſtat, Deum ſibi nos per Chriſti ſanguinem acquiſiviſſe, tantum abeſt, quemadmodum ante diximus, ut ex Dei illisvè juſtitiæ manibus, cui ſatisfieri oporteret, Chriſti ſanguine redempti ſimus. Cæterùm, quòd idcircò ampliùs noſtri non ſimus, quia pretio à Deo & Chriſto empti ſumus, & ob hanc ipſam cauſam hominum ſervi fieri non debemus, monemur diſertè à Paulo 1. Cor. 6. 19. 20. & cap. 7. 22. 23. Quapropter non ſine maxima cauſa monet Petrus 1. Pet. 1. 18. nos non corruptibilibus auro vel argento redemptos eſſe ex vana converſatione noſtra à patribus tradita, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati & incontaminati Chriſti; & propterea ante dixerat, debere nos tempore incolatûs noſtri in timore converſari, præſertim cùm nobis res cum eo Patre ac Domino ſit, qui ſine acceptione perſonarum, ſecundùm opus uniuſcujuſque judicat. Jubet igitur Petrus, ut poſtquàm tanto precio ex iniquitatibus & ignorantiis noſtris redempti ſumus, ob eamque rem ei, qui pro nobis id pretium dedit, tantum debemus, quantum ſolvendo non ſumus, eidem illi, qui alioquin iniquitatem abominatur & punit, maximo cum timore perpetuò obediamus. Mortis igitur Chriſti, ut dictum eſt, ejuſque tanquam pretii quo redempti ſimus, in ſalute noſtra explicanda ideò fit præcipua ac ferè perpetua mentio, quia nihil Chriſtus fecit, nihil ipſe Deus, quo magis ſuam charitatem nobis teſtatam reliquerit, noſque ſibi arctiùs devinxerit.

Hactenus de redemptione noſtra per Chriſtum

ſtum diſſerere libuit, atque niſi vehementer fallimur, ſatis evidenter oſtendere, fœdè illos omnes lapſos fuiſſe, qui inde ſolutionem aliquam veri pretii per ſanguinem ſeu mortem Chriſti factam ſtabilire ſunt conati: unde loci illius & ſententiæ Paulinæ, quòd Chriſtus nobis à Deo factus fuerit redemptio, longè aliam ſententiam eſſe, quàm vulgò exiſtimetur, conſtare arbitramur. Quo de loco, quòd is à nobis diligentiùs, cum de imputativa juſtitia agemus, examinandus ſit, nihil aliud in præſentia dicemus. Unum autem adhuc ſupereſt quod moneamus, apud Hebræos vocem eſſe *Copher*, quæ non minùs Expiationem quam Redemptionem ſignificat: Ex quo fieri potuit, ut Apoſtoli in locis ſupra expoſitis vocabulo ἀπολυτρώσεως, quod propriè Redemptionem ſignificat, pro Expiatione abuſi fuerint, quod ſanè ſuadere videtur ubique mentio ſanguinis, qui non redemptionibus, ſed expiationibus propriè convenit. Unus quidem eſt locus apud Auctorem epiſtolæ ad Hebræos, ubi vocabulum ἀπολύτρωσις omninò Expiationem ſignificare videtur, quemadmodum illud reddidit Caſtellio, qui alibi eam vocem Liberationem interpretatur, ut ab initio diximus: Eſt autem is locus in ea Epiſtola cap. 9. 15. Quòd ſi in aliis illis locis ἀπολύτρωσιν ſimiliter Expiationem ſignificare velimus, pro eorum explanatione ea conſulenda erunt, quæ à nobis, in poſtremo horum pro ſatisfactione teſtimoniorum capite, diſputabuntur.

1.Cor.1.30.

REFUT. CAP. XIX.

Ad teſtimonia, quæ pro Chriſti ſatisfactione afferri poſſent reſponſio: & primum ad ea, in quibus de redemptione noſtra per ipſum facta diſſeritur.

Hactenus actoris partes ſuſtinuit Prælector, multaſque probationes attulit ad dogma ſatisfactionis ſubvertendum. Pleraſque ex humanæ rationis lacunis hauſit, nullas fere ex Script. fontibus deduxit, contra quam hominem Chriſtianum ac Theologum in altiſſimis fidei myſteriis decet. Nunc reſpondentis partes ſuſcepturus, ut profitetur, parat ſe ad convellendum ea omnia teſtimonia, quæ ex ſacris literis, pro ea ſatisfactione confirmandâ adferri ſolent. Ea primo hujus cap. ſegmento in certas claſſes digerit. Primum caput facit eorum, in quibus redemptionis per Chriſtum, & pretii in ſalute noſtrâ procuranda mentio fit.

Redimere redimi

In duobus tota inprimis hujus cap. diſputatio verſatur. In conſideratione vocum λυτρῦν λυτρῦσθαι ἀπολυτρῦν. Secundò in conſideratione vocis λύτρυ, hæc duo ſunt, quibus prolixâ diſputatione hoc caput inſumitur. Contendit Socinus prædictas voces metaphoricè accipiendas eſſe: propriam verborum λυτρῦν λυτρῦσθαι ἀπολυτρῦν notionem ac ſignificationem eſſe, captivum aut ſervum aliquem, ex illius manibus, qui eum captivum detinet, cuive ſervit, vero pretio illi dato liberare. Verum deſertâ ſignificatione

ficatione propriâ ad metaphoram confugit. Hoc doctrinæ totius fundus hic eſt. Sacræ quidem literę iſtiuſmodi verbis, ſępe in impropriâ & metaphoricâ ſignificatione uti ſolent, inde tamen non conſequitur redemptionẽ noſtram per Chriſtum, metaphoricè ſeu nullo vero pretio interveniente factam eſſe. Erroris patrocinium ex Caſtellionis verſione quærit, quaſi ille verbis liberandi & liberationis, pro verbis redimendi & redẽptionis uſus fuerit, ut tacitè ſubverteret ſententiã de redemptione per verum pretium. Calumniam Caſtellioni Socinus ſtruit ac ſi partes ejus in hoc dogmate ſecutus eſſet. Quamquam cauſæ non eſt, ex multorum judicio, cur multùm authoritate verſionis Sebaſtiani Caſtellionis moveamur: multa enim ſunt in eâ, in quibus ſibi plus ſatis indulſiſſe exiſtimatur. Multos congerit noſter V. Teſtam. locos, pro metaphoricâ prædictorum verborum ſignificatione, allatis eorum locorum teſtimoniis, in quibus verbis Padahant Gaal legitur, quæ propriè accepta veram redemptionem ſonant. Verba autem illa Græca iis ſunt ἰσοδυναμοῦντα in Novo Teſtam. At inde ut dixi non efficitur, redemptionem noſtram per Chriſtum metaphoricè, ſive non interveniente vero pretio contigiſſe. Nam etſi compluribus in locis redemptio qualemcunque liberationem ſignificet, nihilominus etiam liberationem propriè ſumptam quoque non infrequenter, ſive redemptionem quæ pretio dato fit Exod. 13. v. 13. *ſed omnem aſinum aperientem vulvam parvâ pecude redimito; quod ſi non redimas, decollatis ipſum,*

æquipollentia.

ſum, omnem verò primogenitum humanum ex filijs tuis redimito. Lex illa redemptionis repetitur eodem libro cap. 34. com. 20. Levit. 25. com. 25. *quum facultatibus attenuatus erit frater tuus, ita ut vendat de poſſeſſione ſuâ; tunc accedens vindex ejus, qui propinquus eſt ei, redimet rem venditam à fratre ſuo.* Ibidem amplius eodem ſenſu v. 29. 30, aliis qui ſequuntur Levit. 27. com. 27. aliis ibidem. Num. 3. 48. *& dabis pecuniam illam Aharoni & filiis ejus pecuniam redemptorum qui redundaverint inter illos.* Num. 18. com. 15. 16. 17. Nehem. 5. com. 5. Jam verò ut caro cognatorum noſtrorum caro noſtra eſt, ſicut filii eorum filii noſtri ſunt. *Ecce autem nos ſubijcimus filios noſtros & filias noſtras in ſervos; ſuntque de filiabus noſtris quædam ſubjectæ, quarum redemtio non eſt in facultate manuum noſtrarum, quum agri noſtri & vineæ noſtræ penes alios ſunt.* Uſus ergo vocum λυτρῶν &c. tam ſignificationem propriam quàm impropriam admittit. Scribit Socinus in novi Fœderis libris, in locis non controverſis, vocem redemptionis, ſimplicem liberationem notare, nullumque inveniri gloriatur lib. 2. cap. imo de Servat. quod hic dubitanter aſſerit, loquens de non controverſis, in quo de veri alicujus pretii ſolutione ſeu de ſatisfactione aliquâ evidenter agatur. Eſto, notio tamen vocis redimendi propria, verbis æquipollentibus ſignificata etiam in Novo Teſtamento legitur Mat. 16. com. 16. ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς. Id quo dato aliquid redimitur, aut quod pro alio datur in permutationem. Permutatio autem priſcis temporibus

pro

pro emptione & venditione fuit. Quod verò vox redemptionis extra materiam controverſam, in propriâ ſignificatione non ita occurrat apud Scriptores N. Teſtam., non eſt quod metaphoricam hanc redemptionis ſignificationem propriæ præferant, aut ab eâ abhorreant, ſed quod in iſtiuſmodi argumentum non inciderint, ad cujus declarationem, proprium vocis uſum adhiberi neceſſarium fuerit. Jam verò propriam ἀπολυτρώσεως ſignificationem in hoc argumento redemptionis noſtræ retinendam eſſe probatur. 1. Redemptio noſtra per Chriſtum interpretanda eſt convenienter aliis ejuſdem argumenti locis, in quibus pro nobis factus execratio dicitur, atque ita nos ab execratione redemiſſe. In quibus dicitur placâſſe reconciliâſſe expiaſſe &c. ex iſtis omnibus aliisque dogma ſatisfactionis deducitur, ut hic ſuppono, ergo ex redemptione idem deducendum, conſequenter intelligenda propriè. 2. niſi propria ſignificatio retineatur, cauſa non erit, cur redemptio noſtra morti & ſanguini potius tribuatur, quam doctrinæ miraculis reſurrectioni aſcenſioni in cœlos, regiæ poteſtati, extremo judicio, & æternæ vitæ promiſſioni reſipiſcentibus factæ. Etenim doctrina, miracula, reſurrectio, aſcenſio in cœlos, ſumma Chriſti poteſtas, & reliqua enarrata tam ad liberationem noſtram efficiendam conducunt, quam ipſa mors Chriſti redemptione accepta in ſenſu metaphorico Socini. 3. ſi admittatur Socini improprietas, tam dici poterit, nos pœnitentiâ fide & bonis operibus redimi, quam ſanguine & morte

redemtionis

morte Chriſti redemti dicimur, & qui ad Deum convertuntur, dicendi erunt ſeipſos dare in redemptionem: qui graviſſimè affliguntur, & ſanguinem ſuum fundunt, ſeipſos non minus, imò magis quàm Chriſtus, redimere à transgreſſionibus ſuis. In Socini ſententiâ redemti dicimur per ſanguinem Chriſti, quia non redimimur niſi interventu ſanguinis; aut quia ſanguis promiſſiones de remiſſione peccatorum & æternâ vitâ ſancit & confirmat: aut quia ſanguis ille ad ſpem illorum bonorum in animis noſtris defigendam conducit, hominesque ad fidem & pænitentiam adducit, Chriſtoque viam fecit, ad ſupremam illam in cœlis poteſtatem, unde liberatio & redemprio ab æternâ morte reipſa nobis obtingit. Hinc manifeſtum eſſe poteſt, cum pœnitentia & fides interveniant, divinas illas promiſſiones confirment, & certitudinem ſpei animis ingenerent, aditumq; fidelibus faciant ad æternam gloriæ coronam; ipſique fidei & reſipiſcentiæ promiſſa ſit redemptio à reatu peccati, nihil magis vero conſentaneum erit, quam nos in nobis ipſis habere redemptionem noſtram; quæ cum abſurda ſint, & ſtylo ſacrarum literarum repugnantia, neceſſe eſt etiam, hanc Socini ſententiam de redemtione à Sacrarum literarum ſenſu alienam eſſe.

Dum Socinus rationem ſuam, à metaphoricâ ſignificatione redemptionis ſumptam, multis amplificat, urget imprimis. *redemtionem populi per Moſem factam*, quæ redemtio inſignis typus fuit redemtionis noſtræ per Chriſtum.

Interea

Interea tamen argumentum hoc à comparatione minimè ſtringere videbitur, niſi probetur comparationem in modo liberandi etiam faciendam eſſe. Econtra manifeſtum hac in re diſſimilitudinem inter Moſen & Chriſtum ingerunt Scrip. Moſis redemtionem pretii ſolutione factam nuſquam docent, Chriſti verò pretii ſolutione factam eſſe. Contra veritatem ergo in ſacris admodum teſtatam concludere tentabit dicens, Moſes nos non redemit pretii ſolutione, ergo nec Chriſtus. Neque enim magis ſequitur Chriſtum nos vero pretio non redemiſſe, quia Moſes id non fecit, quam Chriſtum ad ſupremam potentiam & authoritatem ſibi à Deo conceſſam, per ſanguinem & reſurrectionem ex mortuis non perveniſſe, quia Moſes potentiam & authoritatem, ad populum ex ſervitute liberandum, ſine ſudore & ſanguine accepit; hac in re nihilominus Chriſtus Moſi àSocino comparatur, in inſtitutâ hacMoſis cum Chriſto collatione. Si omnino urgeatur ſimilitudo in quæſtione controversâ, ea in eo ſtatui poteſt, quod quemadmodum Moſes fideliſſimâ demandati muneris executione, ſe totum redemptioni populi impendit; ita Chriſtum oblatione ſui, in verum redemtionis pretium nos liberaſſe. Nam ut defenſor Socin. Crell. pag. 413. reſp. ſuæ ad librum Hug. Grotii rectè ait. *Non eſt neceſſe, ſi aliquâ ex parte, quod ad modum attinet, Chriſto cum Moſe ſimilitudo intercedit, protinus in omnibus, quæ ad modum liberandi pertinent, ſimilitudinem inter utrumque intercedere.* ibid. *internecioni iſti hominum per Moſen*

ſen facta, aliquid in redemptione noſtrâ per analogiam reſpondet; nam ut idem prorſus fecerit Redemptor noſter, quod Moſis ſimilitudo non exigit. Sentit prædictus defenſor, Moſis cum Chriſto inſtitutam collationem, eatenus utrinque concedi, ut controverſa pretii veri ſolutio, ex iis negativè decidi poſſit & debeat. Has comparationis partes ut in conceſſo poſitas, dicto mox loco recenſet *Quemadmodum inquit Moſes Dei juſſu & auctoritate populum Iſraeliticum redemit ita Chriſtus Dei juſſu & auctoritate nos redemit: quemadmodũ Moſes populum Iſraeliticum non redemit ex manibus Dei, ejusve ſervitute, ſed ex ſervitute Ægyptiacâ & de manu Pharaonis: ita Chriſtus non ex ſervitute Dei, ſed ex ſervitute peccati & mortis: quemadmodum Moſes populum Iſraeliticum Deo aſſeruit & ut ipſius cultui in poſterum vacaret effecit; ita Chriſtus etiam nos Deo emit ac vindicavit & ut ei ſerviremus effecit. His inquam poſitis neceſſe eſt ut etiam concedas, quemadmodum nullum pretium Moſes Deo ſolvit, nec ei ullo pacto ſatisfecit, ita nec Chriſtum id feciſſe: cum ut antea diximus, non ei, cujus juſſu & auctoritate ſit redemptio, & cui is, qui redimitur hac ratione vindicatur, ſed ei, è cujus manibus quiſpiam redimitur, pretium ſit ſolvendum.* Hæc illi. Quod ad primum comparationis membrum, Chriſtus Dei juſſu & autoritate nos redemit: ad id pretii ſolutionem non infringit. Qui detinent captivos nihil magis quandoque in votis habent, quam ut captivi redimantur, pretio redemtionis dato. Quod autem quis fieri cupit, ſi potentiâ & authoritate valeat, pro ratione potentiæ

potentię& authoritatis ſuæ effectũ dabit, ſicut ejus rei, non raro hodiernis temporibus documenta exhibentur, cum pacta ineuntur de redimendis bello captis. Ad ſecundum comparationis membrũ quod attinet, ajo pro conceſſo, ſumi, quod non eſt in conceſſo, Chriſtum nos è Dei manibus non redemiſſe. Quin etiam cum ſententia ſatisfactionis pretiũ redemtionis, pro peccatis noſtris Deo perſolutum profitetur, ſatis innuit ſe oppoſitum ejus, quod Crell. in conceſſo ponit, tueri. Deus jus captivos tenebat ſub ſervitute peccati & mortis, diobolus peccatum mors tortores ſunt, in quorũ manus peccatores tradit juſtiſſimus Dominus & peccati vindex, ut juſtam ejus voluntatẽ exequantur Mat. 18. co. 34. *Tunc iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus uſquequo redderet id omne quod ſibi debebatur. Concluſit Scriptura omnia ſub peccato* Gal. 3. com. 22. concluſit ergo ſub ſervitute peccati & mortis: Scripturam verò concluſiſſe ſub illâ ſervitute, quid aliud quam Deum hominem, peccatorem, ſub ſervitute peccati & mortis concluſiſſe. Cujus eſt illa execratio legis, à quâ nos redemit Chriſtus, & ſub quâ ſunt conſtituti qui ex operibus legis ſunt, ut teſtatur Paulus Gal. 3. com. 10? Annon illa procedet ex ore ſanctiſſimi judicis Dei peccatores execrantis. *Ne regredientes* inquit Paulus Gal. 5. v. 1. *implicamini ſervitutis jugo*, jugum verò illud ſervitutis lex eſt, Deum verò humanis cervicibus jugum illud impoſuiſſe, à quo nos liberavit Chriſtus, res eſt per ſe manifeſta. Dices, ergo ex ſervitute Dei à Chriſto redempti ſumus:

contra verò teſtatur Scriptura, Chriſtum nos Deo emiſſe ac vindicaſſe. Ad hoc reſpondetur utrumque verum eſſe, nos Chriſti ſanguine, e Dei manu redemptos eſſe, & Dei factos eſſe. Beneficio redemtionis manumittimur, & Deo mancipamur: ſub peccato & morte Dei. Ut judicis miniſtris, ſunt peccatores, ut diabolus & alii Dei hoſtes; quia ab efficaci Dei providentiâ ita reguntur, ut cogantur ſemper divinæ gloriæ inſervire, etiam cum ſanctiſſimis Dei præceptis maximè obluctantur, quemadmodum malefici, qui à judicibus ad pœnas & operas quasdem condemnantur, eas ſubeundo judicibus inſervire coguntur. Ex hac ſervitute Dei, ut juſtiſſimi Domini & judicis manumiſſi, Deo ut benigniſſimo numini & Patri addicimur in ſervitutem, ut ei mancipati, *fructum habeamus in ſanctimonium, finem autem æternam vitam*. Rom. 6. com. 22. Utrumque vergo verum eſt, Chriſtum nos à Deo redemiſſe, & nos Deo redemiſſe. Nam ut bene doctiſſim. Pareus reſp. ad dubium 10. in 3. ad Rom. *Habet ſe noſtra captivitas. non, ut cum quis bello captus, detinetur ab hoſte, à cujus poteſtate per redemtionem alienatur, qui redimitur, ſed ut, cum ſubditus reus læſæ Majeſtatis, à Rege traditur, lectori incarcerandus, aut morte mulctandus, niſi per ſatisfactionem fiat redemptio, quæ cum ſit ſubditi liberatio eſt ejusdem cum Rege reconciliatio.* Quapropter verum quidem eſt, quod tertio loco à Crellio ponitur, in comparatione Moſis & Chriſti, Chriſti ſanguine, Deo nos mancipatos eſſe, non ſequitur tamen ex eo, Deo pretium redemtionis

nis non ſolutum. Pretium rem acquirenti non ſolvi, ſed alienanti verum quidem eſt, cum diſtinguuntur ſuppoſitis: acquirentis rei dominium eſt procurare pretium alienantis accipere. At Deus in negotio redemtionis, ut jam dictum eſt, perſonam acquirentis & alienantis ſuſtinet, quemadmodum in redemptione civili, ut allato mox exemplo demonſtratum eſt, alienationem & acquiſitionem unius & ejusdem ſuppoſiti eſſe poſſe. Quin etiam hoc abſonum omnino adverſariis videri non debet, cum confiteantur, Chriſtum nos à mortis ſervitute redemiſſe, cui ex dei decreto & ſanctione obnoxii tenebamnr, redemit ergo nos à ſeipſo Deus. Atque hæc reſponſione & argumento Socini, quod ſacræ literæ verbis λυτρῶν λυτρῶσθαι ἀπολυτρῶν in metaphoricâ ſignificatione utantur.

Nihilo validius eſt, quod ſecundò adfert, contra redemtionem quâ Deo ſatisfactum eſt, *Deum feciſſe hanc redemptionem per Chriſtum; ipſi Deo ſive ejus juſtitiæ ergo, in hac redemtione nihil ſolutum eſſe.* Solutio patere poteſt ex jam dictis, & ex iis quæ ſupra ad cap. 18. allata ſunt, ubi ſimiles adverſarii argumentationes leguntur, neminem ſibi ſatisfacere Quamquam etiam videre non poſſum, cur tantopere perſpicaci Socino ἀκατάληπτον videatur Redemtionem eſſe Deum, & Deo in redemtione noſtrâ aliquid ſolutum eſſe, cum ex Crellii defenſione ac declaratione ſententiæ Socini accipiamus, *Chriſtum moviße Deum morte ſuâ, ad peccatorum veniam nobis concedendum.* Item ibidem, *Deum voluiſſe mortem Chriſti intervenire ad liberationem*

incompre-henſibile

Crell. pag. 402.

noſtram penitus abſolvendam. Capi ergo ab ipſo potuit, Deum redemtionem feciſſe, & interea voluiſſe,à Filio ſuo,acerbiſſimæ & difficillimæ mortis obedientiam perſolvi, ut redemtio noſtra conſequeretur. Fecit ergo Deus redemtionem noſtram, & multa ſibi fieri voluit ut nos redimeret: hoc ipſum ergo,quod Deus redemtionem noſtram fecerit, Deo nullateuus vero pretio ſolutum eſſe, minimè probat.

Quod ſubjicit tertio loco, *nos non ex Dei ejusvæ juſtitiæ manibus redemptos eſſe*, diſſolvitur per ea, qnæ ad comparationem Moſis & Chriſti, allata ſunt oppoſitum hujus aſſertionis colligitur ex teſtimonio Gal.3.com. 13.&ex ipſo Socini ejus loci interpretamento. Execrationem dicit eſſe pœnam ipſam in lege ſtatutam, pœna illa ſtatuta à legislatore Deo, & eſt Dei ſupremi Domini & judicis juſtiſſima ſanctio, ferre pœnam legis, eſt legislatori,quatenus legem ſuam ſanctione pœnæ tales tulit, ſatisfacere, Chriſtus hæc pœna & execratio legis factus eſt;legislatori Deo ſic ſatisfecit,& ex Dei manibus nos liberavit, quatenus nos liberos reddidit à ſententiâ legis condemnatoriâ; nam quid eſt vox legis, niſi vox Dei: lex execrans, niſi Deus execrans.

Subdit *quemadmodum vox redimere metaphoricè uſurpatur,ita & vendere,pro in ſervitutem tradere, nullo à quoquam pretio accepto.* At cum metaphoricus uſus vocis redimendi non negetur, nihil juvare poteſt illud adverſarium. Neque enim eo evincitur, in materiâ controverſâ, metaphoricè uſurpandam eſſe vocem redi-

redimendi. Interea ſicut in hac venditione intervenit peccatum ejus qui venditur, per quod peccatum ita læditur Deus, atque illi injuria infertur, quæ traditione illâ in poteſtatem peccati reſarcitur, ſic nos ex ſervitute peccati non manumittimur, niſi juſtitiæ divinæ ſatisfiat. Utrobique compenſatio contingit. Analogia ergo, quæ inter venditionem illam, & redemtionem noſtram intercedit, ſententiam de vero pretio redemtionis non labefactat, ſed confirmat potius.

Altera apud adverſarium ſequitur diſputatio de voce λύτρȣ propoſitis variis ad redemtionis opus requiſitis & concurentibus, confitetur, nihil aliud deſiderari, ut redemtio noſtra, non metaphorica ſed vera ſit, niſi ut is qui nos captivos detinebat, cuique ſerviebamus, pretium iſtud recipiat. At pretium illud oblatum Deo & à Deo receptum, non à peccato diabolo & morte, qui tantum tortores & miniſtri, quibus rex & judex Deus peccatores tradit, itaq; cum Deo negotium nobis; Domino & judici, non miniſtris juſtitiæ redemtionis pretium pendendum fuit; ita in civili & humanâ etiam redemtione contingere videmus, pretium non perſolvi apparitoribus & miniſtris, ſed eis penes quos ſuperior in captivos poteſtas & dominatio eſt. Jam vero pretium illud noſtræ liberationis à Deo receptum eſſe probatur. 1. pretium illud eſt cruenta paſſio, & laborioſa illa crucis obedientia; illæ res à Deo receptæ ſunt eo modo, quo aliquid à Deo voluntate, quâ ſe extendit ad habendum recipi poteſt, totum

enim illud continet opus obedientiæ Deo acceptiſſimum. 2. Illud quod eſt traditum à Chriſto in oblationem ac victimam, Deo in odorem bonæ fragrantiæ, illud receptum eſt à Deo. Atqui hoc pretium à Chriſto traditum in oblationem ac victimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ, ergo illud receptum eſt à Deo. Minor firmatur, hoc pretium à Chriſto traditum, quia traditio ſui ipſius, eſt pretij illius datio: nam ut Socinus hoc loco ait, *hoc pretium eſt Chriſtus ſeu potius vita ejus*; traditio ergo ſui ipſius eſt datio pretij, Chriſtus ita traditus eſt oblatio ac victima in odorem bonæ fragrantiæ, quamquam formaliter diſtinguantur pretium ac victima, in re tamen idem ſunt. Cum ergo pretium, ſub ratione oblationis & victimę ſit Deo in odorem bonæ fragrantiæ; neceſſe eſt victimam ſub ratione pretij etiam ſimilem & ſibi reſpondentem efficientiam habere, ac proinde à Deo receptum eſſe pretium: conſequenter ex poſitione Socini, non metaphoricum ſed verum pretium eſſe, quod amplius probatur, λύτρον redemtionis pretium, vel pretiũ redemti captivi eſt, quod pro redemtione detinenti rependitur Plut in Fabio ἀπέπεμψα τὰ λύτρα τῷ Αννίβᾳ καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀπέλαβε uſus ejus vocis in methaphoricâ & impropriâ ſignificatione non docetur ab adverſariis, ex ullo aut ſacro aut exotico ſcriptore. Unum adfert locum Socin: in ſequentibus hujus cap. 16. eſt Prov. 13. com. 8. qui etiam & quidem ſolus citatur ab eo lib. 2. de ſervat. cap. 2. hîc ex interpretatione Helleniſtarum legitur λύτρον ἀνδρὸς,

Miſit redemtionis pretium Atannibari, & captivos recipit.

Pretium a-

δρὸς ψυχῆς ὁ ἴδιος πλοῦτος, ſed quomodo tranſlatitiam ſignificationem hinc evincere poteſt, quamquam dicat quacunque ratione hæc verba interpreteris, neceſſe eſſe fateri metaphoricè hoc loco redemtionis pretij nomen ſumi. *animæ viri propriæ ejus divitiæ.* Vana aſſertio Joannes Mercerus, vir literatus, in commentariis ad hunc locum, ita eum reddidit, ut propriam pretii interpretationē nullatenus excludat. Verba ejus ſunt. *Verùm hîc Paulo alio ſenſu dicit redemtionem, id eſt* λύτρον *animæ, id eſt vitæ cujusque eſſe ejus divitias, ut ſcilicet incommoditatem divitum oſtendat, quod eos ipſorum divitiæ eò ſæpe adigant diſcriminis, ut eos cogantur ad ſeſe redimendos dare: quum pauper non audiat increpationē ſeu objurgationem, & facile minas contemnat, nec ob ſuas opes in diſcrimine vitæ ſit, in periculum incidat. Emungi divites ſolent non pauperes, qui nihil habent aut parum admodum, extra invidiam hominum ſunt, divites ſæpe periclitantur.* Hæc ille, quæ interpretatio ut contextui conſentanea ſuſtineri poteſt. Opponit Crellius pag. 400. 21. *Neque enim divitiæ hoc loco conſiderantur, quatenus alicui dantur, ad eum placandum quemadmodum Grotius arbitratur, ſed quatenus earum opinio terret alios, ne nocere velint. Ratio enim redditur ejus, quod ſuperiore verſiculo dictum eſt, quoſdam, cum pauperes ſint, divites ſe ſimulare. Ratio verò non eſt: quia divites habeant quo placent iratum (quid enim hoc prodeſt iis, qui reipſa ſunt pauperes, licet divites ſe ſimulent) ſed quod opinio hæc divitiarum efficere poſſit apud alios, ne illis nocere velint. Non enim facile audemus eos, quos divites eſſe arbitramur offendere. Ex*

quo apparet λύτρον hîc in eum ſenſum accipi, qui nullam ſatisfactionem arguat. Quid enim opinio divitiarum, quæ efficit, ne quis alteri noceat, ad ſatisfactionem. Ad hæc reſpondetur 1. non eſſe certum his verbis rationem reddi eorum, quæ ſuperiori verſiculo dicta ſunt: non connectit cum ſuperioribus Mercerus. Gnomæ Salomonis ſingulæ per ſe ſæpius ſenſum faciunt abſolutum, non cohærentem cum ſenſu antecedentium aut inſequentium. 2. Rabbi Levi cum ſuperioribus ita connectit, ut pretium redemtionis propriè accipi debeat, aut ſaltem poſſit. Quum ſint inquit (referente Mercero) qui ſe divites oſtentent in ſummâ paupertate, rurſus qui in ſummis opibus pauperes ſe ſimulent, docet Salomon hoc poſterius longè præſtare, ad ſeſe à multis impenſis & cauſis, quæ ſuper divites devoluuntur, redimendum, quum abjurgationem audiat à nemine pauper, nec ei quiſquam ob opes invideat, quibus caret & is, qui ſeſe divitem fecit, & eo nomine in diſcrimen vitæ adductus. quum non habeat, quo ſe redimat, in confuſione fit. Probari quoque non poteſt. 70. interpretes, cum Hebraicum copher λύτρον tranſtulerunt, propriam vocis ſignificationem non intendiſſe, aut hanc gnomam de vero pretio non intellexiſſe aut judicaſſe ad antecedentem verſiculum hunc reſpicere, eoq; rationes exponi eorum quæ antecedenti dicta ſunt; aut ſi retulerunt hoc hemiſtigium ita expoſuiſſe. Quare affirmari pro certo non poteſt Helleniſtras voce λύτρου uſos metaphoricè, imò contra ſentiendum uſos in propriâ ſignificatione,

catione, cum extra propriam ſignificationem vox illa nullibi occurrat. objicit Socinus cap. 2. lib. 2. de ſervatore, *pretium redemtionis verè & propriè dici non poſſe id quod dives impendit, ut ſe à periculis, in quibus verſatur liberet, cum neque captivus ab ullo detereatur neq; id ab ullo ut pretium liberationis ipſius accipiatur*, quaſi verò non ſæpius contingat captivos detineri divites; & pretium redemtionis detinentibus perſolui.

Secundò oſtenditur pretium redemtionis noſtræ verum pretium eſſe, quia comparatur auro & argento, quæ verum pretium ſunt: ſanguis ergo non eſt metaphoricum pretium. Cum dico aurum & argentum non dedi in pretium ſed res alias, veram naturam pretii ubique intellexerim. Redemtio per aurum & argentum non eſt alia, quàm per verum pretium, non alia quàm vera redemtio: redemtionem noſtram non dicit Petrus figuratam, aut alterius rationis, quàm redemtio per aurum & argentum, ſed tantummodo auri & argenti pretio non comparatam: nihil aliud ergo quàm propriè dictam redemtionem in animo habuit, quæ effectus eſt, pretij qua tale: at ſanguis Chriſti conſideratur hîc à Petro ut cauſa redemptionis ſub ratione pretij.

Tertiò comfirmatur aſſertio veri pretij, quod redemptio noſtra facta ſit per ἀντίλυτρον, quod gloſſarium Stephani exponit, viciſſim datum redemtionis pretium, caput quod capite redimitur. Quartò confirmatur, pretium liberationis noſtræ verum pretium eſſe, quia propriiſſimum veri pretii effectum parit, qui

eſt acquiſitio dominij ejus rei, pro quâ pretium dependetur. *Pretio empti eſtis*. 1. cor. 6. com. 20. *Pretio empti eſtis ne eſtote ſerui hominum*. Act. 20. 8. *Deum Eccleſiam ſuo ſanguine acquiſiviſſe*. Pergit Socinus in verâ redemtione pretium non ejus cauſa dari, qui redemtionem procurat, imò ipſe eſt, qui illud dat, & idcirco liberationem, quatenus ea in ipſo eſt, non gignit, ſed ejus causâ ſoluitur, qui ſervus & captivus eſt. Ad hæc conſulantur quæ ſupra ſcripta ſunt.

Poſt hæc prolixam inſtituit propoſitionem, & expoſitionem ſententiæ ſuæ de ratione & modo, quo ſalus noſtra & redemtio per mortem Chriſti procurata ſit à peccati dominio & condemnatione. Summa huc redit, à peccatorum vitiis nos liberari fide verborum Chriſti, cujus potiſſima cauſa reſurrectio & in cœlis gloria, ad quam venire Chriſtus non potuit, niſi per mortem: eodem modo tradit nos à morte, ſive peccati pœnâ exolvi; ſive ſpe in hoc mundo, ſive reipsâ in futuro, quia neque ſpem immortalitatis, neque immortalitatem ipſam accipimus, niſi ex gloriosâ & æternâ beatitate Chriſti, ad quam illi per atrociſſimam & ignominiæ plenam mortem, veniendum fuit. Iſtiuſmodi interpretationes noſtræ per Chriſtum ſalutis, perpetuus Socinianæ doctrinæ genius ſunt, & veram paſſionis ejus erga Deum efficaciam abnegant. Huic expoſioni ſive potius inſigni & incruſtatæ corruptioni deroganda fides. 1. quia hoc pacto in præcepto illo cum promiſſione, crede reſipiſce & ſalvaberis, non minus

minus erit redemtio noſtra, quàm in Chriſti ſanguine, ait enim nos à peccato liberari, ſi Chriſti verbis fidem habeamus, qui nos penitentiam agere juſſit, & novos homines fieri cœleſtis hæreditatis præmio propoſiti, fides illa gignitur ex reſurrectione & gloriá mortem Chriſti conſecutâ, potiſſima ergo vis liberationis noſtræ à peccatis, ſecundum hanc expoſitionem ex ipsâ promiſſione æternæ vitæ hauritur: reſurrectio mors & vita Chriſti conducunt iſti promiſſioni certiorandæ. 2. ſecundum hanc ſententiam jam eramus redemti, antequam moreretur aut reſurgeret Chriſtus, revelato & propoſito Euangelio: nam iſtius doctrinæ propoſitione datur & peccati vinculis exolvi & vitæ melioris ſpem concipere, & ad ejus poſſeſſionem aliquando Dei munere pervenire. Contra teſtatur Script. redemtionem iſtam morte & ſanguine Chriſti nobis obveniſſe. 3. hoc modo in miraculis etiam noſtra redemtio, hęc enim cauſa etiam ſunt, cur verbis Chriſti fides habeatur: & Martyribus quoque hic honos dabitur, quod ſanguine ſuo nos redemerunt, alios enim alacritate ſuâ, & celo quo animas ſuas pro nomine Dei & Domini Jeſu Chriſti expoſuerunt ad fidem aut provocarunt, aut in eâ confirmarunt. At verò hunc honorem ſolus vendicat Chriſtus. 4. non fidem non reſipiſcentiam, non afflictiones fidelium, pretium dicere poſſumus noſtræ redemtionis, in negotio tamen ſalutis noſtræ perficiendæ, non minus illa concurrunt quam ex Socini ſententiâ mors Chriſti. 5. accedit cum actus aliquis

aliquis de re aliquâ ſolum & ſemper prædicatur, tum non eſt concipiendus actus aliquis, rebus pluribus communis, ſed rei illi proprius, de quâ ille prædicatur, cum ergo actus redemtionis de ſolâ morte Chriſti, perpetuo Script. ſtylo prædicetur non interpretanda hæc redemtio per ſenſum multis aliis rebus communem ut manifeſtnm eſt facere Socini interpretamentum, ſed per ſenſum proprium & peculiarem, qualis eſt in redemtione propriè dictâ. Occurrit Crellius ad hoc enarvandum, ob metaphoræ hujus concinnitatem & locutionis emphaſin, nulli alii rei hunc actum expreſsè tribui, præterquam morti Chriſti, quæ impendium continet illi ſimile, quod ad redemtionem propriè dictam requiritur, quo argumentatio facta non commovetur. Ex doctrinâ miraculis reſurrectione vitâ potentiâ Chriſti in cœlis, iſtiuſmodi impendium & pretium metaphoricum confici quoque poſſet. Opponit ſecundò *cum eandem rem aliis vocibus exprimunt nonnunquam apertè aliis etiam rebus, idque etiam magis aut propius, præſertim cum de liberatione à pœnis, quæ actu fiat loquuntur, quam morti tribuunt; nonnunquam ut ex re ipſa ſatis intelligitur, tacitè idem faciunt, quod poſterius ſit etiam in nonnullis locis, ubi ipſa redemtionis vox extat.* At verò negatur hoc eſſe verum, aut rem illam, quæ nomine redemtionis venit ſanguini tributæ, aliis rebus tribui, nedum magis aut propius, aut tacite idem fieri, ubi ipſa redemtionis vox extat. Quæ aliis rebus tribuuntur non ſunt ipſa illa redemtio, quæ morte contingit, ſed ſunt beneficia, ex hoc

hoc actu redemtionis per mortem promanantia, & ex eâ conſequuntur: ex iſto ordine etiam eſt redemtio illa, quæ in poſtremo Chriſti adventu continget: Patet, liberatio à pœnis, quæ actu fit, non ipſa illa redemtio, quæ moriendo facta, ſed effectum ejus & conſequens eſt, ut ex reipsâ manifeſtum: adde ſi redemtio illa, quæ adventu Chriſti continget, quod ad rem eadem eſſet cum redemtione, quæ morti & ſanguini attribuitur; tum dici poſſet Chriſtum nos in ſecundo ſuo adventu & die ultimo redemturum per mortem & ſanguinem ſuum, à quâ locutione quilibet ſanæ mentis abhorreret, quod tamen rectè fieret, ſi redemtio illa futura, eadem eſſet, quod ad rem, cum redemtione factâ aliquando per ſanguinem crucis. Cum itaque illa ab hac diſtinguenda ſit, illa licet rebus aliis applicetur, de hac propterea idem judicium non eſt faciendum. Sextò contra propoſitionem & expoſitionem redemtionis per mortem Chriſti à Socino factam eſt, quod ad eam niſi multo circuitu, variiſque rerum & verborum amfractibus pervenitur, eaq; ex planâ verborũ ſignificatione, pro ut ſonant, non elicitur: orthodoxam verò ſententiam ipſa verba præ ſe ferunt, pauciſſimis verbis abſolvi poteſt, quæ non aliter tinniunt, quam ipſa obvia & clara verborum ſignificatio. Non ergo crediderim, hæc oracula toties tam paucis verbis inculcata, quæ Apoſtoli tanquam manifeſta, & in trivio poſita, cuilibet Chriſtiano proponunt, abſtruſos illos & neſcio, in quibus receſſibus reconditos Socini ſenſus continuiſſe: aliud

aliud in animo habuiſſe, aliud ſcripſiſſe mihi videntur Apoſtoli, ſi profeſſioni Socini danda fides.

Propoſitâ & explicatâ ſententiâ ſuâ, de ratione noſtræ per Chriſtum redemtionis, teſtimoniis Scripturæ eam firmare aggreditur, producto primum Pauli ad Galatas teſtimonio, ubi legitur *Chriſtum factum pro nobis execrationem, nos ab execratione redemiſſe.* Quid hæc volunt Socino? multâ oratione narrat, in verbis immediatè citato loco antecedentibus. *Oportuit igitur Chriſtum, non ſolùm mori, ſed atrociſſimâ & ignominiæ plenâ morte occidi, ut inde poſtmodum, ad glorioſam æternamque vitam ac beatitatem perductus, nihil veri mali, in eâ viâ eſſe doceret, quam nobis præmonſtraverat; & deinceps nullâ quantumvis atroci & infami morte á ſpe immortalitatis, iis qui ipſi obediunt, dimoveri poſſent.* Vide quàm multâ oratione, quot verborum & rerum ambagibus illi opus ſit; ut pauciſſimis & planiſſimis verbis ſenſus ſuos ſupponat. Vera ſententia tribus verbis abſoluitur: Chriſtum à maledictione legis nos redemiſſe, dum pro nobis maledictionē illam in cruce ſubiit: Hæc tam ſuæ ſpontis, ut nihil coactum nihil obtruſum. Quin etiam militant contra Socini gloſſas argumenta mox facta. Accedit Pauli propoſitum non eſſe hoc loco, fideles ad tolerantiam crucis animare, ſpe certâ æternæ gloriæ, in Chriſti execrandâ morte & conſecutâ ex altatione, monſtratâ: ejus rei in verbis Apoſtoli, nec vola nec veſtigium, qui quoties docent, indubitatam æternæ gloriæ ſpem, paratam iis, qui

qui Chriſti cauſa patiuntur, clariſſimis verbis id agit, aliiq; cum eo, ut neminē id latere poſſit. Nec ferendū etiam fideles, eſſe adhuc revera ſub execratione legis, & permanſuros, ſub eâ ad ultimum judicii diem. Hoc volunt iſta Socini ad locū, quem ſub manibus habemus Cæterum ab ipsâ æternâ morte, veram liberationem, quomodo tandem reipſa conſequi poteramus, niſi Chriſtus qui nos ab eâ vindicaturus erat, ſupremam in cœlo & in terrâ poteſtatem adeptus eſſet (reſurrectionem enim beatam ex mortuis, ſentit eſſe ipſam ab æternâ morte liberationem, quæ eſt ejus ſupra hoc ipſo cap. edita profeſſio, *à morte peccati pœnâ exſolvimur, primum hic ſpe, deinde reipsâ in cœlis, ubi ſc. immortalitàte donabimur : tum enim verò juſtificati, & à peccatis noſtris abſoluti erimus, cum ab æternâ morte, peccati pœnâ vindicati, ad æternam vitam fuerimus in cœlum tranſlati*. Non permittit quoque Socin. eam execrationem quam Chriſtus ſubiit eam eſſe quam nos propter peccata noſtra alioqui ſubituri eramus, ſi tamen ipſa verba Pauli intuamur, nulla manebit dubitatio, noſtra execratio eſt ea quam lex in nos pronuntiat, teſtante Paulo ſcriptum eſſe, *execrabilem eſſe, qui non manſerit in omnibus*, ea verò execratio, quam Chriſtus ſubiit non alia etiam, quàm execratio legis, dicit enim de eâ in lege ſcriptum eſſe *execrabilem eſſe qui pendet in ligno*, quin etiam quos lex Dei pronuntiat execrabiles, neceſſe eſt Deo abominandos eſſe, Chriſtum verò cum in ſe innoxius, noſtram perſonam ſuſtinuiſſe, neceſſe fuit : non ergo dicitur

dicitur factus execratio,quia atrocem & ignominiæ plenam mortem ſubierit, quæ peccatorum noſtrorum pæna non fuerit, ut exiſtimat Socin. aut quod ut exponit Crell. *tale mortis genus ſubiit,quod olim coram Deo erat execrabile, nempe mortem crucis*: neque enim Paulus dicit ſubiiſſe mortem, quæ olim erat execrabilis,ſed quæ revera fuit,in quâ vigebat execratio legis, dicit enim factum eam execrationem,quâ maledicti erant à Deo malefici.Quod ni ita eſſet, omnes Martyres, qui crucibus affixi ſunt, & per hoc atrox & infame mortis genus ſublati, legerentur etiã execrabiles fuiſſe Deo. Quamquam enim illa voxDei in teſtimonio ut àPaulo citato non legatur, extat tamen in ipſo loco Deuteronomij, *maledictio Dei ſuſpenſus*: neque alia mens Pauli. Quod verò Socinus objicit, Chriſtum eam execrationẽ non ſubjiſſe, quam nos propter peccata noſtra ſubituri eramus,nihil eſt, cum non repugnet,mortem quæ non eſt æterna, æquivalere æternæ.

Secundus quem adfert locus, & in ſenſus ſuos cogit eſt Rom. 3. com. 24.25 Non repetam jam dicta, peti poſſunt ex antecedentibus, ſententia enim quam hujus loci eſſe ait, nihil continet præter ſententiam de ratione & modo noſtræ per Chriſtum redemtionis & ſalutis: juſtitiam Dei interpretatur *fidelitatem & veracitatem in ſervandis promiſſis antiquis*. Rectius & ſimplicius videtur juſtitiam Dei intelligere, quam ex actione pœnæ peccatorum, ſanguine Chriſti exactæ, demonſtraverit, quam veracitatem Dei in ſervandis promiſſis, cum enim nomine

nomine juſtitiæ fidelitas ſignificatur, facile ex locorum circumſtantiis apparet, eam Dei virtutem indicari, ejus verò rei nullum hîc veſtigium. De juſtitiâ retributiva agi, præterquam, quod vox ſanguinis, redemtionis, placaminis πάρεσις illa peccatorum, quæ præceſſerunt in remiſſio Dei tolerantiâ, quod eſt ut Syrus habet ab initio, propter peccata quæ ab initio peccavimus, docent ea etiam quę inſequuntur oſtendunt, *ut ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum qui ex fide Jeſu.* quemadmodum hæc juſtificatio, ab omni labe peccatorum obſoluit, & juſtum conſtituit in Dei judicio fidelem, ita ſermonis concinnitas & elegantia poſtulat, hîc intelligere, Deum ſe in negotio hoc, juſtiſſimum judicem comprobaſſe, actus enim juſtificationis, actus Dei judicis eſt non ergo hæc demonſtratio juſtitiæ, eſt demonſtratio fidei ac benignitatis Dei in gratuitâ juſtificatione: neque enim cum judex judicat ad juſtitiæ ſuæ demonſtrationem, fidem aut miſericordiam judicis cogitabis, ſed juſtitiam quæ ſuum cuique tribuit & jus reddit. Accedit quod cum de maximâ gratiâ, nobis in Chriſto exhibitâ, loquuntur Script. vocibus miſericordiæ & gratiæ expreſsè uti ſolent, & divinarum promiſſionum meminiſſe, nuſquam verò illius gratiæ divitias, in plenitudine temporis exhibitas, ad noſtram juſtificationem, & abſolutionem à peccatis, nomine juſtitiæ inſigniunt, aut ab iis Deum juſtum denominant. *Suſcepit Iſraelem puerum ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ, prout loquutus eſt Patribus noſtris Abraham & ſemini ejus, in æternam*

Luc. 1. com. 54. 55. ibidem *ut uteretur miſericordia erga Patres noſtros ac memor eſſet fœderis ſui ſancti* com. 72. *Dixit dabo vobis firmas illas Davidis beneficentias* Act. 13. com. 34. *In quo habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem lapſuum ex divite ipſius gratiâ* Eph. 1. v. 7. *Qui ſervavit nos & vocavit vocatione ſanctâ, non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratiâ, quæ data quidem eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſeculorum*: in antecedenti quoque verſu, gratiam & benignitatem Dei, in noſtrâ juſtificatione concurrentem, prædicaverat Apoſtolus, cum diceret, *ut qui juſtificentur gratis, ejus gratiâ, redemtionem factam in Chriſto Jeſu* Rom. 3. com. 24. in ſequentibus ergo de juſtitiâ, quâ peccata vindica ſunt per Chriſti ſanguinem, ſermo eſt: miſericors ergo & juſtus in Chriſto Deus & utriuſque virtutis ſapientiſſimum & admirabile in Chriſto temperamentum nobis ante oculos ponit Apoſtolus. Propitiatorium eſt, quod nobis aliquem propitium reddit placidum ac faventem; id græcè ἱλαστήριον ἱλαστήριος cui, placandi & propitiandi vis ineſt. ἱλαστήριον ergo neceſſe eſt eſſe id, quod vim habet ad placandum: impropriè ergo uſurpatur ea vox cum ad deſignandum operculum arcæ fœderis adhibetur, niſi dicatur typicam vim habuiſſe ad expiandum, illato per ſacerdotem ſanguine Levit 16. com. 14, *qui ſupra propitiatorium, & coram propitiatorio aſpergebatur*. Sic ergo hoc ἱλαστήριον expiabat, & ἱλάσκηται dici poteſt actus ἱλαστηρίου fuiſſe: ſed ſive operculum arcæ dicatur ἱλαστήριον in ſenſu effectivo, ſive declarativo

perinde

perinde eſt. Dicatur ergo ἱλαστήριον tegmen arcæ, quod Deum placatum oſtendebat, vel ut alii, dicatur propitiatorium, quaſi dicas locus, in quo Dominus placatus alloquebatur populum, non tamen propterea ἱλαστήριον apud Paulum ſic accipiendum, pro eo, in quo declaratio propitiæ voluntatis facta eſt ſed pro eo, quo Dei voluntas propitia facta eſt. Probatur. 1. quia propoſitus eſt ἱλαστήριον ad demonſtrationem juſtitiæ divinæ, quæ demonſtratio quà talis non eſt in manifeſtatione hac gratiæ & propitiæ voluntatis. 2. redemtio reconciliatio quæ idem, cum propitiatione, in ſanguine & morte à Scr. collocatur. 3. Pauli verba non loquuntur de iis, quibus cognoſcitur & manifeſtatur Deus benignitas, antea declaravit manifeſtationem Euangelio factam, ſed de iis quæ ad ſalutem noſtram, ut principia eſſendi concurrunt. Etſi vero Chriſtus propter vim activam ἱλαστήριον dicatur, propitiatorium verò V. T. propter declarationem, id alluſioni non obeſt, neque requiſitæ ſimilitudini inter typum & rem typo ſignificatam. Nam ſimilitudo in eo eſt, quod ut propitiatorium arcæ propitiationem monſtrabat, ita Chriſtus effecerit: ut hoc ſuo, ita Chriſtus ſuo modo propitiatorium fuit, quod ad alluſionem ſatis eſt: eſt enim alluſio cum addictum aut ſcriptum alienum ita reſpicimms, ut verba aliqua inde mutuemur, aut noſtris verbis ea attingamus. Non obſtat ergo hoc diſcrimen alluſionis à Paulo factæ. Imò verò magnum etiam ſecundum expoſitionem Socini inter utrumque propitiatorium diſcrimen

 eſt.

eſt. In propitiatorio arcæ fiebat declaratio, ita ut hoc nihil prorſus ad iſtam declarationem conferret. Nihil eâ in parte egit inquit Crell. 362. At quæ Deus in Chriſto hic fecit, ea Chriſtus ipſe Dei nomine egit. Rurſus, quare cum de Chriſto effertur, in quo non tam ut in loco aliquo, quam ut in cauſâ mediâ, actio hæc perfecta eſt, denotatur id per quod, declaratio propitiæ voluntatis facta eſt.

Altera hujus vocis atiologia Prælectori eſt, *quod quidquid nos ſcire voluit Deus, per ipſum patefecit*. Dilutum interpretamentum, ipſa verborum textus Paulini introſpectio id profligat. Verba ejus nihil præ ſe ferunt, de pleniſſimâ revelationis divinæ voluntatis per Chriſtum factâ: cujus rei quoties ſcriptores ſacri nos certiores facere volunt, verbis apertiſſimis id agunt: nimis ergo aliena illa gloſſa.

Pergit Chriſtum propitiatoriũ dici, *non quia Deum placaverit, ſed tantummodo ſi Deum reipſa placatũ experiri vellemus, & reipſâ ab æternâ morte vindicari, neceſſe eſſe ut Chriſto ſidem habeamus*. At. 1. repugnat propria vocis propitiatorii ſignificatio. 2. ſic potius diceretur propitiatorium futurus adventu & regno ſuo, aut propoſitus propitiatoriũ in ſeſſione ad dextram Dei, quam propitiatoriũ eſſe in ſanguine ſuo. 3. nihil convenientius, quam Chriſtum eſſe propitiatorium in ſanguine, quemadmodum redemtio noſtra eſt, de quâ proximè antecedenti verſu. 4. quam neceſſitatẽ hujus ἱλαστηρίου convellat noſter vidimus in antecedentibus. Id quoq; alibi demonſtratum, cap. v. tertiæ claſſ. noſtri examinis.

Tertius

Tertius quem in hanc ſcenam producit locus eſt ad col. cap. 1. v. 13. 14. 15. Hic primò dicit, *Deum fuiſſe qui nos de poteſtate tenebrarum eripuit, id eſt è diaboli & peccati ſervitute liberavit, merito propterea ab ipſo Deo redemtos dici poſſe, id eſt Deum ipſum redemtionem noſtram confeciſſe.* 1. pro ſolutione ſit, non Patri ſed Filio hic redemtionem tribui. 2. etiamſi diceretur Patrem nos redemiſſe per Filium, aut redemtionem effeciſſe, nihil contra ſententiam de redemtione à Prælectore oppugnatam concludi poſſet, ut in prioribus hujus cap. obſervatum. Secundum, quod adfert, eſt (miſſo eo quod de lectione loci & conſtructione verborum adfert, quod propoſitam quæſtionem principalem non attingit) *perſpicuum eſſe ex hoc loco & perſimili* Eph. 1. v. 7. *nihil aliud eſſe redemtionem, quam in Chriſto per ejus ſanguinem habemus niſi remiſſionem peccatorum, hanc cum ſatisfactione nihil commune habere.* Confundit diſtinguenda, appoſitivè hæc dicuntur, quia remiſſio redemtionis conſequens eſt: ita Chriſtus *ſcio mandatum ejus vitam æternam eſſe.* Joh. 12. 50. Paulo ante docuit Prælector, redemtionem noſtram ab ipſo peccato eſſe, dum ſectatores bonorũ operum efficimur, dum ad Deum convertimur, noſtra verò ſanctitas & pœnitentia non eſt ipſa peccatorum remiſſio, eam tamen ad redemtionem noſtram per ſanguinem Chriſti quoque refert: remiſſio ergo peccatorum & redemtio non ſunt idem. 2. Paulus juſtificationem per quam nobis remiſſio peccatorum contingit, à redemtione diſtinguit, ut

qui juſtificentur gratis ejus gratiâ per redemtionem factam in Chriſto. 3. quam hoc verum ſit remiſſionem cum ſatisfactione nihil commune habere, judicetur ex dictis, remiſſio non tollit ſatisfactionem , etiamſi ergo redemtio remiſſio eſſet, ex vi ejus non excluderetur ſatisfactio. Tertium illud de redemtione per doctrinam Chriſti ſanguine confirmatam, aut voluntatis divinæ cognitionem, quam in Chriſto aſſecuti, pleniſſimè , ſatis in ſuperioribus confutatam ; redemtionem noſtram patefactione conſilii Dei maximè niti rectè & ſanè intellectum ἀμφοτέραις amplectimur.

ambabus

Quartò producitur locus ad Heb. 9. 11. 12. quæ hic proferuntur , tam facile rejiciuntur quam adferuntur. Eadem oberrat Chordâ, expreſſam formam ſanorum verborum non retinet, Chriſtus ſibi redemtionem non eſt nactus. Nos habemus redemtionem per ſanguinem ipſius, non ipſe in ſe redemtionem ſui, per pretium ſanguinis: non ſe dedit redemtionis pretium pro ſe. Socinus hic redemtionem per Chriſti ſanguinemChriſto& nobis communem facit : hæc procul abſunt in ſanis ſermonibus JeſuChriſti.Dum ſic ſuas aſſertiones proScrip. venditat, triumphali oratione noſtræ ſententiæ inſultat , quodnam hîc inquit veſtigium ſolutionis alicujus veri pretii,reliqua tranſeant,quia nihil argumentorum continent.

Quintò profertur. 1. Tim. 2.6. ubi dicit eo potiſſimum ſenſu dici *Chriſtum ſemetipſum pretium redemtionis dediſſe,quod Dei de nobis ſervandis decretum per Chriſti mortem cumulatiſſimè teſtatum*

ſtatum videmus , id ex verbis quæ ſtatim ſubijcit intelligi poſſe , teſtimonium temporibus ſuis. At quomodo ex his verbis apparet , Chriſtum ſe dediſſe teſtimonium , aut datum pretium redemtionis eſſe teſtimonium. Neque verò etiamſi dixiſſet Paulus , datum redemtionis pretium eſte teſtimonium, ſeu confirmationẽ Fœderis ſanguine Chriſti factam, ſequeretur pretium redemtionis , qua tale eſſe teſtimonium, aut qua tale appellatum à Paulo teſtimonium. Decentiſſimè hæc verba Pauli accipiuntur, non de teſtatione morte Chriſti factâ, ſed Euangeli prædicatione , quâ hoc myſteriũ redemtionis noſtrę per Chriſti mortem revelatum eſt, ita ut hoc pretium redemtionis non ſit idem cum teſtimonio, ſed teſtimonii ſubjectum & objectum circa quod hoc teſtimonium verſatur. Diſtinguuntur ergo ut objectum & actus circa objectum. Jam vero Pauli verba ita interpretanda non eſſe, quemadmodum Socinus hic interpretatus eſt. Docetur. 1. ſi mors Chriſti , quà teſtimonium doctrinæ, eſt pretium redemtionis, multò magis doctrina ipſa eſſet pretium redemtionis, ſive ſenſus doctrinâ expreſſi & comprehenſi. Certitudo rei non operatur , niſi res ipſa operetur, & facit tantũ ut res firmâ mentis cognitione apprehendatur prout eſt in ſe. ſi res cognita & confirmata non moveat inefficax quoque rei cognitæ cognitio. Confirmatio facit tantum, ut res cognoſcatur , prout eſt in ſe & applicari debitè poſſit appetitui. Tota vis quæ eſt in confirmatione derivatur ex ipſâ re confirmatâ: cum ergo decretum hoc fideles &

 pios

reſurrectio, redemtionis pretium dicta ſit, quam mors & ſanguis, cum inquit ut nobis quidem placet, multo majorem vim, in nobis à peccato redimendis habeat. Triplex à Prælectore ad hanc objectionem diſſolvendam profertur reſponſio. 1. *Chriſti reſurrectionem, non eam proportionem vel ſimilitudinẽ cum vero pretio habere, quam ſanguis ejus & mors habet; reſurgendo de ſuo non dare, ſed plurimum accipere, moriendo vitam ſuam profundere.* 2. *mortis & ſanguinis tam frequenter mentionem fieri, ut Dei ipſiusque Chriſti Charitas erga nos, nobis quam maximè commendetur, quin ſumma & admirabilis eâ in re conſpecta fuit.* 3. *mortis & ſanguinis tanquam pretij redemtionis noſtræ mentionem fieri ſolere, ut ſciamus, nos non amplius noſtros eſſe, ſed ejus qui nos redemit & ſibi aſſeruit.* Primæ reſponſioni occurritur 1. facile ſimilitudinem & proportionem, inter Chriſti reſurrectionem & verum pretium excogitari poſſe; dicatur, Deum vitam immortalem Chriſto donaſſe, eamque donando impendiſſe ut nos redimeret, atque ita Chriſti reſurrectio Dei pretium eſſet, ut mors Chriſti, proinde magis redemtio noſtra, pretio Dei quam Chriſti tribuenda eſſet, quia pretium reſurrectionis majorem vim habet ad nos redimendos, quàm pretium mortis: dato ergo Chriſtum reſurgendo nihil de ſuo dediſſe, imò plurimum accepiſſe, concedi neceſſe erit, Deum Patrem de ſuo dediſſe reſurrectione Chriſti: ſimilitudo ergo pretii in reſurrectione etiam inveniri poteſt. Deinde ſi Chriſtus reſurgendo nihil de ſuo dedit, Chriſtus diabolum ejuſque

imperium non abolevit, ſed alterius operâ id factum, ac proinde propoſita ſimilitudo Prælectoris, non ſatis quadrat, ad propoſitam de pretio quæſtionem. In illâ idem eſt, qui ſanguinem ſuum impendit pro amico liberando, & amicum ex hoſtium manibus, ipſis hoſtibus occiſis liberat; hîc verò in redemtione noſtrâ, qui ſanguinem ſuum impendit, ab hoſtibus perimitur, & alterius virtute & fortitudine profligantur hoſtes, & amicus liberatur: in quo ſanè caſu, non ille qui cum hoſtibus amici congreſſus, fuſus & profligatus eſt, dicitur ſanguine ſuo amicum redemiſſe, ſed illè qui armorum ſuorum virtute hoſtes debellavit, atque ita amicum ex eorum manibus liberavit. Deinde ſi comparatio prout apertè & concinnè fieri poteſt, inſtituatur, apparebit aptari poſſe non minus reſurrectioni, nomẽ impendii quàm morti: quemadmodum is, qui amicum ex hoſtium manibus iis occiſis liberat, & interim cum hoſtibus confligendo, non levia vulnera accipit, is dici poteſt, non ſolùm ſanguinem ſuum, pro amico liberando impendere, verùm etiam armorum ſuorum virtutem, quibus victi ei debellati hoſtes. Sic Chriſtus dicatur non ſolùm ſanguinem ſuum in liberatione noſtri è manibus diaboli impendiſſe, ſed omnem etiam reſurrectionis ſuæ virtutem.

Secundò ait *mortis & ſanguinis idcirco tam frequenter mentionem fieri, ut Dei ipſiuſque Chriſti Charitas erga nos, nobis quàm maximè commendetur.* Si mors ob inſignem charitatem ex eâ elicentem pretiũ dicitur, etiam reſurrectio

prætium

prætium erit, quia & Dei charitas & miſericordia ex eâ etiam non parũ conſpicitur Smal. cap.25. de cauſis exaltationis Chriſti. *Quæ denique bonitas major hac eſſe poteſt, quod Deus ut nos hoſtes ſuos & pœnâ dignos ſibi reconciliaret ei, quem fratres, nos appellare non pudet, qui omnia ea mala, quæ nos experiri debemus vel poſſumus, expertus eſt, ut noſtri perpetuò miſereri, & auxilium opportunum largiri poſſit, tantam in cœlo & in terrâ poteſtatẽ dedit. O miram Dei φιλανθρωπίαν, O divitem* amor erga homines *O magnam miſericordiam, quam ſi homo mortalis conſideret, non mirum eßet, ſi præ gaudio exiliret.* Deinde non minus neceſſaria eſt potentia Dei ad nos redimendos, quam amor in nos & voluntas ſalvandi: ſi ergo mors pretium dicitur, quia Deus & Chriſtus eo declararunt amorem, ſuum in nos & voluntatem ſalvandi, reſurrectioni non minus ille titulus debebitur, ob demonſtratam ex ſententiâ Socini potentiam, ad nos liberandos, & beatâ vitâ donandos, tam enim Dei potentia ad nos ſalvandos eſt neceſſaria, quàm amor & voluntas Dei. Præterea pretium, in quantum eſt pretium, non eſt proprius & genuinus effectus amoris; nam & maximum pretium ſolvi poteſt pro eo qui non amatur à ſolvente, & maximus etiam amor ſine ullâ pretij ſolutione demonſtrari poteſt. Itaq; magnitudo amoris morte demonſtrata, cauſa eſſe non poteſt cur mors, non reſurrectio pretium dicatur, ad effectum proprium charitatis, qui ipſam charitatem ut talem χαρακτηρίζει, de- insignit ſignandum, donum potius & gratia diceretur.

Tertia Socini reſponſio pro nobis militat, ut ante

ut ante oſtenſum. Quod ſi Chriſtus nos pretio mortis ſuæ acquiſiviſſet eâ mente, quâ Socinus nos opinatur Chriſti morte acquiſitos, tum cauſa non eſſet, cur hoc ſoli morti & non reſurrectioni quoque tribueretur.

Antequam finem huic cap. imponat, unum adhuc monendum cenſuit. Illud verò eſt *vocem copher apud Hebr. eſſe, quæ non minus expiationem quàm redemtionem ſignificet, inde fieri potuiſſe, ut Apoſtoli vocabulo* ἀπολυτρώσεως, *quod propriè redemtionem ſignificat, pro expiatione abuſi fuerunt.* *Incerta prælegentis conjectura eſt* κοσκίνῳ μαντεύεται ut dicebat Lucianus. Certius illud, iis locis in quibus de redemtione noſtrâ ſermo eſt, reſpici ad vulgarem morem redimendorum captivorum. Verum quidem eſt ſanguini redemtionem noſtram aſcribi, qui in ſacrificiis & expiationibus, non, verò in captivorum redemtionibus adhiberi ſolitus. At verò ſciendum eſt myſterium redemtionis & ſalutis noſtræ, peculiari admodum lege & ſingulariſſimo modo, ad tanto majorem & admirabiliorem Dei gloriam fuiſſe inſtitutum, conſequenter non eſt mirum, redemtionem noſtram & ſpirituali captivitate ſanguine procuratam eſſe, quemadmodum etiam humanâ hoſtiâ propitiatio noſtra contigit, quæ expiationibus ex divinâ inſtitutione non convenit. Quin etiam ſanguinis mentio redemtioni adjecta, cauſa dubitandi eſſe non poteſt, de propriâ vocis ἀπολυτρώσεως notione, cum ſanguis ille λύτρον dicatur, quod pretium redemti captivi eſt cum Petrus monet nos non auro vel argento redemtos, ſed pretioſo

Cribo vaticinatur

pretioſo ſanguine, innuit ſe ad notionem ἀπολυτρώσεως propriam intendiſſe: indicat enim nos non redemtos trito more, auro & argento, ſed peculiari, pretioſo nimirum ſanguine: aurum autem & argentum non expiationibus ſed redemptioni convenit. Addit unum eſſe locum ad Heb. 9. v. 15. ubi vocabulum ἀπολύτρωσις omnino ſignificare videatur expiationem, id quoque neceſſe non eſt ſtatuere, quamquàm verum ſit, promiſcuè in Epiſtolà ad Hebr. poni λύτρωσιν & καθαρισμὸν Heb. 9. v. 12. 14. 15. 22. 23, quod ita commodè fieri poteſt, quia hæc ſecundum rem idem ſunt, quamquam diſtinguantur formaliter. redemtionem & purgationem

CAP. XX.

Explicatio eorum locorum, in quibus Chriſtus, propter peccata noſtra, vel pro peccatis noſtris, vel pro nobis, traditus, percuſſus, & occiſus eſſe, vel paſſus ac mortuus fuiſſe, dicitur.

SCribit Paulus, Chriſtum propter peccata noſtra traditum, & pro peccatis noſtris mortuum eſſe. Rom. 4. 25. 1. Cor. 15. 3. idque Eſaias multò ante non ſemel futurum eſſe oſtenderat, cap. 53. Et Petrus ait, Chriſtum ſemel pro peccatis noſtris paſſum fuiſſe. 1. Pet. 3. 18. Ex quo plerique colligi poſſe exiſtimant, Chriſtum morte ſua pro pecatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe, adeò, ut ſi quis eum ſatisfeciſſe neget, credant omninò ab eodem negari, Chriſtum propter peccata noſtra, ſeu pro peccatis noſtris mortuum eſſe: quod quàm longe à Eſa. 53. 4. 5. 6. 8. 10. &c.

gè à veritate abhorreat, mox patebit. Mori enim propter peccata ſeu pro peccatis alicujus, ut verba ipſa ſonant, idem eſt, ac mori causâ vel occaſione peccatorum illius. Atqui ſine dubio is peccatorum alicujus causâ vel occaſione moritur, qui ideò moritur, ut quis à peccatis retrahatur; utque illi fides fiat, ſi à peccando ceſſet, peccata ſibi condonatum iri; ac præterea, ut is condonationem hanc reipsâ conſequatur. Cùm igitur Chriſtus, ut hæc in nobis fierent, mortuus ſit, quemadmodum & ſupra oſtenſum eſt, & infra Deo volente demonſtrabitur, meritò propter peccata noſtra ſe pro peccatis noſtris traditus eſſe, & paſſus ac mortuus fuiſſe dicitur, quamvis pro ipſis peccatis noſtris nulli juſtitiæ divinæ ſatisfecerit. Atque ut aliquantò diligentiùs hac de re agamus, ubinã rogo dictio *Propter*, ut de ea priùs loquamur ejuſmodi ſignificationem habere deprehenditur, ut cum dicitur *propter peccata*, intelligendum ſit, Ad ſatisfaciendum pro peccatis? Certè eadem ipſa locutio *propter peccata* frequens admodùm eſt eſt in Sacris literis, nec tamen uſquam (quod credam) ſatisfactionem pro peccatis ſignificat. Imò dicet aliquis, ea locutione peccatorum punitio declaratur, & conſequenter pro ipſis ſatisfactio, ut com. 1. Reg. 14. 16. ſcriptum eſt, *Tradetque Jehova propter peccata Hieroboam*, omninò ſignificare videtur, Hieroboami peccata ab Jehova in Iſraële punienda fore. Primúm negamus, ex peccatorum punitione ſatisfactionem pro ipſis conſequi. Poteſt enim quis propter peccata puniri, nec tamen

pro

pro ipſis ſatisfacere. Exemplum eſto in Davide, qui propter adulterium & homocidium à ſe commiſſum, à Deo, nec ſanè leviter punitus fuit. 1. Sam. 12. 10. 11. 12. 14. tamen tranſtulit Deus peccatum illius, ut ibidem dicitur, v. 13. tantum abeſt, ut pro peccato ſuo, eas pœnas ſubeundo, ſatisfecerit. Deinde affirmamus, Iſraëlis populum causâ quidem ſive occaſione peccatorum Hieroboami aflictum & percuſſum à Deo fuiſſe, non tamen propter ejus peccata fuiſſe punitum, niſi quatenus occaſione peccatorum Hieroboami & ipſe peccaverat, ita ut reverâ non peccata Hieroboami, ſed ſua ipſius in eo punita fuerint. Adde, quòd quicquid de peccatorum punitione intelligi debeat, cum dicitur, Iſraëlem propter peccata Hieroboami traditum fuiſſe, id ex ſubjecta materia intelligendùm eſt, non autem ex vi locutionis iſtius *Propter peccata*, quæ per ſe nihil aliud unquam ſignificabit, quàm causâ ſive occaſione peccatorum. Huc accedit, quod attinet ad locos apud Eſajam, dictionem Hebræam, quæ reddita eſt *Propter*, eſſe *mi*, quæ non cauſam finalem (quam vocant) ſed efficientem declarat, ut nihil aliud ex Eſaiæ verbis colligi poſſit, quàm Chriſtum à peccatis noſtris quodammodo occiſum fuiſſe, id eſt, peccata noſtra Chriſti mortis antecedentem cauſam fuiſſe: non autem, Chriſtum mortuum eſſe, ut inde effectus aliquis noſtra peccata reſpiciens conſequeretur, ut certè neceſſe fuiſſet, ſi idcircò mortuus eſſet, ut vel pro peccatis noſtris ſatisfaceret, vel in ipſo quomodocunque peccata puni-

punirentur. Sequitur. ut de dictione *Pro* videamus. Sciendum eſt autem, ubicunque ea eſt, quod ad locos attinet, de quibus quærimus, ejus loci dictionem *Propter* reponi potuiſſe: quod tamen propterea factum non eſt, quia in illis locis dictiones Hebrææ aut Græcæ ejuſmodi erant, quæ non niſi finalem cauſam ſignificare poterànt: verùm dictio *Propter*, non finalem tantùm, ſed efficientem quoque cauſam ſignificare poteſt, dictio autem *pro* tantummodo finalem. Cum igitur ſcriptũ legimus, Chriſtum pro peccatis noſtris paſſum & mortuum fuiſſe, intelligendum quidem eſt, id propterea factum eſſe, ut inde effectus aliquis noſtra peccata reſpiciens conſequeretur, non tamen, ut pro illis divinæ alicui juſtitiæ ſatisfieret, ſed ut dictum eſt, ut nos à peccatis retraheremur; utque nobis fides fieret, peccata noſtra ſi ipſi Chriſto obediremus, nobis divina benignitate remiſſum iri; ac denique ut remiſſionem peccatorum iſtam reipsâ, ejuſque fructum ſentire & conſequi poſſemus. Jam verò, quod ad eos locos attinet, ubi Chriſtus pro nobis paſſus ac mortuus fuiſſe ſcribitur, qui plures multò ſunt, quàm ſuperiores, ſi dictionem *Pro* (ut quidem fieri debet) ea ſignificatione accipere velimus, ut cauſam finalem declaret, omnia planiſſima eſſe videntur. Idcircò enim paſſus & mortuus eſt Chriſtus, ſive in mortem traditus, ut nos ſalutem æternam, quam is nobis de cœlo attulerat, amplecteremur, eamque reipsâ conſequeremur. Hîc verò nulla prorſus ſatisfactione eſt opus, ut ſupra ſatis explicatum fuit.

fuit. Atque ut dictione *Pro* in hanc finalis cauſæ ſignificationem accepta, nullam pro nobis ſatisfactionem declarari conſtet, cum Chriſtus dicitur pro nobis paſſus & mortuus eſſe, perpendatur id quod ſcriptum eſt à Johanne epiſt. 1. cap 3.16. *In hoc cognovimus charitatem, quod ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere*. Nam quis eſt qui neſciat, nos non ita pro fratribus animam ponere poſſe, ut pro ipſis vel minima quidem ex parte ſatisfaciamus? Sed tunc dicimur pro fratribus animam ponere, id eſt, mori cum morte noſtra beneficio aliquo longè à ſatisfactione diverſo fratres noſtros afficimus, aut afficere curamus. Idque Chriſti exemplo, qui, ut nos ſummis beneficiis citra ullam pro nobis ſatisfactionem afficeret, mori non recuſavit, & ita animam ſuam pro nobis poſuit. Scribit Paulus ad Coloſſ., ſe gaudere in paſſionibus ſuis pro illis, & complere quæ deerant afflictionum Chriſti pro corpore ejus, quod eſt eccleſia. Nemo tamen ſanæ mentis dixerit, Paulum pro Coloſſenſibus, aut pro eccleſia Chriſti, ulla ex parte ſatisfeciſſe, ſed tamtummodò afflictum fuiſſe, & multa paſſum eſſe, dum & Coloſſenſibus, & Chriſti eccleſiæ prodeſſe curat. Animadvertendum eſt tamen, non ita vere ac propriè fratrem pro fratre mori, vel Paulum pro Coloſſenſibus proque Chriſti eccleſia paſſum fuiſſe, ut Chriſtus pro nobis paſſus & mortuus eſt. Idque duplici potiſſimùm de cauſa. Una eſt, quia nec frater reverà moritur, nec Paulus affligebatur ſuâ ſponte in hunc ipſum

Coloſſ. 1. 24.

1.

ipſum finem, ut alicui beneficium aliquod det, aut darent, etiamſi, dum prodeſſe alteri curant, mortem & afflictionem incurrant, & pro nihilo ducant. At Chriſtus, non modò dum nobis prodeſſe ſtudet, afflictiones & mortem ſubiit; verùm etiam in hunc ipſum finẽ ſponte paſſus & mortuus eſt, ut nos ſummis beneficiis afficeret.

2. Altera cauſa eſt, quòd is verè ac propriè pro alio mori videtur, qui nõ qualicunq; beneficio eum ſua morte afficit, ſed inſigni aliquo atque præſtanti, pręſertim verò ſi illum in vita conſervat. Chriſtus nos morte ſua non qualicunque beneficio affecit, ſed omnium maximo & præſtantiſſimo, nobisque per ſuam mortem ad immortalitatem ſupremamqne potentiam evectus æternam vitã comparavit. Quod nemo unquam præter ipſum, aut fecit, aut facere poteſt. Nam quicquid ex aliorum morte in nos derivari poteſt, quod ad vitam æternam nobis conciliandam quoquo modo pertineat, id omne nihil aliud eſt, quam confirmatio eorum, quæ nobis Chriſti mors attulit, & ita Chriſti morti quæcunque ex aliorum morte beneficia ſalutaria ſentimus prorſus accepta referenda ſunt. Ut nihil dicam, quòd Chriſtus omnium primus eſt primogenitus ex mortuis factus, cæteris mortem pro fratribus non recuſandi & exemplum & cauſam dedit. Hinc paulus 1. Cor. cap. 1. 13. ait, *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt?* Unde intelligi debet, neminem vel fuiſſe vel eſſe poſſe, qui verè pro hominibus violentam mortem ſuſtineat, præter unum Jeſum Chriſtum, qui pro ſalute noſtra primus & ſolus morti ultrò

ultrò ſe obtulit,& crucis ſupplicium in eum ipſum finem volens ſuſtinuit. Ut autem appertius ſit, locutionem iſtam *pati & mori pro aliquo*, cum dictio *Pro* finalem cauſam declarat nihil cum ſatisfactione commune habere, aut certè non neceſſe eſſe, vt ſatisfactio ulla ea locutione ſignificetur, conſulantur hi loci præter jam allatos, Joh. 13.37. Actor. 5.41. & 9.16, 15.26. (Nam Hebræa phraſi idem eſſe *pro alicujus nomine* quod *pro aliquo*, nemo eſt qui neſciat) 2. Cor. 12. 10. Eph. 3. 13. Phil. 1. 29. Rom. 16. 4. quibus adde 2. Tim. 2. 10. ubi etſi non eſt dictio *Pro*, eſt tamen dictio *Propter* cum ſignificatione finalis cauſæ, ut ex loco ipſo planiſſimum eſt. Sed dicet fortaſſe quiſpiam, dictionem *Pro* in locis illis, ubi Chriſtus paſſus & mortuus pro nobis, fuiſſe dicitur, nihil aliud ſignificare, quàm vice ſeu loco, ut idem ſit, Chriſtum pro nobis paſſum & mortuum eſſe, quod, Chriſtum eas perpeſſiones eamque mortem ſuſtinuiſſe, quas nos ſuſtinere debebamus, ejuſque perpeſſiones ac mortem loco perpeſſionum ac mortis peccatis noſtris debitarum ſubſtitutas eſſe. Hanc particulæ *Pro* in locis prædictis ſignificationem, quàm alibi ei convenire poſſe non negamus, vel illud diſſuadere poteſt, quod, ut vidimus, ſcriptum eſt, Chriſtum pro peccatis noſtris mortuum eſſe, quod certè ſignificare non poteſt, Chriſtum loco peccatorum noſtrorum eſſe mortuum. Itaque utrobique eadem ſignificatio vocis illius agnoſcenda eſt, quæ, ut diximus, cauſa finalis quidem eſt, ſed à qua ſenſus iſte, unius in alte-

rius locum ſubſtituendi, quàm longiſſimè abeſt. Atque ut apertiùs conſtare queat, cum ſcriptum eſt, Chriſtum pro nobis traditum fuiſſe, pro nobis paſſum & mortuum eſſe, nullam pro nobis ſatisfactionem ſignificari, nec ullo prorſus pacto, ſubſtitutionem aliquam noſtri loco ea in re intervenisſe dici, operæ pretium eſt pręcipuos locos, in quibus id ſcriptum eſt, diligentiùs examinare, quos etiam adverſarii ad ſuam iſtam ſatisfactionem ſtabiliendam afferre conſueverunt.

1. *Primus* locus erit, id quod legitur in epiſtola ad Heb. cap. 2. 9. 10. ad hunc modum: *Eum autem, qui modicè quàm anguli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum, ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, multòs filios in gloriam adducentem, Principem ſalutis ipſorum per paſſiones perfectum reddere.* Inquit igitur Apoſtolus, ideò Chriſtum propter mortis paſſionem & gloriâ & honore coronatum fuiſſe, ut beneficio Dei (erga nos videlicet) pro omnibus guſtaret mortem. Ex quo apparet, idcircò potiſſimùm pro nobis Chriſtum mortuum eſſe dici, quòd ejus mortem conſecuta ſit gloria & honor, unde fit, (hocque eſt illud Dei beneficium, ſeu beneficii fructus) ut nos quoque poſt ipſam mortem gloriâ & honore coronandi ſimus. Neque enim fieri poteſt, ut caput ſine ſuis membris ullo in ſtatu ſit, membràve ſua ſibi diſſimilia, ſuarumque qualitatum planè expertia habeat. Ac præterea gloria &

ria & honor, qui Chriſtum poſt mortem conſecutus eſt, ejuſmodi eſt, ut ei poteſtatem nos gloriâ atque honore afficiendi conciliaverit. Atqui ab omni veriſimilitudine prorſus abeſt, ut quis ſuos ſibique chariſſimos aliquo beneficio afficere queat, & id facere negligat, præſertim ſi ea ex re ipſe ſit ſummum aliquod bonum conſecuturus, ut certè Chriſto in nobis gloria & honore afficiendis eveniet. Tunc enim verè qualis quantusq; ſit apparebit. Tunc reverâ omnium hoſtium ſuorum victor & triumphator agnoſcetur. Hinc autem efficitur, ut nos in mediis ipſis calamitatibus alacres ſimus cum animadvertimus, eum, qui Caput & Dux noſter eſt, per eaſdem calamitates ad tantam felicitatem, tantamq; poteſtatem pervenisse. Quod ſi non eſſet nulla ratione in tam difficili curſu perdurare poſſemus. Propterea ait Apoſtolus v. 10. *Decebat enim &c.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt, nos iiſdem perpeſſionibus, eidemque morti ex Dei conſilio obnoxios eſſe, quibus Chriſtus fuit; imò apparet idcircò Deum, in cujus manu ſunt omnia, ut Chriſtus pateretur ac moreretur conſtituiſſe, quia nos, quorum ipſe Dux ad æternam ſalutem futurus erat, jam perpeſſionibus & morti ex ipſius conſilio deſtinati eramus. Quis igitur hîc vel cogitare quidem audeat, Chriſtum vice ſeu loco noſtrûm omnium paſſum & mortuum fuiſſe? Quis item ex eò, quòd Chriſtus pro nobis paſſus & mortuus eſſe dicatur, ſatisfactionem aliquam pro nobis colligi poſſe arbitretur, cùm Apoſtolus eatenus pro nobis

Chriſtum mortem guſtâſſe dicat, quatenus per mortis paſſionem gloriâ & honore coronotus fuit? Unde etiam planiſſimum fit, hîc dictionem *Pro* non *Vice ſeu loco* ſignificare, ſed finalem tantùm cauſam declarare.

2. *Secundò*, ea verba examinanda ſunt, quæ ſcribit Petrus, 1. epiſtola cap. 2. 20. *Si benefacientes & patientes ſuſtinetis, hæc eſt gratia [illegible]pud Deum: in hoc enim vocati eſtis: quia [illegible]hriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vob[illegible]xemplum, ut inſequeremini veſtigia ejus.* [illegible]imùm hinc ſatis conſtare videtur, præci[illegible]um Chriſti paſſionis ſcopum fuiſſe, non [illegible]idē pro nobis ſatisfacere ſed nobis exem[illegible]u relinquere, quòd certè non eſſet, ſi [illegible]ione ſuâ pro nobis ſatis feciſſet. Præci[illegible]s enim finis & ſcopus ipſa ſatisfactio fu[illegible]t, quemadmodū ipſi adverſarii ſentiunt. [illegible]dde, quòd etiamſi de præcipuo fine hîc non ageretur, tamen vix fieri poſſe videtur, ut hi duo fines conveniant, Satiſfacere & Exemplū relinquere, id eſt, ut una & eâdem re & ſatisfiat & ſimul exemplum relinquatur. Satisfactio enim oſtendit, illum pro quo ſatis fit rem illam facere potuiſſe, & jam ab ejus faciendæ obligatione immunem eſſe. Exemplum veró quod relinquatur demonſtrat, eum cui exemplū relinquitur & poſſe & debere rem illam facere. Deinde apertiſſimum eſt, Chriſtum pro nobis paſſū fuiſſe, nullo modo ſignificare poſſe, eum vice ſeu loco noſtrûm perpeſſiones illas expertum eſſe, cùm, ſi non præcipuè, ſaltem inter cætera, propterea paſſus fuerit, ut nobis ad eadem, ſi opus fuiſſet, perpetienda præiret.

Tertium

Tertium locum faciemus Cajaphæ verba, cum inprudens vaticinatus eſt , quæ extant Johan. cap. 11. 49. 50. *Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis,quia expedit nobis,ut unus moriatur homo pro populo , & non tota gens pereat.* Jam verò , ſi rectè intelligere velimus, quomodo, ut ex hac vaticinatione conſtat , Chriſtus pro populo mortuus ſit, Cajaphæ mentem inſpicere oportet , ad eamque tanquam ad typum quendam rem accommodare. Certum autem eſt , Cajapham nequaquam dicere voluiſſe, bonum eſſe,ut Jeſus vice populi,qui jam morti deſtinatus eſſet , moreretur: ſed nihil aliud eum ſenſiſſe , niſi cùm neceſſe eſſet, aut populum perire, ſi Jeſum vivere permitterent, aut Jeſum occidi , ſi populus ſalvus eſſet futurus, præſtare Jeſum ſolum mori, & univerſum populum conſervari , quàm Jeſum ipſum vivere, &univerſum populum perire. Itaque ſimiliter dicendũ eſt, ex hac vaticinatione nequaquam colligi poſſe, Chriſtum noſtrûm vice & loco, qui jam morti propter peccata noſtra deſtinati eſſemus, mortem ſubire debuiſſe:ſed tantummodò , cùm neceſſe eſſet , aut Chriſtum mori , & nos ſervari , aut Chriſtum vivere, & nos perire , ſatius fuiſſe, ipſum mori,& nos omnes ſervari, quàm ipſum vivere & nos omnes perire. Jam enim ſupra demonſtratũ fuit, nos non niſi Chriſti morte interveniente ad ſalutem aſpirare potuiſſe. Verùm , quemadmodum ex ejuſdem Cajaphæ mente non eadem vera erat perditio & ſalus illius populi, quæ ipſius Jeſu: (Populus enim ut Cajaphe videbatur,

debatur, ideò periiſſet, quòd de quiete & auctoritate ſibi à Romanis permiſſa periclitaturus eſſet: Jeſus verò, quod mors ſibi ſubeunda fuiſſet. Populus item, ideò ſalvus fuiſſet, quia auctoritatem ac quietem illam ſibi conſervâſſet: Jeſus verò, quia in vita remanſiſſet.) ſic quoque, non eadem eſt ſalutis & perditionis noſtræ, cum ſalute & perditione Chriſti, de qua hîc agitur, ratio. Salus enim noſtra, vita æterna erat: perditio item, mors æterna. Chriſti verò ſalus, vita hæc temporaria: perditio, mors item temporaria erat. Apparet igitur, nullam ex Cajaphæ verbis ſubſtitutionem Chriſti mortis loco mortis noſtræ elici poſſe, neq; etiam de ſatisfactione aliqua in ejus ratiocinatione agi: ſed id tantùm inde colligi poſſe, idque tantùm in ea dici, Non potuiſſe nos vitam æternam adipiſci, niſi Chriſtus mortuus eſſet; & ita pro nobis mortuum eſſe, Chriſtum nihil aliud ſignificare, quàm Chriſtum mortuum eſſe, ut nos ingenti beneficio afficeremur.

4. *Quartus* locus erit, ex Joh. cap. 10. 11. 15. quibus duobus verſiculis ſimul junctis, apertiſſimè docemur, Chriſtum tanquàm bonum paſtorem animam ſuam pro ovibus, id eſt, pro nobis poſuiſſe. Atqui bonus paſtor, non idcircò animam ſuam pro ovibus ponere dicitur, quia eorum loco moriatur, ſed quia ut illas conſervet, ſi opus eſt, moritur. Neque enim, ſi mortuo paſtore ut oves ſuas conſervarent, oves nihilominùs pereant, propterea is animam ſuam pro ovibus

ovibus poſuiſſe non dicetur. Præterea animadvertendum eſt, in hac parabola ſeu ſimilitudine, *animam ponere* non ſignificare ipſum mori, ſed moriendi periculum adire. Nam ſi Paſtor moriatur, qua ratione conſervabuntur oves, qui ſcopus eſt boni paſtoris? An non paſtoris mors ovium perdendarum maximè propria ratio eſt? Non igitur mortem eligere poteſt bonus paſtor, aut eam volens ſubire, ut oves ſervet: ſed quemadmodum ibidem ait, Chriſtus non eſt ſimilis mercenario, qui viſo lupo ſtatim aufugit, eique oves diſcerpendas & dilaniandas relinquit; ſed ipſum exſpectat ac aggreditur, atque ea ratione, ut oves ſuas, earumque vitam ab ipſo defendat, vitam ſuam in periculum adducere non dubitat. Similiter ipſe Chriſtus, ut nos ab interitu vindicaret, non interiit quidem, neque enim in morte remanſit, alioquin & nos omnes unà cum ipſo periiſſemus, ſed intereundi periculũ, quantum humana mens & ratio aſſequi poterat, ſponte adiit. Morte enim mori voluit, ipſi Deo inprimis execrabili, & ab ipſo derelinqui. Vidit venientem Diabolum, qui interitûs noſtri habebat imperium, Heb. 2. 14. non aufugit, quin imò cum ipſo acriter, prę ſertim verò crucis mortem ſubeundo, conflixit, & tandem ea ratione potentiam abolevit, & ita nos conſervavit. Itaque animam ſuam pro nobis, tanquam bonus paſtor pro ovibus ſuis poſuit Chriſtus, non vice noſtrum moriendo: (nec enim ab ea morte, quam ipſe ſubiit nos vel liberavit; vel liberare voluit,) ſed interitus, qui

nobis imminebat, periculum adeundo, dum ſæviſſimum lupum Diabolum ejusque omnem metum à nobis depellere curat. Ubi etiã animadvertendum eſt, quàm longè abſit id, quod Sacræ literæ prædicant, Chriſtum pro nobis mortuum fuiſſe, ab omni pro nobis ſatisfactionis ſignificatione. Nam quid commune habet mors, quam paſtor bonus pro ovibus ſubire non recuſat, cum ſatisfactione aliqua pro ipſis ovibus?

5. *Quinto* loco diligenter ea perpendenda ſunt, quæ ſcribit Paulus ad Rom. cap. 5. 6. 7. 8. *Etenim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus, ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt. Vix enim pro juſto quis moritur: Nam pro bono forſan quis audebit mori. Commendat autem charitatem ſuam in nobis* Deus, *quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Ex his Pauli verbis, ſi paulò accuratiùs examinentur, ſatis intelligi poſſe videtur, primùm, pro nobis Chriſtum mortuum fuiſſe, nullam pro nobis ſatisfactionem ſignificare: deinde, nec ſubſtitutionem etiam aliquam Chriſti mortis noſtræ mortis loco, ea locutione declarari. Nam quod ad ſatisfactionem attinet, certum eſt, in morte quam pro juſto quis ſubiret, nullam ſatisfactionem ejus generis, cujus fuiſſe volunt Adverſarii ſatisfactionem Chriſti pro nobis, locum habere poſſe. Et tamen hîc à Paulo mors pro juſto per oppoſitionem comparatur cum morte pro impio, & ſic cum Chriſti morte pro nobis: quæ comparatio, vel nulla, vel certè non ſatis apta eſſet, ſi mortuum eſſe Chriſtum

pro

pro nobis, Chriſtum pro nobis morte ſua ſatisfeciſſe ſignificaret. Quocirca certum eſſe poteſt, *Pro nobis* in illis Pauli verbis nihil prætereà ſignificare, quàm *noſtri causâ*. Namque hoc pacto rectè dicitur quis pro juſto mori poſſe, non minùs quàm dicatur pro impio. Quod verò attinet ad ſubſtitutionem mortis Chriſti loco mortis noſtræ, animadvertendum eſt, ex Pauli verbis intelligi poſſe, Chriſtum etiam pro nobis juſtis mori potuiſſe. Atqui ſi juſti fuiſſemus jam per Dei gratiam, qui, ut ſupra alicubi diſputavimus, etiam ante Chriſtum & ſine Chriſto juſtis hominibus omnia peccata ſemper condonavit, ei morti quam nobis noſtra peccata afferunt minimè obnoxii fuiſſemus. Quare Chriſti mortem ejus loco ſubſtituere opus non fuiſſet, imò ne ſubſtitui quidem potuiſſet. Neceſſe eſt igitur, ut in Pauli verbis Chriſtum mortuum fuiſſe pro nobis, aliud ſignificet, quàm ejus mortem loco mortis noſtræ nobis propter peccata noſtra debitæ ſubſtitutam fuiſſe.

Sexto & ultimo loco ejuſdem Pauli verba expendere operæ pretium eſt, quæ habentur 2. Cor. 5. 14. 15. & 1. Theſ. 5. 9. 10. Utrobique enim dicitur, Chriſtum pro nobis eſſe mortuum, ut ipſi vivamus. Nam in poſteriore teſtimonio verba illa *Simul cum illo vivamus*, non vitam æternam, quam cum Chriſto in cœlis victuri ſimus, ſed Spiritualem, quam in terris vivere debeamus, quod ipſi Chriſto vivere dicitur, declarant ibidem antecedentia verba. Jam verò quo ſenſu dictum in utroque teſtimonio 6.

monio

monio fuerit, Chriſtum pro nobis mortuum fuiſſe, explicant apertè prioris teſtimonii verba illa, *ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit:* ſicut enim pro nobis Chriſtum reſurrexiſſe, nullo pacto ſignificare poteſt, ejus reſurrectionem noſtræ reſurrectionis loco ſubſtitutam eſſe, nec per ejus reſurrectionem alia quapiam ratione pro nobis ſatisfactum fuiſſe: ſic etiam Chriſtum pro nobis eſſe mortuum, neutrum iſtorum ſignificare poteſt. Reſtant alii loci, in quibus eadem locutio aut ſimilis legitur quorum quis ſit verus ſenſus, ex iis quæ dicta ſunt facilè intellectu eſt. Id tantùm addam, *Si pro nobis* in ejuſmodi locis *Noſtrûm vice* ſignificaret, cum Chriſtus dicitur dediſſe ſemetipſum, ſive animam ſuam redemtionis pretium pro nobis, neceſſe eſſet, Chriſtum ſive ejus animam captivam noſtri loco remanſiſſe, quo nihil abſurdius dici poteſt. Igitur *pro nobis* in iſtis omnibus locis nihil aliud eſt, quàm *Noſtri causâ.*

Refut. Cap. XX.

Explicatio eorum locorum, in quibus Chriſtus, propter peccata noſtra, vel pro peccatis noſtris, vel pro nobis, traditus, percuſſus, & occiſus eſſe, vel paſſus ac mortuus fuiſſe, dicitur.

SEcunda argumentorum claſſis, quæ ex ſacro verbi divini promtuario profertur, ea continet teſtimonia in quibus dicitur, *paſſus vulneratus pro impiis, pro peccatoribus, pro peccatis noſtris*

noſtris, vel propter peccata noſtra paſſus eſſe: hæc Socino non compenſationem aut ſubrogationem indicant, ſed ſolummodo mortem Chriſti ad utilitatem noſtram fuiſſe comparatam, non aliam relationem inter peccata noſtra & Chriſti paſſionem ponit, quam antea inter redemtionem noſtram & mortem Chriſti. Peccatorum noſtrorum causâ Chriſtum mortuum ait, *ut à peccatis retraheret, fides fieret à peccando ceſſantibus peccata condonatum iri, utque condonationem hanc reipsâ conſequerentur.* Ejuſdem hæc cum ſuperioribus monetæ; multo ſemper circuitu & fluxuoſis ambagibus negotium noſtræ per Chriſtum ſalutis involuit. Servat quidem Scripturæ voces Socinus, rem verò vocibus contentam minimè: ille qui ab eo ponitur reſpectus inter peccata & mortem, non morti proprius & peculiaris, ſed rebus aliis idque compluribus communis, doctrinæ, miraculis, judicio extremo, promiſſioni æternæ vitæ, beatæ reſurrectione ex mortuis. Mors Chriſti ex mente Socini efficaciam habet ad abolitionem peccati propter conſecutam reſurrectionem,& ſupremam poteſtatem cujus beneficio, in adventu & regno ſuo mortem deſtructurus & ſuos æternâ vitâ donaturus; proinde reſurrectio futura & judicium ultimum propiori nexu peccata noſtra attingunt quam ipſa mors; & alexipharmacum peccatorum noſtrorum præcipuum non in morte, ſed in adventu ultimo & beatâ reſurrectione erit reconditum. Itaque nihil prohibebit dicere,nos propter peccata noſtra aliquando excitandos,

tandos,&beatâ immortalitate donandos fore: Chriſtum propter peccata noſtra adventurũ, ad judicandum vivos& mortuos,contra quàm exertè author adHebræos 9.ſcriptum reliquit com.28.*Chriſtus ſemel oblatus ut attolleret multorum peccata; ſecundò abſque peccato conſpicietur ys, qui ipſum exſpectant ad ſalutem.* Quotquot etiam credunt aut reſipiſcunt, propter peccata ſua credunt & reſipiſcunt, & qui perſecutionem patiuntur, pro peccatis ſuis patiuntur; oportet enim nos per multas afflictionesingredi in regnum cœlorum Act. 14. com. 22. *Tunc enim verò juſtificati & à peccatis noſtris abſoluti erimus, cum ab æternâ morte peccati pœnâ vindicati, ad æternam vitam, fuerimus in cœlum tranſlati*, Ut ſcripſit Socin. ſuperiori capite: copioſius hæc demonſtrata ſunt cap. ſuperiori, unde peti poſſunt, quæ hic quis forte deſideret. Mirum verò alias mortis Chriſti cauſas à Prælectore non adferri, quam peccata noſtra, cum non propter peccata noſtra ſolummodo, ſed & propter naturam noſtram ut à Deo creatam, mortuum eſſe Chtiſtum ex Socinianorum ſententià dici poſſit. Smalcius lib. de divinitate cap. 25.ubi de cauſis exaltationis Chriſti.*Revelârat nobis & promiſerat Deus per Jeſum Chriſtum, vitam & immortalitatem. Noſtrum jam erat Deo revelanti & promittenti fidem habere : Sed primùm, quia nimis natura noſtra diſtat à naturâ divinâ: deinde quia nimis hoc arduum erat & captum noſtrum ſuperans, hominem naturâ mortalem, & morti propter propagationem, quam ex Adamo*

habet

habet obnoxium, & morte denique propter ſua ipſius peccata dignum, tam cito adeo aliũ futurum, ut ex mortali immortalis, ex morti obnoxio à morte liber, ex morte digno vitâ æternâ dignus evaſurus ſit: quia denique res iſta planè inaudita erat & ipſa novitas, itaque vix fieri poſſe videbatur, ut iſta fides noſtra firma eſſet, imò facillimè fieri poſſe videbatur, ut homines, ineptitudinis ac indignitatis ſuæ tam multiplicis memores, Deo tantum bonum promittenti, fidem non adhiberent, atque ita omnis opera Dei vana & irrita fuiſſet. Hoc Deus ille ſummè bonus & Pater miſericordiarum providens, noſtram hanc infirmitatem ita juvare dignatus eſt, ut nemo niſi deploratus, fidem Deo habere non poſſit. Parum enim fuit, iſtam Dei promiſſionem de ſalute noſtrâ, Jeſu Chriſti innocentiâ miraculis & ipsâ morte confirmatam fuiſſe. Apparet ex his Smalcii verbis mortem Chriſti confirmatam promiſſionem vitæ, non tantum reſpectu peccatorum, ſed etiam naturæ, quam creatione accepimus. Sed hoc miſſo ad Prælectorem revertamur. Duæ ſunt in hac teſtimoniorum claſſe particulæ, *propter & pro*, ex quarum recto intellectu, non parum roboris accedet argumento ex hoc teſtimoniorum genere formato, quarum ut horum teſtimoniorum vim enervet adverſarius, de utraq; agendum ſibi cenſuit.

Primò agit de particulâ propter, ſecundò de voculâ pro, quo facto ſex ſc. loca ordine pertractat. Dictio propter cauſam ſignificat, peccato & perpeſſionibus juncta ſemper afficientem meritoriam. Deut. 18. 12. *Nam abomina-*

minationi eſt Jehova quiſquis facit iſta: & propter abominationes iſtas Jehova Deus tuus expellit iſtas gentes à facie tuâ. 2. Reg. 23. 26. *At tamen non eſt reverſus Jehova à furore iræ ſuæ maximo, quo accenſa erat ira ejus in Jehudam, propter omnia irri tamenta, quibus irritaverat eum Menaſche. Propter iniquitatem cupiditatis ejus iratus ſum, & percuſſi eum abſcondendo* Eſa. 57. 17. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ diſco opertæ ſunt ſimbriæ tuæ.* Jerem. 13. 22. *Quamobrem etiam tradidit eos Deus cupiditatibus cordium ipſorum* Rom. 1. 24. *ob quæ venit ira Dei ſuper homines contumaces* Col. 3. 6. Communi loquendi more receptum eſt, eo loquendi genere cauſam efficientem meritoriam deſignare ejus mali quod patitur delinquens. Id volunt Judæi *cum dicunt ob blaſphemiam lapidamus te* Joh. 10. 32. Neque quiſquam mortalium aliter acceperit, quam de cauſâ meritoriâ, cum dicitur fures, adulteros, homicidas ob crimina ſua pati. Hæc cum ita ſe habeant, peccatorum punitio iſtâ locutione declaratur, quidquid contra Socinus, qui cauſam tantum occaſionalem eâ ſignificari contendit.

Primum negat ex peccatorum punitione ſatisfactionem pro ipſis conſequi. Objicit exemplum Davidis 1. Sam. 12. 10. 11. 12. Verum ex hoc exemplo non liquet, ſatisfactionem punitioni non adhærere. Aut punitus fuit David pænâ ultionis & punitione rigidè ſic ſumtâ, tum in quantum punitus, in tantum pænam ferendo pro peccato ſatisfecit: Si ergo ſic punitus

punitus fuit, & tamen peccatum illius tranſlatum, non totaliter ſed ex parte tranſlatum fuiſſe, intelligendum eſt. Aut pœnæ iſtæ fuerunt paternæ caſtigationes, quod verius, atq; ita non efficitur, poſſe quempiam puniri pœnâ rigidè ſic ſumtâ, neque tamen ſatisfacere. Secundò ait peccata Hieroboami cauſam occaſionalem non meritoriam ſignificare, quod dicitur non probatur: Peccata Hieroboam dupliciter ſic dici poſſunt, vel peccata quæ inhæſivè in Jeroboam, vel eâ quæ ſubjectivè in Iſraelitis, exemplo illius peſſimo commiſſa. De peccatis in hoc ſecundo ſenſu acceptis conceditur: quod propter iſta populus punitus fuerit, conſequenter ea cauſam efficientem meritoriam fuiſſe, quod ſi in priore ſenſu accipiantur, ne ſic quidem ſuam negationem evicerit adverſarius. Quod adfert de ſignificatione præpoſitionis Hebraicæ *min* apud Eſa. 53. nobis non obeſt. Primò quidem & directè nihil ex eo colligitur, quam peccata noſtra efficientem mortis Chriſti cauſam fuiſſe, ulterius tamen inde per legitimam conſequentiam infertur, intentum effectum peccata noſtra reſpicere. Non poteſt enim intelligi, velle Deum conterere Filium ſuum ob peccata noſtra, neque tamen velle auferre peccata. Cum ergo peccata ſint cauſa antecedens meritoria, mors pœna & compenſatio peccati, firmum iſta argumentum præbent ſatisfactionis pro peccatis. Deinde negare non poteſt prælector, niſi cum umbrâ ſuâ luctetur, colligi ex iſtis teſtimoniis Chriſtum mortuum, ut inde effectus

aliquis peccata noſtra reſpiciens conſequeretur, id enim mox confeſſus, cum mori propter peccata interpretatus eſt causâ vel occaſione peccatorum mori, id verò ipſi eſt ideo mori ut quis à peccatis retrahatur, utque homini fides fiat, ſi à peccando ceſſet, peccata ſibi condonatum iri, ac ut condonationem hanc reipsâ conſequatur.

Deinde venit ad voculam pro, *nam ait cauſam tantum finalem ſignificare* : ego malim iis accedere, qui ſentiunt vocem illam peccato & paſſionibus conjunctam, ſenſum ſemper habere cauſæ efficientis impulſivæ Eſa. 30. v. 12. 13. *Pro eo quod reprobatis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia & in tumultu & innixi eſtis ſuper eo, propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio audens* Jerem. 3. com. 8. *Quia pro eo quo machata eſſet averſatrix Iſrael, dimiſiſſem eam & dediſſem ei libellum repudii* Jerem 50. 7. Hoſ. 8. v. 1. Joel. 3. 19. Am. 5. 11. Rom. 12. com. 17. 1. Theſſ. 5. 15. 1. Pet. 3. 9. Eo etiam ſenſu locutio hæc ſumitur apud probatos latinæ linguæ ſcriptores. Terent. in Eun. *ego pol te pro iſtis dictis & factis ſcelus ulciſcar*, *caſtigare pro commeritâ noxiâ* Plautus dixit. Tullius, *ſupplicia pro maleficiis metuere*. Uſitato apud omnes loquendi modo ferre aliquid aut pati pro peccatis cauſam efficientem ſignat: proinde iſta, Chriſtum pro noſtris peccatis paſſum & mortuum fuiſſe, cauſam ſignant impulſivam, conſequenter finalem; plagas enim noſtras Filio non impoſuiſſet Deus niſi bono noſtro, id eſt ut pro nobis ſatisfieret

ret: ſines quos hic Socinus alios reponit, non agnoſcimus, rationes antea allatæ ſunt.

Cum Chriſtus pro nobis impiis peccatoribus injuſtis mortuus & paſſus legitur, non eſt repudiandus cauſæ impulſivæ ſenſus, eo enim quod mortuus pro peccatoribus, mortuus ut peccator, factus peccatum & execratio, id ergo ſubiit quod nos ob peccatum ferre debebamus. Ad quid recenſet Paulus, eum peccatum non noviſſe, niſi quia pœnas ſubiit nobis peccatoribus debitas. Etſi verò detur dictionem pro ſignificatione cauſæ finalis declarandam, eo non excluditur ſatisfactio, locutiones enim illæ quibus Chriſtus pro nobis mortuus dicitur indicant eum vice ac loco noſtro paſſum, & in locum peccatorum ſubrogatum eorumq; debitum ſatisfaciendo diſſolviſſe: quæ aſſertio non enarvatur eo quod pluribus in locis, quorum non pauci à Socino adſeruntur, cauſa finalis notetur ſolummodo, nullâ habitâ ratione ſatisfactionis, aut tale cauſæ genus, ſive aliquid, quod nihil cum ſatisfactione commune habet. Chriſtum igitur in locum noſtrum ſic ſubrogatum eſſe, Probatur. 1. is ſubrogatur in locum alterius delinquentis, qui id patitur, quod patiendum erat ei, in cujus locum ſubrogatur, atque ita ab eo perpetiendo eum liberat. At ſic eſt Chriſtus ſubrogatus Gal. 3. 13. Rom. 5. 6. 8. 9. 10. 1. Pet. 3. 18. 2. Cor. 15. 21. Objicit Crell, pag 451. *Id quod nos pati merebamur, erat mors æterna, quam Chriſtus nec ſuſtinuit, nec ſuſtinere, decreto divino obſtante, potuit; & ſi ſuſtinuiſſet nos ab æternâ morte non fuiſ-*

 ſemus,

ſemus liberati. Verum reſpondetur dici poſſe Chriſtum paſſũ id quod nos pati merebamur, quia pœnam noſtræ æquivalentem ſuſtinet: pœnæ in pœnam æquivalentem commutatio non tollit ſubrogationem. Vice aut loco Abſalonis David mori potuiſſet, etſi aliud genus mortis ſubiiſſet quam Abſalon 2. Sam. 18. 33. Secundò opponit, *ab eo quod Chriſtus paſſus eſt h.e. morte violentâ, nos haudquaquam liberatos.* Reſpondetur nos ab eâ liberatos, in quantum & ſecundum quod Chriſtus eam pro nobis paſſus. Tertiò ait quod ubi vera ſubrogatio eſt, *is, in cujus locum alter ſuccedit, ipſo facto liberatur, aut pati deſinit, id quod alter ipſius loco facit aut patitur; alias non ipſius locum ſucceſſiſſet alter, ſed una cum illo idem faceret aut pateretur.* Ad hoc objectamentum videatur cap. 17. ubi de modo quo ſatisfactio liberat; ea enim ratio ſubrogationis eſſe poteſt, quæ ſatisfactionis.

Hæc ſententia ſubrogationis & ſatisfactionis per mortem, quam Chriſtus pro nobis ſubiit non eſt rejicienda, quia phraſis iſta pro aliquo animam ponere & pati crebro reſpuat ſignificatum ſatisfactionis: nam & Chriſtiani pro Chriſto patiuntur Phil. 1. 29. & alii pro aliis pati atque animas ponere tum jubentur tum leguntur, nec tamen in hoc caſu ſatisfaciunt aut ſatisfacere poſſunt. Inconſequens eſt paſſionem Chriſti non ſatisfacere quia paſſiones Chriſtianorum pro aliis ſuſceptæ non ſatisfaciunt, proindẹ teſtimonium in. Joan. cap. 3. com. 16. & Pauli coloſſ. 1. com. 24. rem non conficit. Dices quod & à Prælectore attingitur

tingitur in explicatione teſtimonii Joan. *fa-ctum Chriſti nobis in exemplum proponi*, id verò cauſæ noſtræ non obeſt, ſufficit ratio generalis ſimilitudinis, quæ eſt, quemadmodum Chriſtus nobis profuit moriendo, ita & nos teneri expoſitione animæ alios aliis prodeſſe: diſſimilitudo eſt in modo ſpeciali, quod Chriſtus animam ſuam dedit pretium redemtionis in victimam, concludere nolit quamquam ex vi opinionis ejus conſequatur, nos etiam debere animas noſtras ſic dare pro fratribus; aut vice versâ, quia nos id nec facimus nec debemus nec poſſumus, Chriſtum id propterea non feciſſe.

Differt ergo mors Chriſti à morte Chriſtianorum, hoc proprio & peculiari ſibi fine, in Prælectoris verò ſententiâ quidquid contradicat, gradu tantummodo & ſecundum plus & minus, non propriis finibus diſtinguitur. Animadvertendum eſſe ſcribit, *non ita verò ac proprie fratrem pro fratre mori, vel Paulum pro Coloſſ. proque Chriſti Edcleſiâ paſſum fuiſſe, ut Chriſtus pro nobis paſſus eſt*. Cauſas aſſignat duas, *una eſt, quia nec frater revera moritur, nec Paulus affligebatur ſuâ ſponte in hunc ipſum finem ut alicui beneficium aliquod det, etiamſi dum prodeſſe alteri curant, mortem & afflictionem incurrant & pro nihilo ducant. At Chriſtus non modò dum nobis prodeſſe ſtudet, afflictiones & mortem ſubiit, verum etiam in hunc ipſum finem ſponte paſſus & mortuus eſt, ut nos ſummis beneficiis afficeret*. per accidens Reſp. dari caſus in quibus Chriſtianus tenetur ipſum mortem intendere & velle non κατὰ-

συμβεβηκὸς, & proximum ſummo afficiat beneficio. Audiatur Crell. reſp. ad librum Grotii cap. 4. pag. 275. *Poſſet enim nonnunquam arbitrari quiſpiam honeſtiſſimum eſſe pro reo mortem oppetere, præſertim ſi eum credat innocentem: ſic Chriſtianus pro Chriſtiano innocente, ſi vereatur, ne is metu mortis aliquid ſe indignum faciat, aut veritatem divinam abneget, aut ſi eum Chriſtianæ Reipubl. ſeſe putet utiliorem, poßet imò deberet ad pœnam capitalem ſe obligare, itemque filius pro patre, frater pro fratre, amicus pro amico, aut viro aliquo magno, quem digniorem putet vitâ quam ſeipſum, ſi à Magiſtratu talis obligatio admitteretur* 2. ex vi hypotheſium Socini dici poſſet ex eventu mero, non ex conſilio & intentione Chriſti primâ fuiſſe Chriſtũ pati noſtro bono: propoſitum enim Chriſti fuit omnes & ſingulos convertere, quo propoſito impleto, Chriſtus pati & æffligi non potuiſſet, ubi verò humana pervicacia irritum fecit Chriſti propoſitum, locum demum invenire potuit conſilium mortis: Chriſtiani quoque ita ferente neceſſitate, ſponte ſe offerunt ad patiendum ad Dei gloriam & ſalutem hominum promovendam Act 20. 24. Tertiò diſcrimen illud tanti eſſe momenti non poteſt, ut Chriſtus dicatur redemiſſe reconciliaſſe nos, mortuus eſſe pro peccatis noſtris & ſic deinceps, Martyribus in horum fructuum conſortium non admiſſis.

Altera quam adfert cauſa eſt, *quod is verè ac propriè pro alio mori videtur; quia non qualicunque beneficio eum ſuâ morte afficit, ſed inſigni aliquo atque præſtanti, præſertim verò ſi illum in vi-*

tâ con-

tâ conſervat, Chriſtus nos maximo atque præſtantiſſimo affecit, nobisque per ſuam mortem ad immortalitatem ſupremamque potentiam evectus, æternam vitam comparavit, id neminem aut feciſſe aut facere poſſe. At contra eſt quod ad veritatem & proprietatem talis mortis conſtituendam, beneficia ex morte illâ promanantia ex accidente ſe habeant, quia vitam & ſanguinem ſuum in bonum alterius profundere non dubitat, is verè & propriè pro alio mortuus: veritas & proprietas mortis ex intentione & conatu, non ex eventu & apoteleſmate æſtimanda eſt: qui vitam pro patriâ profundit & prodeſſe ſtudet quam maximè etſi res ex voto non ſuccedat, tam verè pro patriâ occubuit, quam qui moriendo patriam rebus feliciter ſuccedentibus, maximo affecit beneficio. Quod verò beneficia, quæcunque ex aliorum morte ſentimus, morti Chriſti accepta ferenda ſunt, id ſimiliter non probat Chriſtianos pro fratribus non verè aut propriè mori: Chriſti mortem eſſe cauſam mortis reliquorum eſſentialem rationem veritatis aut proprietatis non vitiat. Martyres qui aliorum exemplo ad martyrium firmantur, propterea non minus verè aut propriè in bonum aliorum moriuntur. Prętere a mors Chriſti & fratrum ita inter ſe collatæ, ſecundum plus & minus tantum differre reperiuntur. Denique quod Chriſtus primus mori non recuſaverit, monſtrat tantum præcipuas Chriſto deberi, ac propterea non erat, cur Paulus illud prorſus & tantopere refugeret; dicens, unm.; Paulus pro vobis crucifixus?

Sub finem argumentum adfert contra particulæ pro in materiâ ſubjectâ expoſitionem per ſubrogationem, *id verò eſt Chriſtum pro peccatis noſtris eſſe mortuum, quod cum ſignificare non poſſit Chriſtum loco peccatorum noſtrorum eſſe mortuum, neque in hac locutione, quâ pro peccatoribus mortuus dicitur ſubrogationem eſſe*; quæ argumentatio facile profligatur: quis enim non animadvertit, Chriſtum pro peccatis mortuum, non eſſe bono peccati mortuum, ſed ut aboleretur, pro peccatoribus verò eſſe mortuum, non eſt in noxam peccatorum, ſed in ſalutem eorum eſſe mortuum, quare nulla ratio quoque cogit, eandem utrobiq; vocis pro ſignificationem agnoſcere.

Duabus voculis propter & pro ordine excuſſis, ſex ordine loca ſibi examinanda ſumit. Primus locus legitur ad Heb. 2. 9. 10. ubi legitur, *eum autem qui modicè, quam angeli minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum, ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia multos filios in gloriam adducentem, principem ſalutis ipſorum per paſſiones perfectum reddere.* Quamvis in hac verborum collatione, verba illa, *ut gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem*, immediate hęreant iis *videmus Jeſum propter paſſionem mortis, gloriâ & honore coronatum*, per hyperbaton tamen referri poſſunt ad illa, *eum autem qui modice quam anguli minoratus eſt.* Quidam ita reddunt ut conſequentia indicetur, ex eo nimirum quod Jeſus propter mortis paſſionem gloriâ

gloriâ & honore coronatus, conſequi eum pro omnibus guſtâſſe mortem , & pro guſtarent legunt guſtarit. Tranſlatio ex Siriaco etiam habet guſtavit mortem. Quicquid verò de horum verborum ſtructurâ & explicatione ſit, illud tamen Socini ſuſtineri non poteſt dicentis , idcirco potiſſimum Chriſtum pro nobis mortuum dici, quod ejus mortem conſecuta ſit gloria, contra claram & perpetuam Scripturæ authoritatem mortem Chriſti pro nobis cum ejuſdem exaltatione ad Dei dextram confundit : intolerabilis hæc ſynchyſis, niſi quis velit ratione conſequentiæ hæc accipienda eſſe, conſecutum gloriam arguere Chriſtum pro omnibus guſtâſſe mortem. Porro ex eo, quod ſecundum commuem omnium legem & rationem quâ Deus filios ſuos ſolet in gloriam adducere, Chriſtus in principem ſalutis conſecratus eſt ut habetur com. 10. infert, quis hic vel cogitare audeat, *Chriſtum vice ſeu loco noſtrûm omnium paſſum & mortum fuiſſe*. Quid ita? An quia paſſiones membris & capiti communes? ſunt quidem at non ſimpliciter ſed ſecundum quid , Chriſtus factus pro nobis peccatum, nos non; Chriſtus factus pro nobis execratio, nos non: Chriſti fletus tremores paſſio ſunt noſtris peccatis æquivalens: in illa paſſionis μορφῇ nemo illi Socius aut conſors , hinc Chriſtus mortem adeo exhorruit , quam tot Martyres animoſe ſubiêrunt. Alterum quod ex hoc teſtimonio in nos torquet argumentum ſine viribus eſt, latet in eo principii petitio, Apoſtolum docuiſſe Chriſtum pro nobis eatenus

formâ

guſtâſſe mortem, quatenus per mortis paſſionem gloriâ & honore coronatus fuit: mira metamorphoſis, mortem guſtare, eſſe, vivere vitam glorioſiſſimam in cœlis cum ſupremâ poteſtate conjunctam, quapropter hinc minimè planum fit dictionem pro non vice ſeu loco ſignificare; ſed finalem tantũ cauſam declarare.

Nihilo validiora ſunt iſta, quæ ex teſtimonio Petri 1. Epiſt. cap. 2. com. 20. proferuntur. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis relinquens vobis exemplũ ut inſequeremini veſtigia ejus*. Hic fruſtra contendit exemplum relinquere præcipuum paſſionis Chriſti ſcopum eſſe; alii ſubinde narrantur fines mortis Chriſti & morti non minus attribuuntur, quam exemplum relinquere, qui fines propterea non pręcipui, aut tot oporteret ſtatuere præcipuos fines, quot ſunt fines quare inconſequens eſt ſatisfactionem finem præcipuũ paſſionis non eſſe. Putat ulterius hos fines in una & eadem re concurrere non poſſe, *ſatisfacere & exemplum relinquere*, quid ita? quia ſatisfactio oſtendit illum, pro quo ſatisfit, rem illam facere non potuiſſe, & ab ejus faciendæ obligatione immunem eſſe. Exemplum quod relinquitur demonſtrat eum cui relinquitur & poſſe & debere rem illam facere. Ad hoc ſciendum eſt, opus paſſionis diverſos reſpectus & habitudines induere, ac propterea fines iſtos in uno & eodem opere concurrere poſſe, quatenus opere illo ſatisfactio præſtita, & noſtra redemtio reconciliatio, peccatorumque noſtrorum expiatio procurata eſt, ſecundum hoc opus illud neque facere poſſumus, neque

ad id

ad id faciendum obligati ſumus : quatenus vero Chriſtus ſummam patiendo tolerantiam exhibuit, Chriſtiani & fideles omnes ex vocatione Dei, eam imitari tenentur, & pro menſurâ donationis gratiæ Chriſti imitantur. Ita ſane ſatisfacere & exemplum relinquere in unâ & eadem re concurrere poſſunt, quemadmodum peccato ſurſum ferre in corpore ſuper lignum, & exemplum relinquere; utrumque hoc Chriſtus patiendo fecit, teſtante Petro, neque negare poteſt Prælector; non minor hic repugnantiæ ſpecies, quam in prioribus; etenim portatio peccatorum in corpore Chriſti ſuper lignum, oſtendit illos pro quibus id fit, rem illam facere non potuiſſe, & ab ejus faciendæ obligatione immunes eſſe; exememplum verò demonſtrat utrumq; oppoſitotum & poſſe & teneri: hæc cum in concordiam redigere poſſit Prælector, etiam ii quas impugnat ſatisfacere & exemplum relinquere. Tertiò quamquam Chriſtus paſſione ſuâ in locum noſtrum ſubſtitutus, paſſio tamen ejus in exemplum nobis eſſe poteſt, contra quã exiſtimat & ſcripſit ad hunc locum Petri Socinus quia enim vices noſtras ſubiit, & nos à maledictione & exitio liberavit æquum eſt ut veſtigia ejus inſequamur, torcular pro nobis calcans egregium nobis exemplar præſcripſit, quod per crucis tolerantiam omnibus Chriſtianis pro viribus imitandum. Etenim paſſiones dupliciter conſiderandæ veniunt, vel quâ ſunt propriæ Chriſto, vel quâ communes Chriſto & membris ejus, quatenus Chriſto ſunt propriæ, à nobis

à nobis in Chriſtum tranſlatæ, eaſque paſſus ne nos pateremur, liberavit enim nos à maledictione, quâ ſunt communes Chriſto & membris, Chriſtus paſſus eſt ut dux & præcurſor noſter, ut nobis patiendi formam & exemplum relinqueret. Utrumque ergo verum eſt, Chriſtum eſſe paſſum ne pateremur, & paſſum eſſe ut pateremur, diverſo ſenſu, quod Socinus quoque, ni fallor, ex mente ſententiæ ſuæ loquens, negare non poterit.

Tertius quem in medium adfert locus eſt Joan. 11. 49. 50. *Vos nihil ſcitis, nec cogitatis conducere nobis ut unus homo moriatur pro populo & tota gens non pereat.* Ex his Cajaphæ verbis ex mente & ſenſu Sp. S. intellectis, qui linguam ejus flexit, ut ſub ambiguis verbis vaticinium ſimul ederet, optimè & concinnè ſubſtitutio Chriſti mortis, loco mortis noſtræ elicitur. Etenim quatenus hæc verba Cajaphæ Pontificis cæleſte continent oraculum de myſterio mortis Filii Dei, non eſt dubitandum, quin à Sp. S. ſit conſideratus ejuſmodi populi interitus, cui populus ille jam propter peccata ſua deſtinatus eſſet. Accedit cum ex mente vaticinii Chriſtus moriturus eſſet pro gente, quæ ſub reatu perditionis ob peccata ſua, ſubſtitutionem veram hic indicatam fuiſſe, cum locutiones illæ quas paſſim in ſacris uſurpat Sp. S. ad hoc negotium explicandum, ſubſtitutionem ejuſmodi ingerant, ut ſupra demonſtratum eſt. Quamquam verò à Cajapha iſtiuſmodi exitium populi non ſit conſideratum, cui is jam eſſet deſtinatus, ſed qui illi Chriſto incolume

manente

manente metuendus, ſufficit ad noſtræ poſitionis vim eam eſſe oraculi mentem, quam dixi, neque neceſſe eſt, quæ ex hoc vaticinio elicimus Cajaphæ menti ad amuſſim reſpondere. Concludimus ergo per antitheſin, ex hac vaticinatione colligi poſſe, Chriſtum noſtro loco, qui jam morti propter peccata deſtinati eſſemus, mortem ſubire debuiſſe.

Alterum Socini argumentum, quo motus negat ex hoc teſtimonio ſubſtitutionem veram & proprie dictam aut ſatisfactionen extrui poſſe eſt, *quod perditio & ſalus noſtra & Chriſti non ſit unius & ejuſdem rationis: noſtra inquit ſalus vita æterna erat, perditio mors æterna: Chriſti verò ſalus vita temporaria, perditio mors temporaria.* Quod de ſalute noſtrâ & Chriſti dicit nihil ad rem, neque enim quæritur, de ſubſtitutione ſalutis Chriſti, in locum ſalutis noſtræ, aut vice verſâ ſed de commutatione & ſubſtitutione mortis Chriſti in locum mortis noſtræ. Exiſtimat Prælector nullam hîc veram ſubſtitutionem aut ſubrogationem eſſe, eam enim intelligit ut mentē autoris exponit Crell. pag. 469. reſp. ſuæ ad librum Grotij de ſatisfactione, quia mors Chriſti & noſtra non eſt ejuſdem rationis. At negamus pœnæ in pœnam æquivalentem commutationem tollere veritatem aut proprietatem ſubrogationis, aut propter talem permutationem dici non poſſe, nec debere Chriſtum vice aut loco noſtro paſſum eſſe; quod ſi verò præfractè urgeant adverſarij, hoc ipſo impropriam ſubſtitutionem dicendam eſſe, quandoquidem tum de ſolo nomine

nomine lis erit, nemo contentioſè obluctabitur, dùm interim in re ipsâ ſit conſenſio. In quarto qui hîc profertur loco, qui extat cap, 10. Joh.com. 11-15. Chriſtus ſe bono paſtori comparat, *qui animâ ſuam pro ovibus ſuis ponit*, omnis verò comparatio ſuos habet terminos, extra quos ſine vitio non extenditur; quod & in hac comparatione obſervari oportet; quapropter quædam bono paſtori poſſunt competere, quæ in Chriſtum non quadrent, & vice verſa, quædam Chriſti paſtoris eſſe poſſunt, quæ terrenis paſtoribus minime conveniant: paſtor bonus loco ovium non moritur, ergo nec Chriſtus. Paſtor bonus mortem pro ovibus ſubire non recuſans, non ſatisfacit pro ovibus ergo nec Chriſtus Paſtoris boni ſcopus & conſilium non eſt mori pro ovibus, ſed tantummodo neceſſitate ita ferente, mortis periculum adire: curat bonus paſtor quantum poteſt ut evadat ſalvus, ita ut ſi aliter contingat non ex ejus conſilio & intentione, ſed ex accidente & eventu tantum eſt, ut bene monet noſter hoc loco ſcribens, *Non igitur mortem eligere poteſt bonus paſtor, aut eam volens ſubire, ut oves ſervet*, nemo hic rectè intulerit neque Chriſti conſilium aut ſcopum fuiſſe, mortem pro ovibus oppetere. Paſtoris terreni mors ovium exitium eſt, Chriſti paſtoris mors, ſalus noſtra. Hinc dicitur Theologiam parabolicam non eſſe argumentativam. Quicquid ergo Prælector ex hac ſimilitudine educit contra ſubrogationem aut ſatisfactionem Chriſti inefficax eſt, dum non probatur, com-

comparationem intendere aut inferre paritatem terreni & cœleſtis paſtoris, in hoc de quo quæritur. Adſert illud Prælector *Chriſtum tanquam bonum paſtorem animam ſuam pro ovibus non poſuiſſe, vice noſtrum moriendo, quiâ ab eâ morte quam ipſe ſubijt nos nec liberavit nec liberare voluit.* At id in pręcedeniibus non ſemel jam diſcuſſum, latet in eo ſophiſma à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, quà enim mors illa maledicta fuit peccatorum pœna & eorundem expiatio, eatenus nos morti cum Chriſto obnoxii non ſumus, quatenus verò illa mors dolorifica & ignominioſa eſt adferens animæ & corporis diſſolutionem, eatenus adhuc fideles moriuntur, exſpectantes ejus abolitionem per glorioſam ex mortuis reſurrectitionem. Nihil ergo eſt in hac oratione Chriſti de bono paſtore, ex quo ſubſtitutio & ſatisfactio refelli poſſit, imò ex eo, quod Chriſtus animam ſuam pro ovibus ſuis poſuit, prædicta ſubſtitutio & ſatisfactio confirmatur, ſi locus hic exigatur ad eos Script. locos, ubi plenius ratio ſalutis noſtræ per Chriſtum exponitur & à Sp. S. declaratur, deſcriptione objecti, cauſarum, effectuum, aliarumque rerum, quæ ad plenam & planam totius myſterii intelligentiam conducunt. Ex quibus etiam plus quam manifeſtum eſſe poteſt, quamquam verum ſit, terrenum paſtorem boni paſtoris officio fungi, etſi mortem reipsà non oppetat, ſed mortis periculum animosè ſubeat, cœleſtem tamen noſtrum paſtorem animam ponere non potuiſſe, niſi moreretur, ſic enim ipſe optimus verborum

borum ſuorum interpres, animam à ſe deponendam ipſà morte voluntariâ declarat com. 17. 18. opponens morti voluntariæ mortem per alienam vim illatam, & ut aſſumtio animæ eſt vivificatio ex mortuis, ſic ponere animam eſt mori: Hanc vero animæ ſuæ poſitionem in animo habuiſſe Chriſtum, quum ſe bonum paſtorem deſcriberet, qui animam ſuam pro ovibus ſuis poneret, nullum poteſt eſſe dubium.

Ex loco illo ad Rom. 5. com. 6. 7. 8. nullam ſatisfactionem elici poſſe arbitratur, eo quod in morte, quam quis pro juſto ſubiret, nulla ſatisfactio ejus generis, cujus fuiſſe volunt adverſarii ſatisfactionem Chriſti pro nobis locum habere poſſet. Primò hac aſſertione affirmatur id cujus oppoſitum eſt verius. Si quis pro Chriſtiano pateretur, & pœnas ferret illi à judice impoſitas ob crimen religionis, tum ſanè ſatisfactio ejus generis, cum eâ de quâ quæritur locum haberet. Tertull. Apologetic. cap. 2. *Chriſtianis ſolis nihil permittitur loqui, quod cauſam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injuſtum, ſed illud ſolum exſpectatur, quod odio publico neceſſarium eſt, confeſſio nominis, & non exſpectatio criminis, quia nimirum audito hoc ſolo, Chriſtianus eſt, damnatio pronuntiabatur.* Deinde etſi in morte pro juſto nulla poſſit eſſe ſatisfactio, mors verò Chriſti pro peccatoribus ſit ſatisfactoria, nulla hinc pullulabit ineptitudo comparationis mortis Chriſti cum morte pro impio per oppoſitionem à Paulo factæ. Optimè conſtare poteſt comparatio mortis pro juſto cum morte

Chriſti

Chriſti pro impio, etiamſi in hoc poſteriori mortis genere actus quidam contineatur, qui nullo modo reperiatur in morte pro juſto: mors pro juſto ex mente Socini victima non eſt, mors Chriſti pro nobis impiis victima & oblatio pro nobis, quid ergo in hac comparatióne incommodi, quod poſterior mors ſatisfactoria non prior; voluit Apoſtolus hac comparatione exaggerare immenſitatem divinæ charitatis, quod ea major & excellentior quam inter mortales reperiatur, hoc intendiſſe Paulum hac comparatione ex ipſius contextus verbis eſt clariſſimum, *commendat autem ſuam* inquit *erga nos charitatem Deus, eo quod quum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit*, humana & divina charitas tanquam imparia conferuntur, quæ collatio per actum ſatisfactionis morte Chriſti præſtitum ne gry quidem læditur. Quemadmodum verò verba hæc Paulina ex mente Prælectoris ſatisfactionem repudiant, ita & ſubſtitutionem, id verò ſibi perſuadet Paulo affingens cerebri ſui conceptus. Etenim Chriſtum pro nobis juſtis mori potuiſſe nullâ legitimâ arte & induſtriâ ex Pauli verbis exprimatur. Id profecto inopinatum quid in Pauli Theologiâ, Chriſtum pro nobis juſtis & morti ob peccata non obnoxiis mori potuiſſe, ſic enim fruſtra & ſine ſufficiente causâ mori potuiſſet, quod probatur Apoſtoli authoritate, qui ad Gai. 2. com. 21. ſcriptum reliquit *irritam non facio gratiam Dei, nam ſi per legem eſt juſtitia, igitur Chriſtus δωρεὰν ἀπέθανεν*, ſi per legem patet juſtificationis via, fruſtra aut ſine causâ mortuus

via, colligit Chriſtum ſine cauſâ mortuum eſſe ad eam quæ per Euangelium retegitur juſtitiam nobis acquirendam. Jam verò ſi per legem juſtitiam non conſequamur, ejus tamen conſequendæ alia extat via ſine Chriſto, idem abſurdum conſequens, ex talis viæ extra Chriſtum poſitione enaſcetur non enim aliam ob cauſam ſententia illa, de juſtitiâ per legem, irritam facit gratiam & mortem Chriſti ſupervacuam, quam quia eo poſito beneficio legis habemus id, quod gratia Euangelica & mors Chriſti conferre potuiſſent aut debuiſſent. Dato & conceſſo itaque per aliam viam extra Chriſtum & ſine Chriſto juſtitiam nobis contingere potuiſſe, neceſſe erit, aut Paulum non bene argumentatum eſſe, aut illud abſurdum conſequens iſti etiam ſententiæ impingi poſſe Subruto verò hoc paradoxo& mirabili decreto de juſtis & non peccatoribus, pro quibus mori poſſitChriſtus,ſuperſtructa etiam ſponte corruere neceſſe eſt. De juſtificatione per Dei gratiam, ante Chriſtum, ſine Chriſto,cujus rei hic iterum meminit Socinus, nihil dicam, de eo in antecedentibus diſputatum.

Poſtremo loco Pauli verba adferuntur 2 cor. 5. 14. 1. Theſſ. 5. 9. 10. In teſtimonio priori non minus ſuſcitatus dicitur pro nobis, quam mortuus, Chriſti pro nobis reſurrectio, neque ſubſtitutionem, neque ſatisfactionem arguit, pari ratione Chriſtum pro nobis eſſe mortuum, neutrum iſtorum ſignificare poteſt. Primò in Chriſti pro nobis reſurrectione, ſubſtitutio etiam quædam eſt: vita & immortalitas,

litas, quam Chriſtus reſurgendo aſſecutus, noſtra quodammodo vita & immortalitas ex Dei beneficio eſt. 2. cum bona prælegentis veniâ, ſequela argumentationis negari poteſt, quamquam enim Chriſtus & mortuus & reſuſcitatus ſit pro nobis, magna tamen poteſt eſſe inter rationem mortis & reſurrectionis differentia, ſicuti magna in eo eſt differentia agnoſcente Prælectore, quod Chriſtus animam ponat pro nobis & nos pro fratribus; Chriſtus ponendo animam redimit & expiat, Chriſtiani tamen pro fratribus ponentes animam, neutrum faciunt. Ut ergo Chriſtus & Chriſtiani eadem phraſi ponere dicuntur, multum diverſo ſenſu, ita & Chriſtus pro nobis mori & reſurgere dicitur, eodem quidem loquendi genere, ſignificatione tamen multum diverſâ. 3. Chriſtus ſanguine ſuo pro nobis fuſo dicitur redemiſſe nos, reconciliâſſe Deo, non verò reſurrectione id præſtitiſſe, ſuadente ergo ratione, diverſo ſenſu accipimus Chriſtum pro nobis mortuum & reſuſcitatum.

CAP. XXI.

Locorum, in quibus Chriſtus peccata noſtra portâſſe dicitur, & ſimilium explicatio, & quòd ad ſatisfactionem pro peccatis noſtris confirmandam nihil momenti habeant, demonſtratio.

SEquitur, ut de iis Sacrarum literarum teſtimoniis agamus, ubi ſcriptum eſt, Chriſtum portâſſe peccata noſtra, aut aliquid ſimile. Et

primùm quidem fatemur, locutionem hanc *portare*, *ſeu ferre peccatum* ſive iniquitatem idem ſignificare ſolere, quod *peccati pœnas dare*, ſive ut verbum verbo reddamus, *peccati pœnam ferre*. Peccati enim & iniquitatis nomine in hujuſmodi locutionibus, peccati & iniquitatis pœna potiſſimum ſignificatur. Quodcirca, ſi hoc ſenſu dictum fuiſſet, Chriſtum tuliſſe, ſeu portâſſe peccata noſtra, dicendum videretur, Chriſtum peccatorum noſtrorum pœnas ſuſtinuiſſe, & ob eam cauſam pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe. Verùm non ſemper hoc ſignificat locutio iſta, ſed interdum *peccatum auferre* ſignificat, id eſt, potiſſimum peccati pœnam. Auferuntur autem peccata ſeu pœnæ peccatorum alia etiam ratione, quàm per ſatisfactionem. Imò, ut ex infra dicendis apertiùs cònſtabit, nunquam apud Deum per ſatisfactionem ablata peccata fuiſſe leguntur. Jam verò *peccata portare* idem nonnunquam ſignificare quod *peccata auferre*, oſtendunt manifeſtè hi duo loci: Exod. 34. 7. Num. 14. 18. in quibus ſecundùm Hebraicam veritatem Deus dicitur portare peccatum & iniquitatem, id eſt, auferre, ut ipſa vulgata editio habet, Eſt enim in Hebræo verbum *Noſe* quod Portare propriè ſignificat, quo quoque in ea locutione, cum etiam pœnas ſuſtinere declarat, uti ſolent Sacræ literæ. Eſt autem ſignificatio hæc verbi Portandi inde ducta, quòd qui aliquid aufert, tantisper dum illud deponat aut abjiciat, id portare ſoleat: quo factum eſt, ut verbum Græcum βαστάζω, quod ſine dubio propria ſignificatione

tione nihil aliud eſt quam bajulo, cum Auferendi ſignificatione apud ipſos Sacros ſcriptores inveniatur. Nam Johan. 20. 15. verba illa, *Si tu ſuſtuliſti eum dicito mihi, ubi poſuiſti eum*, in Græco ſic leguntur: εἰ σὺ ἐϐάστασας αὐτὸν εἰπέ μοι, ποῦ αὐτὸν ἔθηκας. Cum igitur apud Eſaiam ſcriptum legimus de Chriſto, cap. 53. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*, non eſt intelligendum, Chriſtum omnes pœnas noſtris peccatis debitas ſuſtinuiſſe: (id enim, ut ante oſtenſum eſt, nec factum fuit, nec fieri ullo modo potuit) ſed Chriſtum morbos noſtros, id eſt, peccata abſtuliſſe, ab iiſque eâ ratione potiſſimùm, quâ cum de redemtione ageremus, expoſitum eſt, nos redemiſſe ac liberâſſe: quamvis in Hebræo verbum portavit ſit *Sabbal*, quod propriè bajulare & ferre, ut jumenta onera ſolent, ſignificat. Quod ſi quis adhuc hac de re dubitat, conſulat Mat. cap. 8. 16. 17. & inveniet Euageliſtam illum, vaticinationem iſtam Eſaiæ, tunc impletam fuiſſe dicere, cum Chriſtus omnes malè habentes curaret. Quemadmodum igitur languores noſtros tuliſſe, & dolores noſtros portâſſe dicitur, cum omnium ægrotorum morbos abſtulit: ſic ad ſpirituales morbos, ut fieri quidem debet, Prophetæ dictum pariter accommodando, idem feciſſe Chriſtus dicendus eſt, cum à nobis peccata omnia, id eſt, ut dictum fuit, potiſſimùm eorum pœnas atq; reatum abſtulit, quod non modò ratione ante expoſita ab ipſo factum eſt, quatenus ſcilicet viam, iræ divinæ, hoc eſt, ſupplicii peccatis conſtituti effu-

giendi,per proprii ſanguinis effuſionem oſtendit ac confirmavit, & poteſtarem nos in perpetuum ab eo aſſerendi eſt adeptus: ſed etiam quatenus ipſe auctoritate ſibi à Deo conceſſa, cuicunq; voluit peccata dimiſit&condonavit. Nam de Deo ipſo quoque, ut vidimus,dictum eſt, eum *auferre* peccata, nempe quia illa dimittit atque condonat. Propterea Paulus ad Coloſ. cap. 3. 13. ſcribens, ait, Chriſtum nobis condonâſſe, videlicet peccata. Quod quomodo intelligendum ſit, declarat locus iſti reſpondens, ad Eph. cap.4.in fine, ubi ſcriptum eſt, Deum in Chriſto,id eſt,per Chriſtum condonâſſe: Ex quo perſpicuum eſt,Chriſtum non ut æternum Deum, ſed ut mediatorem peccata condonâſſe, tantum abeſt, ut tanquam mediator pro ipſis ſatisfecerit. Quid enim commune habet condonatio cum ſatisfactione? aut,Quomodo fieri poteſt,ut qui peccata condonat,idem pro ipſis ſatisfaciat? Chriſtum autem, ut mediatorem & hominem peccata dimiſiſſe, planiſſimum præterea facit hiſtoria illa de paralytico per eum ſanitati reſtituto, ubi apud omnes tresEuangeliſtas,à quibus ea narratur,ſcriptum eſt Chriſtum dixiſſe,filium hominis poteſtatem habere peccata dimittendi in terra; & apud Matth. cap. 9.8. legitur,paralytico ſanato, quod effectum & ſignum fuit ab ipſo Chriſto prædictum ejus poteſtatis, à turbis glorificatum fuiſſe Deum, qui tantam poteſtatem hominibus dediſſet. Cæterùm, ex hac hiſtoria animadvertendum eſt, Chriſtum tunc etiam, cum hic mortalis ageret, non ſolùm

Eph. 4. 32.

Matth. 9.6. Marc. 2. 10. Luc: 5. 24.

lùm peccata remittendi poteſtatem habuiſſe, quatenus à quocunque ipſe voluit peccatorum reatus ablatus fuit; ſed etiam, quatenus reipsâ poteſtate ſibi tradita,plenum effectum liberationis à peccatorum pœnis præſtare poterat. Sed hoc inter utramq; iſtam remiſſionem peccatorum intererat, quòd prior ad omnem prorſus peccatorum reatum pertinebat· poſterior verò ad eas tantùm peccatorum pœnas pro eo tempore pertinebat, quæ in hac vita à Deo infliguntur. Neque enim Chriſtus vitam æternam conferendi, & ſic à morte peccatorum pœnâ reipsâ liberandi poteſtatem reverâ ante adeptus eſt, quàm propter obedientiam ſuam vim ſibi ſubjiciendi omnia eſt conſecutus. Quomodo autem vitam æternam reipsâ is dare potuiſſet, & ab æterna morte alios liberare, qui ipſe mortalis eſſet, cuique opus fuiſſet preces & ſupplicationes ei offerre, qui ipſum poterat liberare à morte? Heb. 5. 7. Hinc eſt, quòd cum Phariſæis diceret, ſe habere poteſtatem dimittendi peccata, quia de poſteriore hac remiſſione loquebatur, quâ pœna ipſa peccati aufertur, addit illa verba *in terra*, quæ ut ex Marco liquet, non cum verbis *poteſtatem habere*, ſed cum verbo Dimittendi cohærent. Dimittere igitur omninò peccata jam poterat Chriſtus, id eſt, peccatorum pœnas reipsâ auferre, ſed in terra tantùm, id eſt, in hac vita mortali. Nam in cœlo quoque hac ratione peccata dimittere, id eſt, ad cæleſtem vitam reipsâ transferre, tum demum potuit, cum illi omnis poteſtas in cœlo& in terra da-

 ta eſt,

ta eſt, quod poſt reſurrectionem factum eſſe, & ipſe Matth. 28. 18. ſatis docet, & planè inter omnes conſtat. Verúm hæc obiter hoc loco. Ex prædictis autem, præſertim verò ex Matth. cap. 8. teſtimonio ſatis apparet, quæcunque apud Eſaiam cap. 53. leguntur de Chriſto, quòd portaverit ſeu tulerit peccata noſtra, ad peccatorum ablationem referri debere, non autem ad pœnurum illis debitarum perpeſſionem. Nam Vatablus quoque ad finem capitis in verbis illis, *Et ipſe peccatum multorum tulit*, verbum *tulit*, ſuſtulit interpretatus eſt. Quoniam igitur Chriſtus ſuſtulit, id eſt, abſtulit peccata noſtra, idcircò ea portâſſe ſeu tuliſſe dicitur, præſertim cum, ut ſupra innuimus, elegans hîc ſit metaphora, ab iis qui aliquod grave onus à quopiam auferunt: tantiſper enim dum illud deponant, aut abjiciant, ipſi id ferre ſolent. Quæ metaphora in ipſis peccatis auferendis, oculis quodammodo expoſita fuit populo Iſraëlitico in hirco illo emiſſario, de quo Levit. cap. 16. ubi v. 22. dicitur hircus ille portâſſe ſuper ſe omnes iniquitates populi in terram deſertam. Certiſſimum enim erat, hircũ illum nullo prorſus modo inquitates populi ſuper ſe habere poſſe. Verùm, quia ea interveniente ceremonia, populi peccata auferebantur, propterea dicebatur hircus ille portare ſuper ſe peccata populi. Perinde enim erat, ac ſi populi peccata ejuſmodi fuiſſent, quæ ſuper hircum illum poni potuiſſent, iſq; ea in locum illum deſertum ſecum apportâſſet. Propterea ibidem ſcriptum eſt, v. 21. Aaro-

Matth, 8. 16. 17. Eſa. 53. 4. 5. 6. 11. 12.

Aaronem antequam hircus amandaretur, debuiſſe in illo omnia populi peccata ponere. Hinc perſpici poteſt, in quem ſenſum accipienda ſint Eſaiæ verba,(ſi ea ita legenda eſſent, ut leguntnr in vulgata editione)dum ait, *Deum poſuiſſe in Chriſto iniquitatem omnium noſtrûm:* Esa. 53. 6.
Nempe, non reverà peccata noſtra, ſive eorum pœnas in Chriſto poſitas fuiſſe, sivé noſtra peccata fuiſſe imputata, quod (ut etiam ex iis quæ infra dicenda ſunt conſtabit) nullo modo fieri potuit: ſed perinde fuiſſe, ac ſi peccata noſtra in Chriſto fuiſſent à Deo poſita, eaque ille ſecum aliquò aſportâſſet, unde in nos redire ampliùs non poſſent. Sed præterea ſciendum eſt, Hebræa verba aliter, quàm à vetere Interprete factum ſit, reddi Latinè debuiſſe. Verbum enim, quod ille convertit *Poſuit* eſt *Hiphgiah* quod verbum *occurrere*, vel *occurrere facere* propriè ſignificat, & per tranſlationem *precari* vel *precari facere*. Eſtque locus huic planè ſimilis apud Jeremiam cap. 15. 11. ubi videlicet verbum *Hiphgiah* eodem prorſus modo conſtructum reperitur, & de Deo, ut hîc, ſimiliter dictum. Quo in loco neceſſe eſt, ut verbum iſtud *occurrere*, vel *occurrere facere* per tranſlationem *precari facere* ſignificet: nam ut ſignificet *precari*, cùm de Deo dicatur, (ſicut neque hic ob eandem cauſam) nulla ratione fieri poteſt. Porrò ſignificatio illa *Precari facere* in loco noſtro locum habere non poteſt, alioqui ſequeretur Eſaiam potuiſſe dicere, Deum feciſſe, ut omnium noſtrûm iniquitas Chriſtum vel pro Chriſto precata fuerit, quod

longè abſurdiſſimum eſſe, nemo non videt. Reſtat igitur ut vel *occurrere*, vel *occurrere facere* id verbum hoc loco ſignificet. Quod ſi *occurrere* ſignificat, ſenſus omninò eſt, Deum in Chriſto hoc eſt per Chriſtum vel cum Chriſto occurriſſe iniquitati omnium noſtrûm, id eſt, ſeſe illi oppoſuiſſe, & ejus impetum quodammodo à nobis avertiſſe, atque ea ratione nos ab omnibus malis quæ inde nobis imminebant, liberâſſe. Atque hanc crediderim ego veram loci ſententiam eſſe, præſertim cum antecedant verba illa: *omnes nos, tanquam oves erravimus*. Nam in loco etiam illo apud Hie-

Jerem. 15. 11. remiam ſenſus omninó videtur eſſe, Deum per Hieremiam, hoc eſt, per populum Judiacum, cujus perſonam ille ibi ſuſtinebat, ſeſe inimico, hoc eſt, Nabuchodonoſori oppoſiturum eſſe, afflictionis & anguſtiæ tempore, eaque ratione ejus impetum ab Hieroſolymis averſurum, malaque omnia inde urbi illi imminentia depulſurum, quæ tamen loci ſententia, neſcio an ab aliis animadverſa fuerit. At verò ſi verbum *Hiphgiah* in loco noſtro *occurrere facere* ſignificare velimus, ſententia erit, Deum effeciſſe, ut peccata noſtrùm omnium Chriſto obviam ſint facta, eumque quodammodo fuerint aggreſſa, cùm noſtrorũ peccatorum causâ eum mori voluerit; & ſic meritò dici poſſit, peccata noſtra Chriſti mortem attuliſſe, quod quid ſit, jam anteà vidimus, indeque nullam pro peccatis noſtris ſatisfactionẽ colligi poſſe docuimus. At enim (inquiet aliqùis) ibidem

Eſa. 53. 5. apud Eſaiam ſcriptum, eſt, caſtigationem pacis

cis noſtræ ſuper Chriſtum fuiſſe, quod ſatis oſtendere videtur, in Chriſto fuiſſe punita peccata noſtra, atque ea ratione ea ipſa peccata, id eſt, eorum pœnas in ipſo poſitas, unde factum ſit, ut nos pacem habuerimus, & cum Deo in gratiam redierimus, eique reconciliati ſimus. Reſpondeo, Caſtigationis verbum hoc apud Eſaiam loco non punitionem ſignificare, ſed afflictionem, id quod antitheſis verbi Pacis ſatis demonſtrat: neq; enim rectè paci punitio opponitur, ſed afflictio rectiſſimè. Siquidem pax apud Hebræos, ſæpè nihil aliud, quàm quietem & felicitatem declarat. Caſtigationem autem pro afflictione ſumi (ii enim qui caſtigantur, affliguntur) docet Pſal. 73. 14. ubi ſcriptum eſt: *Et fui flagellatus tota die, & fuit caſtigatio mea ſingulis matutinis*, quem locum ſic interpretatus eſt Vatablus: *Nam quotidie plagas fero, ſingulisq; matutinis afflictio mea eſt*. Eandem autem pacis & afflictionis antitheſin habes Jerem. 29. 11. Itaque loci noſtri ſenſus eſt, Chriſtum afflictionem ſubiiſſe, quæ nobis quietem & felicitatem perperit. Abunde enim ſupra demonſtratum fuit, quomodo citra ullam ſatisfactionem Chriſti mors eamq; antecedentes clamitates, nobis ſalutem æternam comparaverint; & quomodo non niſi Chriſti morte, & calamitatibus illis intervenientibus, ad felicitatem illam cœleſtem, quâ omnium peccatorum noſtrorum plena condonatio continetur, nos aſpirare potuerimus. Verùm ſubjunget quiſpiam, illicò apud Eſaiam addi, v. 5. *Et in livore ejus ſanitas nobis*, ſeu potiùs

tiùs *medicatum eſt nobis*, ex quo intelligi debere videtur, ex Chriſti perpeſſionibus & morte petendum eſſe, quidquid ad peccatorum noſtrorum morbos ſanandos nobis eſt opus: nempe, quia perpeſſionibus & morte ſua Chriſtus pœnas univerſas noſtris peccatis debitas ſuſtinuerit: unde conſtare poſſit, in quem ſenſum accipienda ſunt antecedentia verba, *Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum*. Atqui haud paulò aliter res ſe habet: neque enim petendum nobis aliquid ex Chriſti perpeſſionibus & morte, ait Eſaias, ſed inde factum eſſe, ut nos ſani evaſerimus. Ex eo enim, quòd Chriſtus in corpore ſuo vulnera & plagas lethales perpeſſus eſt, factum eſt, ut anima noſtra ex ſuis morbis graviſſimis erepta, veræ ſanitati reſtituta fuerit. Quod quid ſit, explicat divinè Petrus, cum de Chriſto loquens, & ad hunc ipſum locum Eſajæ reſpiciens, ait, epiſt: 1. cap. 2. v. 24. 25. *Cujus livore ſanati eſtis: Eratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad paſtorem & curatorem animarum veſtrarum*. En quid ſit, Chriſti livorem ſanitatem nobis fuiſſe, nimirum, Chriſti morte factum eſſe, ut nos ad Deum, ſeu mavis ad Chriſtum ipſum converſi fuerimus, atque ab errore & perditione noſtra in viam ſalutis revocati. Nam & Eſaias ipſe, quem ſine dubio & imitari & illuſtrare voluit Petrus, poſt ea verba, *Et in livore ejus eſt medicatū nobis*, ſtatim ſubjicit, *Omnes nos ſicut oves errabamus, quiſque in viam ſuam declinaverat*. Quocircà crediderim ego, totum hunc Eſaiæ locum, Petro ex parte quodammodo auctore; ſic παρα-

φρασικῶς

φρατικῶς converti poſſe. *Ipſe vulneratus atque occiſus fuit propter transgreſſiones noſtras, percuſſus, inquam, fuit, atque contuſus propter iniquitates noſtras, ipſe afflictionem ſubiit, quæ nobis felicitatem perperit, ejuſque plagis ac vibicibus nobis medicatum eſt. Omnes enim nos tanquam oves paſtore carentes errabamus, unuſquiſque noſtrûm ſibi indulgens à recta via declinaverat. Sed Jehova ipſum tot malis exponendo, iniquitati omnium noſtrûm ſeſe oppoſuit, & perniciem imminentem inde à nobis depulit.* Eodem igitur ſenſu dixit Eſaias, Chriſti livore nobis medicatum fuiſſe, quo Paulus dixit. 2. Cor. 8. 9. Corinthios Chriſti inopiâ fuiſſe ditatos. Neq; enim mens Pauli eſt, in ipſa Chriſti inopia reverâ divitias Corinthiorum repoſitas fuiſſe, vel, Chriſti inopiam, æſtimatione ſui, Corinthiorum inopiam compensâſſe eoſque ditaſſe, ſed Chriſti inopia interveniente factum eſſe, ut Corinthii ditati fuerint. Itaque hujuſmodi loquendi modis, qui propter antitheſim quam continent elegantes admodùm habentur, & propterea etiam à quibuſdam affectantur, non vis aliqua ſignificatur, quæ ipſis rebus inſit, ſed res, ſine quibus aliquid factum non eſt, exponuntur. Ut cum, exempli causâ, Theologi quos Patres vocant, aliique recentiores dicunt, Filium Dei de cœlo deſcendiſſe, ut nos in cœlum aſcenderemus: hominem factum fuiſſe: ut nos deificaremur: mortalem fieri voluiſſe, ut nos immortales efficeremur: & pleraque ſimilia, quæ ideò ab ipſis dicuntur, ut quæ & quanta Dei filius, (ut quidem ipſi putant) pro nobis fecerit,

rit, enarrent, atque ea ratione Dei ipſiusque Dei filij ingentem erga nos charitatem, quaſi ob oculos eam ponentes, ſummopere commendent: quæ eadem planè eſt, (ſi ſine iis modò quæ Chriſtus fecit, nos ſalutem adepturi non eramus) quæ fuiſſet, ſi in ipſis quæ fecit, propria etiam nos ſervandi vis reſpoſita eſſet: Sic in propoſito noſtro, dummodò non ſine Chriſti plagis & cruce factum ſit, ut nos ab animæ noſtræ morbis liberati ſimus, rectè atq; eleganter dictum eſt, ejus livore nobis medicatum fuiſſe, & Dei ipſiusque Chriſti ingens erga nos charitas his verbis, quàm maximè fieri potuit eſt commendata, etiamſi vis vera & propria nos ſervandi, alibi quàm in ipſis plagis ipſaque cruce inſit. Quomodo verò non ſine Chriſti plagis & cruce nobis animę ſanitas reſtituta fuerit, & ſupra ſatis explicatum eſt, & deinceps infra reliquis teſtimoniis, quæ ad ſatisfactionem, de qua diſputamus, confirmandam afferuntur, examinandis, copioſiùs explicabitur. Quamquam autem ex iis quæ hactenus diſſeruimus, non obſcurum eſſe arbitramur, quid apud Eſaiam & alibi ſit, Chriſtum tuliſſe ſeu portâſſe languores noſtros, dolores & peccata noſtra: eſt tamen nobis adhuc locus unus ſeparatim explanandus, in quo adverſarij maximam vim ad ſuam ſatisfactionem ſtabiliendam ineſſe putant. Sic enim apud Petrum, ante verba illa Eſajæ, quæ imitatus eſt, ſcriptum de Chriſto legimus, 1. Pet. 2. 24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Nam quid aliud eſt *perferre*, quàm ſuſtinere

ſtinere ac pati? Et cum ſæpè, præſertim verò in hujuſmodi locutionibus, ut ab initio diximus, peccatorum nomine apud Sacros ſcriptores pœnæ peccatorum intelligantur, Quid aliud eſſe poteſt, Chriſtum pertuliſſe peccata noſtra, quàm pertuliſſe pœnas peccatorum noſtrorum? Adde, quòd id feciſſe dicitur in corpore ſuo, idque ſuper lignum, ut dubium eſſe non videatur, quin Petrus dicere voluerit, Chriſtum corpore ſuo, dum crucis mortem ſubiit, pœnas noſtris peccatis debitas ſuſtinuiſſe, atque ea ratione juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe. Verùm ſciendum eſt, verba Græca, quæ reddita ſunt Latinè, *Qui peccata noſtra ipſe pertulit*, ad hunc modum ſe habere: ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν. Atqui ἀνενεγκεῖν τὰς ἁμαρτίας, non eſt *perferre peccata*, ſed auferre. Patet hoc ex loco, in quo nec prætereà alibi, ut credo, in novo Teſtamento, ea locutio invenitur. Is eſt in epiſtola ad Heb. cap. 9. in fine, ubi quod in Græco eſt, εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, ab Eraſmo, cæteris recentioribus interpretibus aſſentientibus, Latinè redditum fuit, *Ut multorum peccata tolleret*, & vetus Interpres reddiderat, *Ad multorum exhaurienda peccata*: eſtque præcipuè notandum, quòd utrobiq; de Chriſto eſt ſermo, ut appareat locos eſſe quàm ſimilimos, nec dubitari ulla ratione poſſe, quin quemadmodum ea locutio apud auctorem epiſtolæ ad Hebræos manifeſtè, non *perferre*, ſed *auferre peccata* ſignificat, ſic etiam ſignificet apud Petrum. Prætereà animadvertendum eſt, verba illa *In corpore*

Hebr. 9. 28.

corpore ſuo nihil aliud ſignificare, quàm *per corpus ſuum*. Præpoſitionem enim *In* loco præpoſitionis *Per* Hebræorum more in novo Teſtamento uſurpari, vulgatiſſimum eſt. Itaque ſic interpretandus eſt locus: *Qui peccata noſtra ipſe abſtulit per corpus ſuum ſuper lignum*. Quorum verborum ſententia jam eſſe ea non poteſt, Chriſtum in corpore ſuo dum crucifigeretur, pœnas peccatorum noſtrorum ſuſtinuiſſe: ſed Chriſtum, ut peccata noſtra auferret, corpus ſuum crucifigendum tradidiſſe. Etenim diligenter notandum eſt, cum in Sacris literis legitur, peccata noſtra ablata fuiſſe, aut expiata, aut deleta, aut remiſſa, aut aliquid ſimile, idque hac vel illa ratione factum eſſe, non debere intelligi, jam id reipsâ perfectum fuiſſe, vimque id perficiendi ex re quapiam ſive actione jam profectam eſſe: ſed Dei conſilium de peccatis nobis condonandis, iiſque à nobis auferendis ſignificari, intelligendum eſt, atque id, eavé commemorari, quæ ab ipſo Deo, vel ipſo Deo curante, facta ſunt, ut hoc ejus conſilium eventum ſuum ſortiatur: Alioqui nihil eſſet, cur de peccatorum condonatione conſequenda quiſquam noſtrûm ſolicitus eſſe deberet; nec porrò vel pœnitentia, vel fide, vel ulla re alia ejuſmodi, quæ in nobis eſſe debeat, ad nos juſtificandos opus eſſet, ſi antequam crederemus & pœnitentiam ageremus, jam reipsâ à peccatis abſoluti, & juſti coram Deo eſſemus: quo nihil vel magis ridiculum juxta atque impium, vel ipſis ſacris literis magis contrarium excogitari poteſt.

Cum

Cum igitur ſcriptum eſt, Chriſtum per corpus ſuum cruci affixum abſtuliſſe peccata noſtra, non eſt intelligendum, quia Chriſtus corpus ſuum crucifigendũ tradiderit, ideò peccata noſtra jam reipsâ ablata eſſe, ſive de ipſis peccatis, ſive de peccatorum pœna loquamur. Quod tamen, quod attinet ad peccatorum pœnam, jam reipsâ perfectum eſſet, ſi Chriſtus omnes peccatorum noſtrorum pœnas corpore ſuo crucis morti tradendo divinæ juſtitię perſolviſſet. Nam quod pertinet ad ipſa peccata, ea reverâ per Chriſti mortem ablata non fuiſſe docet idem Petri locus, ſtatim enim addit, *Ut peccatis mortui juſtitiæ vivamus*: hoc enim 1. Petr. 2. 24. non tanquam effectum prorſus neceſſarium, & qui jam omninò haberetur, mortis Chriſti à Petro commemorari, ſed tanquam Chriſti mortis finem, quem nulla ex parte irritum fieri cuperet, ejus antecedentes exhortationes & commonefactiones abundè nos docere poſſunt. Quamobrem ex Petri verbis nihil aliud intelligere debemus, quàm Chriſtum, quem in ſumma patientia ac tolerantia malorum atque injuriam ad imitandum propoſuerat, adeò patientem, adeoque tolerantem fuiſſe, ut ipſam crucis mortem injuſtiſſimè ſibi illatam ſubire non recuſaverit; idque ut Deo obediret, qui ea ratione peccata noſtra auferre voluit, id eſt efficere, ut nos peccatorum veniam ab ipſo nobis oblatam reipsâ conſequeremur, & in poſterum à peccando ceſſaremus. Verùm tamen, ut veritas magis confirmetur, atque omnis dubitatio, quæ ex prædictis Eſajæ & Petri

 teſti-

teſtimoniis oriri poſſit, penitùs tollatur, quamvis ea quam ſupra attulimus, ut abundè à nobis demonſtratum eſt, veriſſima illorum interpretatio cenſeri debeat, tamen demus locos illos interpretandos ita eſſe, ut in iis dictum fuerit, Chriſtum pertuliſſe & ſuſtinuiſſe peccata noſtra, & Deum in ipſum feciſſe incurrere, ſeu conjeciſſe iniquitatem omniũ noſtrûm,
Eſa 58. 6. (ſic enim multis placet verba illa ex Hebræo interpretari, quæ in vulgata editione ad hunc modum leguntur: *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm*: quam lectionem, etiamſi vera eſſet, adverſariorum ſententiam nihil juvare ſupra oſtendimus) demus, inquam, hæc de Chriſto dicta fuiſſe, quid inde neceſſariò ſequetur? Nunquid Chriſtum omnes peccatorum noſtrorum pœnas ſuſtinuſſe, atque ea ratione divinæ juſtitiæ pro nobis ſatisfeciſſe? Minimè gentium. Loquendi enim conſuetudine receptum eſt, ut, qui occaſione peccatorum alicujus affligitur, is illius peccata perferre ac ſuſtinere dicatur, etiamſi nulla prorſus ſatisfactio inde proficiſcatur. Igitur, ſi quiſpiam ex ſui vel filii, vel Patris vel fratris, amici, vel denique alterius conjunctæ perſonæ delicto alquod damnum, ut fit, ad ſe redire ſentiat, is (præſertim ſi ea in re ipſe extra culpam planè fuerit) non dubitabit dicere, ſe conjunctæ illius perſonæ peccatum ſuſtinere; quinetiam addet, ſe peccati illius pœnas dare, & tamen hîc ſatisfactionis ullius ne umbra quidem eſt. Itaque meritò dici potuit, Chriſtum qui peccatum non fecit, nec inventus in ore ejus

dolus

dolus (tantum abeſt, ut noſtrorum ſcelerum particeps fuerit) peccata noſtra ſuſtinuiſſe; & ſi placet, pœnas quoque illorum dediſſe, cùm dubium non ſit, quin ipſe occaſione peccatorum noſtrorum multa ſit paſſus, & deteſtabili tandem mortis genere fuerit occiſus, quamvis nullo modo pro ipſis peccatis noſtris ſatisfecerit. Nã, quod in illum, ità Deo volente, noſtrum omnium iniquitas incurrerit, ſeu conjecta fuerit, quid hoc tandem eſt? Nonnè incurrit in me iniquitas illius, propter cujus iniquitatem ego innocens divexor? Nonné præterea pœna iniquitatis illius in me conjicitur, ob cujus iniquitatem ego ea perfero, quæ perferre non commerueram, & quibus ille jure plecti poterat, quamvis multò etiam majores pœnæ ab ipſo exigi potuiſſent, neque ego idcircò ea perferam, ut ulla ex parte pro ipſo ſatisfaciam? Ita in Chriſtum ideò iniquitatem omnium noſtrûm incurriſſe, adeoque ipſam iniquitatis pœnam à Deo in Chriſtum conjectam fuiſſe ſcriptum eſt, quia propter omnium noſtrûm iniquitatem ipſe divexatus fuit, obque eandem iniquitatem ea pertulit, quæ, ut perferret, nunquam commeritus fuerat, quibusque nos meritò plecti poteramus, quamvis multò majores à nobis pœnas exigere jure optimo potuiſſet Deus. Ex quo ſatis conſtare arbitror, ea quæ Chriſtus pertulit, pro peccatis noſtris neutiquam ſatisfeciſſe. Illud certiſſimum videtur, locutonem illam *portare ſeu ferre peccata ſive iniquitates alterius*, de quo potiſſimùm hoc loco agimus, nuſquam id omninò ſignificare,

 quod

quod adverſarii, cum Chriſtus dicitur tuliſſe peccata noſtra, eam ſignificare volunt, ut ſcilicet is, qui peccatum alterius ferre dicitur, tanquam ſi id peccatum ipſe commiſiſſet, à Deo puniatur, cum interim tamen coram ipſo Deo reverâ innocens alioqui & ſit & habeatur. Ubique enim niſi vehementer fallor, aut ſignificat illum qui dicitur alterius *peccatum portare*, propter peccatum illud, ſive occaſione illius peccati affligi tantùm ac divexari, cum innocens tamen, ſive extra culpam, ratione ejus peccati, coram Deo ſit, ſonte interim eo, qui peccatum commiſit coram ipſo Deo remanante: aut verò ſignificat hujus peccatum & culpam illi aſſcribi, & ob eam cauſam illum juſtè puniri, hoc interim vel abſoluto, vel nihilominùs culpæ obnoxio remanente. Utcunque igitur ſit, cùm Chriſtus extra omnem culpam reverâ ſemper fuerit, nihil ampliùs ex ea locutione colligi poterit, quàm Chriſtum propter peccata noſtra, ſive occaſione peccatorum noſtrorum afflictum & divexatum fuiſſe, ex quo nullam pro peccatis noſtris ſatisfactionem conſequi demonſtratum eſt, quod quid ſit, deinceps videndum eſt.

REFUT.

Refut. Cap. XXI.

Locorum, in quibus Chriſtus peccata noſtra portâſſe dicitur, & ſimilium explicatio, & quod ad ſatisfactionem pro peccatis noſtris confirmandam nihil momenti habeant, demonſtratio.

LOcutionem illam portare ſeu ferre peccatũ quæ inter præcipuas in hoc argumento de ſatisfactione, ſolere ſignificare pœnas peccati ferre, agnoſcit Prælector, quia tamen Hebraica phraſis quandoq; non ſignificat pœnas pendere, ſed auferre aut parcere ut Ex. 34. 7. *noſe hon* auferens iniquitatem, vulgata qui auſers iniquitatẽ. Eodem ſenſu Num. 14. 18. *noſe* parens fuiſti eis. Contendit radicẽ *naſa* non in portandi ſignificatione accipiendam eſſe, cum legitur Eſa. 53. com. 4. *verò languores noſtros ipſe tulit*, ſed in ſignificatione auferendi, Chriſtum verò peccata noſtra abſtuliſſe eâ potiſſimum ratione, quâ cum de redemtione ageretur expoſitum eſt. Quamquam etiam in Hebræo ſit verbum Sabal, quod propriè bajulare & ferre, ut jmmenta onera ſolent, ſignificat. Contrà hęc notandum eſt cæteris paribus magis ſequendam propriam quam impropriam verborum & phraſium ſignificationem. Maximum quoque diſcrimen reperitur inter loca illa ubi impropria verbi Naſa extat ſignificatio & hunc Eſa. locum de quo controvertitur. In locis enim illis Naſa Deo tribuitur, qui portare aut ferre peccata, pœnas pecccatorum in ſe

ſuſcipiendo non poteſt cum ſit impatibilis, quapropter manifeſta ratio compellit deſerere ſignificationem propriam. Chriſtus verò impatibilis non fuit, & pro peccatis noſtris paſſus eſt, ob ea paſſus eſſe ab Eſa. exertè admodum hoc cap. recenſetur; loci ergo ſententia ſignificationem propriam exigit, jubente etiam ratione quæ modum ablationis peccatorum noſtrorum à Socino excogitatum & in cap. de redemtione explicatum, quo idem nos remittit hoc locò, planè repudiat, quomodo verò id demonſtratum ſit in refutatione prædicti cap. benevolus lector videre poterit. Quod ſi verò ad redemtionis noſtræ myſterium explicandum niſi pravas interpretationes attulerit, patet & hanc ad Eſa. verba meliorem non eſſe, ſed pro diſtortâ corruptione ſanctiſſimi textus habendam. Objicitur quod v. 11. Eſa. 53. legatur, *juſtificabit juſtus ſervus meus multos & iniquitates ipſorum ipſe bajulabit*, hinc urget Crellius pro ſignificatione auferendi, *Nam inquit Chriſtum iniquitates multorum bajulaturum commemoratur tanquam aliquid, quod extiturum ſit poſt mortem Jeſ. Chriſti, & tanquam præmium laboris, quem is mortem ſubeundo pertulerit, quod profecto eſſe non potuit puniri in ipſo peccata noſtra, id enim neque mortem conſequutum eſſet, ſed una cum ipſâ morte peractum fuiſſet, neq; præmium laboris dici poſſet ſed labor ipſe.* Ad hoc objectamentum reſpondetur. 1. quamvis verba Prophetæ à multis ita reddantur, & iniquitates eorum ipſe pertulit aliter tamen etiam reddi poſſe. Verſio Tremellio Juniana habet,

quorum

quorum iniquitates ipſe bajulaverit. Deinde etiamſi retineatur illa lectio & iniquitates ipſorum bajulabit, inde tamen non efficitur, illud à Propheta commemerari tanquam aliquid, quod poſt mortem Chriſti ſit extiturũ: quamquam enim iſta *propter laborem animæ ſuæ, videbit, ſaturabitur, in ſcientiâ ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos*, mortem tempore ſunt conſecuta, non eſt tamen pro abſurdo habendum, niſi iis, qui Prophetæ crimen abſurditatis impingere audeant, Prophetam laborioſæ mortis meminiſſe quæ tempore iſtos effectus anteceſſerit; nihil enim manifeſtius, quam Prophetam nunc paſſionum & mortis nunc conſecutæ gloriæ & beneficiorum ex morte promanantium promiſcuè meminiſſe. Accedit quod hæc portatio iniquitatis ſtatuatur à Propheta non præmium laboris, ſed labor propter quem Chriſtus gloriam & honorem conſecutus, nam poſtquam dixiſſet *iniquitates eorum portabit*, ſubjunxit iſta, *ideo partem dabo ei in multis vel cum multis*. Etſi quod verbum βαςάζω, in auferendi ſignificatione legatur apud Euangeliſtam Johannem non tamen in ſolâ, poſito enim hortulanum feciſſe id de quo dubitabat Maria, verum erit portando hortulanum corpus Domini abſtuliſſe; non aliter Dominus languores noſtros abſtulit quam ferendo, quod docere poteſt verbum ſabal quod in eodem orationis contextu legitur, id verò ſignificat portare ſuſtinere, neque ullum exemplum adverſarius attulit alterius ſignificationis. Opponitur authoritas Euangeliſtæ Mathæi interpretantis hanc

vaticinationem Eſą. *de ablatione malorum corporalium*, ex quo infert Eſa. loqui de peccatorum ablatione, non verò de pœnarum peccatis debitarum perpeſſione. Hæc argumentatio infirmo nititur tibicine. Nam vaticinatio Eſa. tunc impleta dicitur, cum Chriſtus omnes male habentes curaret quia ablatio iſta ſignum erat portationis iſtius de quâ Eſa. vaticinatur. Verba actionum aut paſſionum non rarò tantum declarationem notant: *non erit juſtus coram te omnis vivens* id eſt declarabitur Pſalm. 143. *Præfeci te ſuper gentes ad deſtruendum evellendum diſſipandum* Jerem. 1. prædicatio & declaratio pro facto ponitur. *Sic ſi quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: ſi quorum retinueritis, retenta ſunt* Joh. 20. Non tam remittunt ipſi, quam remiſſa teſtantur, dum injunctam ſibi legationem promulgant, idque in verbo implendi quoque factum Jacob. cap. 2. com. 23. *Itaque impleta eſt Scriptura quæ dicit: credidit autem Abraham Deo & imputatum eſt ei ad juſtitiam*; cum tamen multo ante Abrahamo fides imputata eſſet ad juſtitiam, antequam filium ſuum Iſaacum obtuliſſet: impleta eſt ergo Script. quia impletam eſſe hac inſigni obedientiâ declaratum eſt, ita etiam hæc Eſajæ vaticinatio impleta, quia hac morborum curatione, iſtius Prophetiæ complementum in morte Servatoris exſpectandum eſſe, indicatum fuit: neque enim cum miracula iſtiuſmodi patraret, à Chriſto fuit factum, de quo toto illo cap. clariſſimè vaticinatur Eſaias, ſed cum jam deſiiſſet ſpiritus malos ejicere & ægrotos ſanare,

ſanare, hoc eſt cum traderetur in manus peccatorum & crucifigeretur, quæ paſſio ſi miracula illa ſubſecuta non fuiſſet, complementum illius Prophetiæ non habuiſſemus: unde cum iſta paſſio inſtaret, dixit Servator, *dico enim vobis adhuc oportere iſtud ſcriptum in me perfici at cum ſceleratis numeratus eſt*. Eſa 63. v. 12. hoc autem factum cum languores noſtros ferret, dolores noſtros portaret. Philippum Euangeliſtam intellexiſſe Eſa. Prophetiam completam paſſione & morte Chriſti non eſt dubitandum, cum exorſus ab hac Script. Eunucho Euangelizaret Jeſum. Nego itaque languores noſtros ferre & dolores portare, eſſe omnium ægrotorum morbos auferre. Conſequenter non evincitur ferre peccata eſſe auferre, aut verbum βαστάζειν, quo Matheus Hebraicum Sabal exprimit, ibi ſignificare auferre ut putat Crell. pag. 56. Præterea quamquam Dæmoniacos & ægrotos ſanans, ipſe Spiritu malo obſeſſus non fuerit, neque ægrotorum morbis correptus, propterea non eſt ſtatuendum peccata ita abſtuliſſe, ut pœnas peccatis debitas non luerit, cum ratio ſanandi ſpirituales & corporales morbos ſit diverſiſſima. Neq; enim ſcriptum reperitur ægrotum factum propter morbos noſtros ut legitur vulneratum propter iniquitates noſtras. Deinde negari etiã poteſt Chriſtum mala corporalia ita abſtuliſſe miraculis ut in ſe non ſuſceperit, quamquam enim mala illa: quæ depulit, in ſpecie non tulit, tulit tamen in genere, & id quod æquivalet, luens pœnas peccato debitas. Adde quod Socinus ex

interpretamento ſuo ad locum Mat. non magis inferre poteſt, Chriſtum peccata in ſe non recepiſſe, aut recipiendo non abſtuliſſe quam hinc inferri poſſit apud Eſaiam de auferendis peccatis non agi: vaticinationem enim impletam ait Socin. cum Chriſtus omnes malè habentes curaret. Denique ſi ſtemus judicio Socini, non eſt omnino firma conſequentia, Chriſtus languores noſtros tuliſſe dicitur, cum omnium ægrotorum morbos abſtulit, ergo & ſpirituales morbos portâſſe, eſt, pœnas & reatum peccatorum abſtuliſſe, cum hoc eodem cap. ſcriptum reliquerit, Chriſtum meritò dici potuiſſe peccata noſtra ſuſtinuiſſe, *quia ipſe occaſione peccatorum noſtrorum, multa paſſus, & deteſtabili tandem mortis genere fuit occiſus*, & concludens hoc caput ait. *Utcunque igitur ſit, cum Chriſtus extra omnem culpam revera ſemper fuerit, nihil amplius ex eâ locutione colligi poterit, quã Chriſtum propter peccata noſtra, ſive occaſione peccatorum noſtrorum afflictum & divexatum fuiſſe.* Similia leguntur cap. 6. libri de Servatore Johan. Crel. pag. 45. reſp. ad lib. Grot. de ſatiſfact. *Iſtud etiam negari non poteſt, rectè & eleganter dici poſſe, eum ferre peccatum qui peccatorum causâ grande malorum, cruciatuũ ac mortis denique ſuſtinet onus, etiamſi nulla vera in eà re ſit pœna ſive vindicta.* ibidem paulo poſt. *An ergo is, qui hæc omnia ſuſtinet, peccatum ferre portare bajulare, rectè non dicetur?*

Porro ablatio illa peccatorum de qua vaticinatio Eſa. 13. com. 4. exponitur, ad mortem & effuſionem ſanguinis Filii Dei non tantum referunt

referunt a noſtro ſed extra viam illam ſanguine & carne FiliiDei dedicatam aliam comminiſcitur, ſcribit enim non tantum peccata abſtuliſſe,quatenus viam iræ divinæ,hoc eſt ſupplicii peccatis conſtituti effugiendi, per proprii ſanguinis effuſionem oſtendit ac confirmavit, & poteſtatem nos in perpetuum ab eâ aſſerendi eſt adeptus: *ſed etiam quatenus ipſe authoritate ſibi à Deo conceſsâ cuicunque voluit peccata dimiſit & condonavit*. Via illa quæ eſt ad effugiendam iram Dei, eſt via Euangelii, quâ credentes & reſipiſcentes ſalvantur; increduli & reſipiſcere neſcii condemnantur: illis peccata condonantur, horum peccata retinentur ex tenore Euangelii. Aliis à Chriſto peccata condonata fuiſſe,eſt paradoxum contra & extra Euangelium, quod tamen ſuis auditoribus, ni fallor ſuggerere voluit Prælector. *Ait enim alteram ablationem peccatorum à priori diſtinguens, quatenus ipſe autoritate ſibi à Deo conceſsâ, cuicunque voluit peccata dimiſit & condonavit*. Apertius confirmatur, quod attuli ex verbis 4. cap. lib.2. de Servat. ubi legitur. *Quin iis quæ jam dicta ſunt, illud etiam addo, alio præterea nomine,de Chriſto dictum fuiſſe,quod abſtulerit peccata noſtra, quia ſc. auctoritate ſibi à Patre traditâ, hominibus reſipiſcentibus & ſibi fidem habentibus peccata ipſe condonavit imò quacunque ratione ipſi placuit, & cuicunque voluit veniam delictorum dum in terris fuit,pleniſſimam dedit in hâc vitâ*.Id verò peccata condonari irreſipiſcentibus & incredulis, ſi quid aliud totam doctrinam Euangelii enervat & luxat unoque ictu debilitat

debilitat omnes illas propoſitiones, quæ iram Dei incredulis denuntiant,& omnem remiſſionis& æternæ vitæ ſpem fidei alligant. Qualis illa Theologia, quæ præter redemtionem illam, remiſſionem peccatorum, juſtificationem per ſanguinem Filii Dei, monſtrat viam quâ hæc ſine ſanguine nobis contingere poteſt. Oſtendat mihi Prælector nos juſtificari poſſe ſine ſanguine, ego oſtendam illi nos juſtificari ſanguine Filii Dei Rom. 5. com. 2. neque erat cur tam ſudaret Dei Filius, ut nos peccatorum veniam conſequeremur, cum ejus arbitrio & beneficio ſine ſanguinis effuſione contingere potuerit. Scribit Paulus eo qui citatur loco col. cap. 3. 13. *Chriſtum condonaſſe nobis*, intelligit remiſſione quam ſanguine ſuo nobis peperit, cum ſanguis Filii Dei nos purget ab omni peccato. Ut per ſanguinem omnis remiſſio, ita ab eodem jus omne & authoritas condonandi peccata promanavit. *Propter laborem animæ ſuæ videbit ſemen, ſaturabitur; in ſcientiâ ſui juſtificabit juſtus ſervus meus multos* Eſa. 53. com. 11. & ut ante dixerat, *ſi poſuerit animam ſuam hoſtiam pro delicto* com. 10. Similia leguntur Heb. 10. 8. 9. 10.

Ex eo quod de condonatione Chriſti ex Pauli teſtimoniis adduxerat contra ſatisfactionem, concludit: ſunt actus ut putat ille, contradictorii de quâ re ſuo locò viſum. Chriſtus ut mediator & homo Deus peccata remiſit, & poteſtatem habuit peccata in terrâ dimittendi, ut habetur in hiſtoriâ de paralytico Mat. 9. 6. Luc. 5. 24. Marc. 2. 10. occaſione hujus

Euan-

Euangelicæ hiſtoriæ digreſſiunculam inſtituit adverſarius, & ad eam arcana quædam ex ſuis profert : ſubtiliter ſatis, at etiam aranearum telæ ſubtiles ſunt. Quod ex hâc hiſtoriâ contexit, eſt, *Chriſtum in terris viventem jus & poteſtatem habuiße remittendi omnem peccatorum reatum, tam quoad æternas quam temporales pœnas. 2. virtutem & potentiam habuiſſe actu & reipsâ pœnas temporarias auferendi non æternas, ſive æternam vitam conferendi.* Hæc duplex remiſſio, ut ille loquitur, continetur poteſtate illâ peccata dimittendi, de qua in prædictis locis: Chriſtum habuiſſe poteſtatem hoc & illo modo peccata auferendi nemo Chriſtianus dubitat, minus rectè tamen ipſa actualis pœnæ temporalis ablatio, remiſſio peccatorum definitur. Remiſſio eſt actus immanens, ablatio actualis actio tranſiens. Remiſſio eſt cauſa, ablatio effectus. Chriſtus non dicit ablationem plagæ temporalis eſſe remiſſionem peccatorum, ſed actum illum, *ſurge & ambula* ab actione remiſſionis diſtinguit. Verba Domini valde expreſsè apud Marc. cap. 2. com. 9. id habent. *Utrum facilius eſt dicere paralytico remißa ſunt tibi peccata: an dicere ſurge & attolle grabbatum tuum & ambula.* Sed hoc omiſſo non eſt concedendum, jus quidem Chriſtum habuiſſe in terris degentem, peccatorum veniam concedendi, quoad æternas pœnas, virtute tamen & potentiâ, dum in terris ageret fuiſſe deſtitutum, nos à morte in perpetuum liberandi, & æternam vitam conferendi, hoc eſt reſuſcitandi ſuos ut ultimo die facturus eſt.

Solent

Solent judices qui jus habent abſolvendi à reata criminis, etiam habere potentiam ſententiam ſuam exequendi, actu & reipsâ à pœna liberandi. Chriſtus qui totus vitam & beatam reſurrectionem in ſe credentibus promittit, nihil uſpiam de ſuâ ad id præſtandum impotentiâ, omnem illam virtutem & potentiam quæ in Patre ad vivificandos mortuos, in ſe quoque reſidere prædicat Filius Joh. 5. & alibi: & cui veriſimile eſſe poteſt, eum qui mortuos ad vitam revocare potuit, ſic revocatos in perpetuum à morte conſervare non potuiſſe, imo ſentiunt nonnulli, reſuſcitatos non fuiſſe denuo mortuos. Cui veriſimile eſt, eum qui tam admiranda patravit, ut mari & ventis impetrare potuerit, non potuiſſe corpora fidelium immortalia facere: ejus ſanè potentiæ documentum dedit, in glorioſâ illâ transformatione ſui: ſuâ verò virtute Chriſtum fuiſſe transformatum, teſtatur Petrus eum ait; *non enim arte compoſitas fabulas ſequuti notum vobis fecimus D. noſtri Jeſu Chriſti potentiam & adventum, ſed ut qui oculis noſtris aſpeximus illius majeſtatem*. Neque obſtat quod pro oppoſito objicit Prælector, *Chriſtum ipſum mortalem fuiſſe, atque opus habuiſſe preces & ſupplicationes offerre ei, qui ipſum poterat à morte liberare*. Primum diſſolvitur eo quod quidquid à causâ in cauſato, non præ-requiritur formaliter in causâ, ſol ex recepta & communi Philoſophorum ſententiâ non eſt formaliter calidus, ſed eminenter, id eſt habet talem perfectionem quæ poteſt producere calorem, perfectio effectus neceſſariò ſupponi-

tur

tur in cauſâ,quæ/ex ſe & propriâ ac ſufficiente virtute poteſt talem perfectionem communicare effectui formaliter aut eminenter, ut loquuntur, ita ergo ad faciendos immortales, ſufficiebat Chriſtum habere immortalitatem eminenter,ita dicitur creatrix Dei eſſentia eſſe eminenter omnia, quatenus ſuâ eminenti virtute,rebus omnibus perfectiones ſuas communicare poteſt. Deus non corporeus,eſſentiam tamen corpoream producere potuit, ſimiliter vitam vegetativam & ſenſitivam, quamquam talis vita in Deo non ſit formaliter. 2. dico Chriſtum fuiſſe immortalem formaliter ſecundum deitatem ſuam immortalem. 3. proprii Chriſti corporis immortalitas ut ſic, nullam conferre potuit Chriſto potentiam ad alios ex ſtatu mortis in ſtatum immortalitatis transferendi; non ergo opinandum eſt, quin Chriſto in terris degenti, proprii corporis immortalitas defuit, non adſuiſſe immortalitatis conferendæ virtutem. Preces quoque & ſupplicationes oblatę ei qui ipſum poterat à morte ſervare,non evincunt quod vult adverſarius Nam. 1. Chriſtus ex infirmitate carnis paſſus eſt, & ita ſe geſſit acſi nudus & infirmus homo fuiſſet; ad Deum liberatorem confugit cujus voluntatem Mediator noſter exequebatur, ut firma ad nos in omnibus anguſtiis conſolatio inde promanaret. 2. petere potuit à Patre Chriſtus, quod ſecundum potentiam deitatis, poſſet ipſe non minus quam Pater; à Patre petiit glorificari in reſuſcitatione Lazari, cum tamen ipſe ex Socini doſtrinâ, mortuos quos vellet in

hanc

hanc vitam revocare poſſet. 3. ſi ſeipſum audire velit Prælector, inefficacem fatebitur ſuam argumentationem, Chriſtum alios ab æternâ morte liberare non potuiſſe quia ſeipſum à morte liberare non potuit. Chriſtus ex doctrinâ Socin. contra Wieſſ. pag. 296. formam Dei & æqualitatem cum Deo ad tempus depoſuit, quod eſt tempus paſſionis ; hoc ſi verum eſt, nulla hæc illatio , Chriſtus ſeipſum ſervare à morte non potuit, ergo alios ab æternâ morte non potuit ſervare. Adde cum ſecundum dogmata Soc. Chriſtus à morte liberatus per reſurrectionem ex mortuis, hoc ipſo immortalitatem non ſit adeptus, ſed in vitam tantum reſtitutus, ſequetur contra apertiſſima ſacrarum literarum teſtimonia, neminem à Chriſto unquam vel in hanc vitam ex mortuis revocatum fuiſſe. Si hujus argumenti ſequela admittatur, dicam, Chriſtus alios à morte ſervare & in vitam revocare non potuit , Patrem enim ſuum rogavit ut ſe à morte liberaret, ergo neminem ex morte in vitam revocavit , neque revocare potuit.

Pro hac limitatione potentiæ Chriſti ſubdit, quod cum Phariſæis diceret ſe habere poteſtatem dimittendi peccata, quia de poſteriore remiſſione loquebatur, quâ pœnâ ipſa peccati aufertur, addidiſſe illa verba, *in terrâ ad limitandam remittendi poteſtatem , hoc eſt pœnas peccatorum reipsâ auferre poſſe in hac vitâ mortali.* Primò ſi de poſteriore Phariſæis loquebatur, nimium ergo perſpicax Socin., ſupra duplicem ex hac hiſtoriâ eliciens remiſſionem,

quod

quod Syllogiſmo quoque difficulter obtinebit, cum non ſequi videatur, poſſe abſolvere ab omni peccatorum reatu, quoad pœnas temporales, qui pœnas temporarias actu auferre poteſt, nedum plenam ab omni reatu abſolutionem concedere poſſe eum qui pœnas ſolummodo hujus vitæ auferre poteſt, poſito quod Socinus ait, Chriſtum habuiſſe dum in terris eſſet, jus plenum remittendi reatum æternæ pœnæ, non actu tamen & reipsâ auferendi: Si à jure ad potentiam non eſt conſequentia, nec à potentiâ ad jus erit. 2. locutio illa in terrâ deſignat determinationem loci, ubi Chriſto aut hæc poteſtas competebat; ita iſta *in terrâ & in cœlo ligare aut ſolvere* actionum locum deſignant Mat. 18. 18. Quamvis ergo verba illa in terrâ, non conjungantur cum verbis illis poteſtatem habere, ſed cum verbo remittendi, ut Marcus habet, nullo tamen argumento. Suadetur, verba illa remittere peccata in terrâ, eſſe clauſulam reſtringentem poteſtatem Chriſti, ad pœnas hujus vitæ temporales ſolummodo auferendas. Verba illa remittere in terrâ, exponere remittere pœnas hujus vitę alienum planè & diſtortum eſt: quin etiam ſi dimittere in terrâ eſt in hac vitâ mortali dimittere, ut Socinus prælegit, tum tempus quo iſta dimiſſio peragitur, & non id quod dimittitur, ut cum adverſario loquar deſignatur, & ſic Chriſtum in terrâ dimittere eſſet Chriſtum peccata ſic remiſiſſe dum hic viveret, vel hominibus hic viventibus iſtam remiſſionem contingere.

Redit inde ad id unde digreſſus erat, & pro

confirmatione ſententiæ ſuæ quod ferre & portare Eſa. 53. com,4. ſit auferre, translationem Vatabli adducit; eum in fine cap. in verbis illis *& ipſe peccatum multorum tulit verbum tulit ſuſtulit interpretatum eſſe.* Reſp. Biblia commilitana anni M.D.XCIX. habent tulit; ita quoque legitur in Bibliis Roberti Stephani anni M.D.LV.

Pergit adducens illud de hirco emiſſario, *qui dicitur portâſſe ſuper ſe omnes iniquitates populi in terram deſertam, qui tamen nullo prorſus modo, iniquitates populi ſuper ſe habere potuit.* Totum ergo hoc dicitur, quia eâ interveniente cæremoniâ populi peccata auferebantur. At conſiderandum eſt quod hircus ille ἀποπομπαῖος portarit peccata eo modo quo abſtulit textus Moſaicus teſtatur quod portando ſuſtulerit, & portabit hircus ſuper ſe omnes iniquitates eorum in terram ſejunctionis, aut terram inhabitabilem, utrumque factum in hirco umbraliter, portatio & ablatio: neque magis hircus ille emiſſarius peccata abſtulit quam tulit; imò ut dicamus quod res eſt, magis dici poteſt, hircum iniquitates populi portaſſe quam abſtuliſſe, ſi actualem pœnæ peccatorum ablationem reſpiciamus: iſta moleſta ablatio hirci in deſertum, afflictio & vexatio hirci fuit, at in ipſis peccatorum pœnis auferendis nulla virtus hirci interceſſit: nullam prorſus etiam in auferendo reatu poteſtatem habuit. Unde ſi ex eo quod de hirco emiſſario legitur, argumentari vellet adverſarius, ut oportet, tam deberet concludere, nullam veram ablationem peccatorum

emiſſarius

catorum

catorum nobis per Chriſti virtutem contingere, quam nullam veram portationem, imò magis, cum ergo non ſit conſequens, Chriſtum non verò auferre peccata, quia Chriſtus non abſtulit ullo modo, ſic non ſequitur Chriſtum non portaſſe ſed abſtuliſſe tantum, quia hircus non ita portavit, ut vera ſatisfactio pro peccatis inde conſequatur. Similiter non rectè infertur, cum Deus poſuit in Chriſto iniquitatem omnium noſtrum, veram impoſitionem pœnarum, aut imputationem peccatorum non fuiſſe factam, quia Aaron hirco amandato imponebat omnes iniquitates filiorum Iſrael, & ut in fonte eſt *dabat ſuper caput hirci.* Fatemur verba illa quæ in vulgâta editione leguntur, *poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrũ,* poſſe etiam aliter verti. Tremellio Juniana habet *Jehova facit ut incurrat in eum pœna omnium noſtrum.* Pagninus. *Dominus fecit occurrere in eum iniquitatem omnium noſtrum.* Vatablus & Tigurini Jehova conjecit in illum iniquitates omnium noſtrum L X X. *κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν*, in Hebræo eſt Hiphgiah conjugationis hiphil, cujus ſignificatio eſt agere, altero ſuaſore & autore. Jam verò omnes illæ interpretationes in idem fere recidunt, Chriſto nimirum peccata noſtra eorumque pœnas impactas fuiſſe, dum enim Jehova facit iniquitates noſtras impingere aut incurrere in eum, ſimul eas Chriſto imponit, in eum conjicit, eumque tradit peccato excruciandum. Socinus ſuam hujus loci interpretationem aliis præfert, & maximè probat, ea eſt *Deum in*

Dominus tradidit eum peccatis noſtri

Chriſto per Chriſtum vel cum Chriſto occuriſſe iniquitati omnium noſtrum, quę tranſlatio non obſervat conſuetam vim verborum ejus conjugationis, quæ geminam actionē communirer exprimunt. hoc quidem non eſt omnino perpetuum, ſunt enim quædam hujus conjugationis intranſitiva, quæ unam tantum, nón geminam actionem notant, verum illa rariora ſunt, & quæ in cal non inveniuntur, ſignificationis cal ſunt *Pachan*. in cal uſitatum eſt, & in ſine quidem capitis in ſignificatione unius actionis reperitur, pro prævaricatoribus orabit ipſius loci circumſtantiâ & ſubjectâ materiâ id poſtulante, quod in exemplum trahendum non eſt, in hujus de quo agitur loci tranſlatione. Sequenda magis communis regula, quā quod extraordinarium, imprimis loci circumſtantiis, & materiæ ſubjectæ ratione ſic poſtulante. Cohærent hæc cum antēcedentibus & conſequentibus apud eundem Prophetam ſententiis & verbis, in quibus omnibus & ſingulis, paſſiones Chriſti verbis diſertè id ſignificantibus exprimuntur v. 4. *languores noſtros tulit, dolores noſtros bajulavit* v. 5. *vulneratus à prævaricationibus noſtris, attritus ab iniquitatibus, caſtigatio pacificationum noſtrarum ſuper eum* v. 7. *oppreſſus & afflictus eſt &c.* omnino ergo hæc verba de quibus quæritur ita reddenda, ut paſſiones Chriſti diſertè exprimantur, quod fit cum verba hæc redduntur ab interpretibus, *Deum feciſſe impingere in eum iniquitates omnium noſtrū*, non verò in Socini tranſlatione, quâ dicitur *Deum in Chriſto ſe oppoſuiſſe iniquitati omnium noſtrum*,

noſtrum, & ejus impetum quodammodo à nobis avertiße. Adde cum hic occurſus attritione afflictione paſſivâ factus ſit, nō eſt actio communis Patri & Filio, ſed ſoli filio propria peccato enim ſe opponere ictus peccati excipiendo, opprimi affligi vulnerari atteri ab iniquitatibus Filii proprium eſt. Neq; verò etiam Propheta inducit Deum Patrem ut peccati adverſarium, qui repreſſo ejus impetu victoriam de eo reportârit, ut præ ſe fert hæc Socini tranſlatio, ſed totus Prophetiæ contextus Filio id vendicat. Exiſtimat ſuam opinionem veram loci ſententiam eſſe, præſertim quia antecedunt verba illa, *omnes nos tanquam oves erravimus*. At ad verba illa optimè quadrat recepta & trita trāslatio Deus traduxit in filium peccata noſtra, ut nos à peccatis liberaret, & perniciem inde imminentem à nobis depelleret, ut hunc locum noſter hoc cap. poſtmodum παραφραστικῶς convertit, Deus fecit incurrere iniquitates noſtras in Filium ut peccata & peccatorum pœnas á nobis averteret. Ipſius Socini ſententia eſt, ex eo quod peccata noſtra incucurrerunt in Chriſtum, id conſecutum eſſe, quod nos à peccati ſervitute vindicati & ad Deum converſi ſimus, Jam ergo hic affectus, de quo ex Petro Prophetam exponit, promanat ex hac quam ex ejus tranſlatione. Ex ſententia eorum qui iſtis verbis incluſum credunt dogma ſatisfactionis, hic etiam effectus convenienter elicitur, ſi velimus beneficiū & effectum comprehenſū ſenſu verborum Eſa. quę ſub manibus habemus, à Petro etiam expoſitum iſtis verbis 1. Epiſt. paraphraſi utens

cap. 2. v. 25. *ſed converſi eſtis*. Secundum hoc dogma ſatisfactionis verum eſt Chriſtum ſuſtinuiſſe pœnas peccatorum noſtrorum, cui actui ex naturâ rei adhęret liberatio noſtra à pœnis. Jam verò ex eo quod Chriſtus pœnas peccatorum noſtrorum exolverit, ſequitur eum velle, nos mori peccato & juſtitiæ vivere, non enim ut exiſtimat Socin. lib. 2. de Servat. *hæc duo naturâ admodum ſeparata ſunt, & non niſi ex accidente hoc illius conſequens*. Perpende quæſo ipsâ rerum naturâ monſtrante hæc cohærentia eſſe; quomodo amabo te vellet Deus Filium ſuum tradere in acerbiſſimam mortem, ad nos ab æternâ morte liberandos, & tamen non vellet nos liberatos ab æternâ morte in poſterum cavere. Velle autem Deum & Chriſtum ut nobis ab exitio caveamus, eſt velle nos peccato mori; ab exitio nobis cavemus dum peccato morimur, & dum peccato morimur nobis cavemus ab exitio. Quando quis alicujus debitum ſolvit, quia ferre non poteſt, quod ſit obæratus, ſequitur eum velle æs alienum ab eo non contrahi. Porro ſecundum dogma ſatisfactionis, Chriſtus pœnas peccatorum noſtrorum ferendo, pretium redemtionis noſtræ ſolvit, ut nos à dominio peccati liberaret: fieri non poteſt, ut qui pretium pro captivo ſolvit, non velit ut ex captivitate exeat: noſter autem egreſſus ex ſpirituali captivitate eſt peccato mori.

Interpretationem ſuam verbi Hiphgiah illuſtrat loco ſimili Jerem. 15. 11. ſed nullâ certâ atque evidenti ratione firmat: neque id ſi

eſſet

eſſet litem de hoc loco Eſa. decideret. Nemi-nem etiam profert, quem ſibi in iſtâ loci Je-rem. ſententiâ adſtipulantem habeat.

Tandem conceſsâ geminæ actionis ſignifi-catione, hoc eſt occurrere facere, ait id nihil pro ſatisfactione facere; id eſſe, *Chriſtum pec-catorum causâ eſſe mortuum*, quid id ſit antea viſum eſſe. Videantur ergo ibi deceptata. v. num tantum monebo, aut hoc & ſimilibus lo-quendi generibus apud Prophetam ſignifica-tur, Chriſtum pœnam peccatis noſtris debi-tam in ſe ſuſcepiſſe; aut verba non extare qui-bus hoc exprimatur, ut color effugio aut eluſi-oni inveniri non poſſit.

Tertiam & quartam apud eundem Prophe-tam ſententiam examinandam ſibi ſumit, *quæ eſt caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum*, *& in livore ejus ſanitas nobis*. Caſtigationis verbum quo u-titur Propheta Eſa. non afflictionem ſimplici-ter, ſed afflictionem punitivam ſignificat in Hebræo eſt muſar deducitur à verbo *Maſar* quod eſt tradere, in alterius poteſtatem & ar-bitrium dare; ſtrictius ſumtâ voce eſt tradere in diſciplinam ſive caſtigationem hinc muſar traditio in diſciplinam ſive caſtigationem dici poſſit. Ita de paſſione & cruce Chriſti agens, Paulus dicit quod Chriſtus παρεδόθη ad Rom. traditus 4. 25. & παραδόντος ἑαυτόν ad Gal. 2. com. 20. qui tradidit ſeipſum hinc metonymicè pro diſciplina ſeu caſtigati-one, eaque non qualibet, ſed quæ puniendis delictis adhibetur. Etſi ergo caſtigatio pro af-flictione ſumatur, & ii qui caſtigantur affligan-tur Pſalm. 73. 14. ubi Pagni. tranſtulit. *Et fui*

 flagella

flagellatus omni die, & increpatio mea in matutinis, non eſt vox muſar, quæ pœnalem afflictionem deſignat. Præter vocis uſum loci ſubjecti ratio hanc ſignificationem exigit. Miror cur propter antitheſin verbi pacis, ſignificatum punitionis nolit Soc. Elegans inter Chriſti pœnas & noſtram pacem antitheſis eſt. Si pacem pro omni fælicitate ſumas, Chriſtus pœnis & afflictionibus ſuis (qui enim punitur affligitur) nobis iſtam fælicitatem peperit. Sive ſumas pro partium aut multorum interſe amicâ conſenſione, Chriſtus aſpero illo & abſciſſo caſtigationis & pœnarum genere inimicitias ſuſtulit, Patri ſuo nos reconcilians pace facta per ſanguinem crucis. Quamvis verò eatenus impropria dici poſſit caſtigatio quod non ad ejus qui caſtigatur emendationem, ſed ad aliorum correctionem tendat, exigente ita neceſſitate, non propterea diſcedendum à ſignificatione pœnæ.

Subjungitur, *& in livore ejus medicatum eſt nobis*. Languor dolor vulneratio attritio caſtigatio livor Chriſti ex eodem fonte peccatorum ut cætera, ſic vibices & plagæ Chriſti ſalutem nobis afferunt: & hic ergo à Propheta dicitur quia μώλωπι ἀυτȣ̃ pœnæ peccatorum noſtrorum illi inflictæ ſunt, atque ita ſanitas nobis vulneribus Chriſti parta id eſt ſalus noſtra, nam & remiſſio peccatorum noſtrorum vocabulo rapha quo Eſa. utitur continetur. Eſa. 6.10. *& convertatur & ſanem eum*. Jerem. 3.22. *convertimini filij rebelles, ſanabo rebelliones veſtras*. Chaldæus paraphraſtes habet *dimittam vobis*

livore ejus

vobis Pſal. 41. v. 5. *ſana animam meam quia peccavi tibi*, id eſt parce iniquitatibus meis vera & ſpiritualis animæ conſolatio Pſalm 147. v. 3. *qui ſanat contritos corde.* Noſtrâ etiam à viâ peccatorum ad Deum converſio, de quo inſigni effectu mortis Chriſti Prophetam interpretatur Petrus Apoſtol. *Epiſt.* cap. 2. v. 24. 25. quare iſta quæ adſert Prælector in paraphraſin loci, ut jacent & dextrè accepta nobis non obſunt. Fruſtra ad Paulum 2. cor. 8. com. 9. provocat pro ſuâ ſententiâ confirmanda: quodnam enim argumentum profertur mentem Pauli non eſſe, in ipsâ Chriſti inopiâ Corinthiorum divitias repoſitas fuiſſe, aut Chriſti inopiam corinthiorum & noſtram non compensâſſe, ſive propriam vim in Chriſti inopiâ nos ditandi non fuiſſe, vel ſitam eſſe. Id ſane iſto loquendi genere commodiſſimè indicatum eſt, neque quicquam cogit aut ſuadet ſecus exiſtimare de illis quas citat noſter Patrum & Theologorum tritis ſententiis: quod enim Chriſtus deſcenderit è cœlo, homo factus ſit, in eo vis ſita nos ſervandi: dum autem maximam Chriſti in nos charitatem hoc pacto prædicant, ſimul tacitè commemorant ea in quibus vis ſalutis noſtræ ſita eſt.

Sequitur. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum*, ut vulgata tranſtulit, quam & Arias Montanus retinuit. In græco eſt ἀνενεγκεῖν τὰς ἁμαρτίας. Vox ἀνενεγκεῖν πολύσημος duas habet ſignificationes, quæ huic loco convenire poſſint, ſurſum ferre, vel ferre ac pati, quo ſenſu Stephano teſte apud Ariſtidem &

Thucydidis dixit κινδύνους ἀναφέρειν ſubire pericula. Syrus utramque ſignificationem conjungens, & portavit peccata omnia,& aſcendere fecit illa cum corpore ſuo ad crucem in animo habens locum Eſa. ad quem reſpicere videtur Petrus, quare malim hic ſignificationem patiendi, quam ſurſum ferendi,quia priore ſignificatione beneficium paſſionis magis & plenius exprimitur. Noſter ait ἀνενεγκεῖν τὰς ἁμαρτίας, non eſſe perferre peccata, ſed auferre, quod probat authoritate loci ad Hebr. 9. in fine, ubi Eraſmus&alii recentiores,*ut multorum peccata tolleret*. Beza apud Stephanum habet. *Ut multorum peccata tolleret*,alibi attolleret. Ex verbo tollendi ablationis ſignificatio itaque non rectè concluditur,Vulgata à proprietate dictionum diſcedere ſolet&ſenſum ex hoc actu conſequentem expreſſiſſe dici poteſt, cum redderet *ad multorum peccata exhaurienda*. Scribit nullâ ratione dubitari poſſe, quin apud autorem ad Hebr. ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας *ſit auferre peccata*. Ratio inquit Crell. pag. 50. contra Grot. id exigit, *quia verbis illis denotatur finis ablationis Chriſti*. At verò nihil impedit,verba illa exegetica eſſe ipſius oblationis. Chriſtus oblatus εἰς τὸ ἀνενεγκεῖν &c. hoc eſt Chriſtus oblatus,ſurſum tulit peccata multorum. *Vade ad terram Morijah& offer eum illic in holocauſtum id eſt fac holocauſtum* Gen. 22. com. 2. per alluſionem ut notat doctiſſ. Beza ad holocauſti ritum, dicitur *Chriſtus ſeſe obtuliſſe,& peccata ſibi impoſita in crucis altare ſuſtuliſſe*. Neque enim de oblatione agi, quæ in cœlo peragitur evincitur.

Nam

Nam primò ſubaudiri poteſt ad illa verba: *neq; ut ſæpe offerat ſemetipſum* verbum *patefactus eſt*, ita ut repetendum non ſit *illud ingreſſus eſt in cœlum*, Deinde non immerito videri poteſt, etiamſi verba illa ingreſſus eſt in cœlum, ex antecedentibus repetantur, illam oblationem de oblatione in terris peragendâ intelligi poſſe. Quemadmodum hoc poſito, paſſio ſæpius iteranda in terris, non in cœlo peragenda fuiſſet. dato etiam illa verba εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας, ad abrogationem aut ablationem peccati, reſpondeo hæc, de quibus contenditur, nondum effectum erit auferendi ſignificationem recipiendam hic eſſe: ferre enim peccata & abolere conſentanea admodum & cohærentia ſunt; unum antecedens, alterum conſequens eſt. Verbum hebræum *Hala* quod in hiphil eſt aſcendere fecit L X X interpretes per græcum ἀναφέρειν reddunt 2. Sam. 21. 13. ubi vulgata & aſportavit inde oſſa Saul, David nimirum & pet συναναφέρειν Gen. 50. 25. συνανοίσετε *aſportate oſſa mea* ἐντεῦθεν Joſeph filiis Iſrael mandat. inde
Idem Exod. 13. v, 19. ſcriptum reperitur, in quâ ſignificatione portatio non excluditur, ſed includitur, & tales adjiciuntur voculæ, ex quarum adjectarum vi portatio iſta ablatio eſt. In textu. Gen. 50. 25. Exod. 13. 19. eſt ἐντεῦθεν. 2. Sam. 21. 13. ἐκεῖθεν, hoc autem non eſt in illinc
loco ad Hebr. Quare ex iſtis locis ſatis ſuaderi non poteſt, in hoc loco ad Hebr. non ſignificare perferre, ut Stephanus exponit hunc locum perferre & portare peccata. Deinde detur hanc vocem in Epiſtolâ ad Hebr. eſſe auferre, non ferre

ſerre aut tollere, argumentum tamen ex hoc loco Petri non erit firmum: nam Petrus & Eſa. eodem reſpiciunt Eſa. autem de portatione loquitur, quare & de ea exponatur Petrus. Actus multum diverſi ſunt ſi Crellio fidem habemus, *ille de quo Petrus, & actus ille de quo ad Hebr.* Illud ἀνενεγκεῖν Petri in cruce peractum. Audi Crell. pag. 47. à Petro dicitur, *Chriſtum peccata noſtra in corpore ſuo ſuſtuliſſe in lignum, quia cum crucis mortem adiit, & corpus ſuum ligno ſuffigendum tradidit, non quidem ut hircus ille, ablationem peccatorum tantummodo adumbravit, ſed ea efficaciter abſtulit.* At illud de quo ſcriptor ad Hebr., ſi illi credimus, *in cœlo peragitur* non intolerabile ergo adverſariis, hæc diverſo ſenſu accipi, cum non cœlum ſed terra ſit locus paſſionum Chriſti.

Secundò excipit ad verba Petri Prælector, *in corpore* nihil aliud ſignificare quam *per corpus*, vulgatiſſimum eſſe Hebræorum more, præpoſitionem in loco præpoſitionis per in N. Teſtam. uſurpari. Ad hoc animadvertendũ eſt prępoſitionẽ *b.* cum vel per deſignare, cum agitur de cauſâ aliquâ efficiente, adjuvante aut inſtrumentali, cujus operâ aliquid fit, aut peractũ eſt, quod *b. auxilii Hebræorum magiſtris vocatur:* pro naturâ orationis variat ſignificatio; principaliter autem pro prępoſitione in uſurpatur, *& b. vaſis dicitur, ſive ſubjecti in quo aliquid fit.* Jam verò in pro per hic eſſe poſitum ſine causâ dicitur, id tum demum locum habet, cum apertum eſt cauſationem aliquam cauſæ deſignari, cujus operâ aliquid factum; id in ſub-

jectâ

jecta quæſtione non reperitur. Exprimere voluit Petrus oratione ſuâ, ut ut ante ipſum Eſa. *paſſum eſſe Chriſtum à peccatis*; plagarum & malorum omnium ſubjectum fuiſſe: *Deum feciſſe incurrere in* eum iniquitates omnium noſtrum; vulneratum & attritum ab iniquitatibus noſtris. Paſſio non actio nobis exprimitur, paſſio quà talis non cauſæ agentis, ſed ſubjecti recipeintis eſt. Deinde dato locum interpretandum eſſe per corpus &c, eorum tamen verborum ſententiam veſtigiis Socini inſiſtentes conſtituere poſſemus, quæ declararet Chriſtum poenas peccatorum noſtrorum ſuſtinuiſſe dum hoc faceret. Dicatur Chriſtum corpus ſuum feciſſe pro nobis peccatum victimam aut tradidiſſe in cruce puniendum, ut peccata noſtra auferret ita liceret interpretari Socino preeunte, qui verba illa per corpus explanat, corpus ſuum crucifigendum tradidiſſe, & per corpus abſtuliſſe peccata, illi eſt, Chriſtum, ut pecccata noſtra auferret, corpus ſuum crucifigendum tradidiſſe.

Subſtitutâ pro præpoſitione in præpoſitione per, & ablatâ loci, ex mente ſuâ ſententiâ, ſecundum iſtam verborum lectionem, id nimirum eſſe ut jam monui, *Chriſtum ut peccata noſtra auferret, corpus ſuum crucifigendum tradidiſſe*, multâ oratione tradit. Quomodo & quo ſenſu accipienda ſint iſta, quæ de ablatione peccatorum, & phraſibus æquipollentibus leguntur in ſacris, non eſſe nimirum intelligendum actu & reipſa nos eſſe à peccatis abſolutos; juſtos coram Deo, aut peccata jam reipſa ablata

ablata eſſe antequam credamus & pænitentiam agamûs, Dei tantum conſilium indicari aut ea quæ ex parte ſuâ fecit, ut hoc ejus conſilium eventum ſuum ſortiatur. Quod de Dei conſilio commemorat, & iis quæ à Deo, vel Deo curante facta ſunt, ut hoc ejus conſilium eventum ſuum ſortiatur, quæ vim & efficaciam redemtionis ab incertâ hominum converſione ſuſpendunt, non tangam. Satis hæc agitata & vexata ſunt in ſcriptis de quinque articulis. In hoc diſcurſu ſuo confundit diſtinguenda. Aliud eſt Chriſtum ſe dediſſe in pretium; portâſſe iniquitates noſtras; aliud eſt nos juſtificatos eſſe: aliud eſt peccata ablata eſſe per ſolutionem pœnæ & ſatisfactionem, aliud auferri per juſtificationem, & veteris hominis mortificationem. Iſta fidem & pœnitentiam antecedunt; juſtificatio noſtra per fidem eſt. Iſtis beneficiis ſalus noſtra impetrata eſt, his applicatur. Illa cauſa ſunt, hæc effectus. Reſpectu beneficiorum prioris generis, fides & pœnitentia ſunt neceſſaria, quin iis tanquam teſſerâ nobis opus eſt, ut agnoſcamus divinâ illa beneficia ad nos pertinere, reſpectu juſtificationis & remiſſionis peccatorum fides & pœnitentia nobis opus eſt, quia ea ſine fide & pœnitentiâ conſequi non poſſumus: ſine ſanctificatione & veteris hominis mortificatione, debitum effectum in nobis parta nobis per Chriſtum liberatio non ſortiretur. Iſtis ſic poſitis nihil attinet dicere ad ea quæ ſubjicit, peccata noſtra jam reipſa ablata eſſe. Si Chriſtus omnes peccatorum noſtrorum pœnas,

corpus

corpus ſuum crucis morti tradendo divinæ juſtitiæ perſolviſſet, & ad ea quæ ibidem ſequuntur, quomodo & quatenus, accipienda, dixi cap. 17. Refut. Sententiam ſuam de modo generatim, quo Chriſtus Servator noſter, huic loco etiam Petri aptat, Chriſtum mortem crucis ſubiiſſe, idque ut Deo obediret, qui ea ratione peccata noſtra auferre voluit, id eſt efficere ut nos peccatorum veniam ab ipſo nobis oblatam reipsâ conſequeremur & in poſterum à peccando ceſſaremus. Non neceſſe erit rurſum per hæc ire: præcedentibus capitibus id factum aliquoties.

Porro dato prædictos Eſa. locos & Pet. ita interpretandos eſſe ut in iis dictum fuerit, *Chriſtum pertuliſſe & ſuſtinuiſſe peccata noſtra, & Deum feceſſe in ipſum incurrere, ſeu conjeciſſe in eum iniquitates omnium noſtrum*, negat tamen ex iis conceſſis ſententiam noſtram effici; loquendi conſuetudine receptum eſſe, *ut qui occaſione peccatorum alicujus affligitur, eum illius peccata perferre ac ſuſtinere dici.* Id quandoque contingit ut cum vinculum aliquod conjunctionis prçſertim arctioris intervenit inter delinquentem & alios immeritos, damnum aliquod aut nocumentum in innoxios etiam redundet, non tamen propter hoc pater filii aur vice verſâ fratres amici delinquentis dicuntur, pœnas dare aut ferre delicti delinquentis; aut ejus iniquitatem portare. Quod ſi qui ſunt, qui ob crimen perſonæ ſibi conjunctæ divexantur, qui plagas, qui vulnera, qui livorem qui attritionem qui quodvis incommodum ſibi illatum

ob aliena delicta commemorent;qui ſe peccatorum alterius pœnas dediſſe, iniquitatis cujus alii ſuo crimine rei,pœnam in ſe conjectam dicunt, ſe verò punitos dicere, receptum eſt adeo, ut nemo ſine repugnantia contrarium aſſerere poſſit, nam aut ex tali loquendi genere pœna colligitur, aut vix ac ne vix quidem natæ voces exprimendis iſtis rebus. Pœnam hoc loquendi genere ſemper indicari negans Socinus citat firmandę negationi teſtimonium Jerem. ubi ſic legitur. *Patres noſtri peccaverunt & non ſuperſunt nos verò pœnas eorum ferimus* Soc. de ſervator. lib. 2. cap. 6 .negat iſtis verbis innui, imputata ipſis fuiſſe à Deo peccata patrum: negationis ratio eſt, *quod id eo loco commemorare, quamvis paulo inferius populum peccâſſe fateatur, ei quod animo intendebat Hieremias vehementer adverſatum fuiſſet, Deum enim verbis illis ad miſericordiam flectere curabat.* At vero id à Prophetæ inſtituto alienum non eſt, nam peccata confiteri pœnas eorum juſtas agnoſcere,&miſeriam ſuam per comparationem exaggerare, facit ad impetrandam miſericordiam, id verò potuerunt Judæi facere tacitè ſimul iſtâ confeſſione commemorantes ſibi nepotibus paterna delicta imputata eſſe. Neque verum eſt, quod objicit Crell. pag. 59. *neceſſe eſſe, niſi quis dicere velit, injuſtitiam hic Deo à Propheta obijci, ut ſtatuatur Jeremiam hoc tantum voluiße, Iſraelitas occaſione iniquitatum à parentibus admiſſarum non leve damnum perpeſſos, vel ea pertuliſſe, quæ juſtius patribus perferenda potuiſſent imponi, nullâ interim imputationis alieno-*

alienorum deliƈtorum habitâ ratione, licet inquit alias, ſi rem ipſam non mentem iſtorum verborum reſpicias, populo deliƈta paterna imputata fuiſſe dici queant. Quid ita quod culpa parentibus, pœna nepotibus tribuatur contra juſtitiæ leges? At nega eos hoc ipſo negare ſe culpæ reos, & majorum peccata ſibi imputata eſſe. Deinde quomodo verum eſſe poteſt Jeremiam tantum voluiſſe Iſraelitas occaſione paternarum iniquitatum affliƈtos fuiſſe non verè punitos, hoc eſt affliƈtionibus & malis formam & relationẽ pœnæ non adhęſiſſe, cum tamen ſi rem iſam ſpeƈtes, dici queat, populo deliƈta paterna imputata fuiſſe, quod tum fit ut & ibid. ex Socino, quoties filii parentũ ſequuntur veſtigia. Si ergo verum eſt eos & paternorum & ſuorum ſcelerum fuiſſe reos, ſi paterna deliƈta ipſis imputata eſſe dici queat, neque minus propria: nam hoc eodem cap. v. 6. dicunt, *væ jam nobis quod peccaverimus,* non bene conſiſtit affliƈtos tantum ob peccata parentum fuiſſe, non verè punitos. Quare ex hoc loco non evincitur, iniquitates portare non eſſe puniri. Idem judicium faciendum de loco Num. 14. 33. ubi ſcriptum eſt, *filii veſtri paſcent in deſerto 40. annos & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur corpora veſtra in deſerto.* Hic Crell. *id eſſe eos occaſione deliƈti parentum ſuorum damnum non leve ſenſuros*, hoc quidẽ de ſuo profert probationem verò non adfert, ea verba veram punitionem non indicare. Porro dato etiam phraſin hanc aliquando extra proprium pœnæ ſignificatum reperiri, nondum tamen ex eo

derivatur ſtatim has omnes locutiones ſimul conjunctas veram punitionem non arguere. Non obſtat quod apud Comicum legitur. *Sed quid ego; cur me excrucio? cur me macero? cur meam ſenectutem hujus ſolicito amentiâ, an ut pro hujus peccatis ego ſupplicium ſufferam?* noſter enim ſermo eſt de ſupplicio ab alio inflicto, de ratione enim pœnæ eſt, ut quis eam ab alio patiatur, loquitur autem ille apud comicum de vexatione quâ ſeipſum ob filii amentiam exexcruciabat, de verâ pœna & ſupplicio hic non agi, ita quoque manifeſtum eſt ut nemini contrarium in mentem facilè venire poſſit; de eo autem quod inter nos controvertitur longè alia ratio eſt.

Ulterius dico has & ſimiles de Chriſto uſurpatas locutiones, non tantum velle Chriſtum verè punitum, & aliquatenus pœnas noſtrorum peccatorum ſuſtinuiſſe, verum etiam omnes: ut enim cum Scriptura dicit, Chriſtum propter lapſus noſtros eſſe traditum, oblatum ut multorum peccata tolleret, omnes lapſus & peccata intelligit, ita quoque Chriſtum tuliſſe, portâſſe iniquitates noſtras, illas in ipſum conjectas fuiſſe, ut vim ſuam hoſtilem & nocivam in ipſum exercerent, quid aliud eſſe poteſt, quam omnes noſtrorum peccatorum pœnas à Chriſto exactas fuiſſe, quod ni ita eſſet, dicendum foret quoſdam tuliſſe, quoſdã non, peccata noſtra portâſſe quoad quaſdã pœnas quoad quaſdam non portâſſe; aut Chriſtum longè diverſiſſimo modo, has & illas preccatoũ noſtrorum pœnas tuliſſe, quod eſt abſurdiſſimum.

Tandem

Tandem finem huic capiti facturus ſcribit portare ſeu ferre peccata ſive iniquitates alterius nuſquam ſignificare. quod adverſarii volunt, hæc verba ſignificare, cum Chriſtus dicitur tuliſſe peccata noſtra, *ut nimirum is qui peccatum alterius ferre dicitur, tanquam ſi id peccatum ipſe commiſiſſet, à* Deo *puniatur, cum interim tamen coram ipſo Deo revera alioqui innocens ſit & habeatur.*

Fateor hunc modum ferendi aliena peccata Chriſto quarto modo eſſe propriū, nominemq; repertum qui ob aliena delicta punitus ſit, qui revera in ſuà perſona innocēs fuerit, & talis habitus, non tamen exiſtimandum eſt, eâ phraſi pœnas à Chriſto ſuſceptas non indicari; nam ut quis ferat alienū peccatum, ſufficit alienū peccatū ei imputari, ſive ita ut in propriâ perſonâ revera reus fiat & judicio punientis habeatur; ſive ita ut perſonam peccatorum ſuſtineat, atq; ita habeatur ac ſi peccatum alienum commiſiſſet. Hoc verò aut illo modo alienum peccatum in ſe derivare, indifferens eſt & ex accidente ad pœnas, ad alienum delictum relatas. Etſi verò ſenſus ille extra caſum paſſionis Chriſti non reperiatur ab adverſariis, tamen hoc non damnabitur opinor, cnm & ipſi confiteantur, Chriſtum ſic portâſſe peccata noſtra, ut nemo alius unquam peccata ſic portaverit aut portaturus ſit. Uſitatam autem locutionis illius portare peccatum ſignificationem eſſe, occaſione peccati affligi tantum ac divexari, nondum nos docuit Prælector. Denique cum culpa transferri poſſit, & bujus peccatum illi

 aſcribi,

aſcribi, quod pœnę corporalis eſt meritorium ut loquar cum Prælec. ergo & pœna , neque ulla ratio juris obſtare poteſt in contrarium.

Cap. XXII.

Introductio ad eorum locorum explicationem in in quibus Chriſti mors cum veteris Teſtamenti ſacrificiis comparatur , aut ipſe Chriſtus cum ſummo illo antiquo Sacerdote confertur; atque illorum ſimul, ubi Chriſti morti aliquid tribuitur, quod ad expiationes illas antiquas quoquo modo relationem habeat; & quod neque per collationem, neq; per adumbrationem mortis Chriſti in victimis illis antiquis , ſatisfactio pro peccatis noſtris ex Chriſti morte manans colligi poſſit, demonſtratio.

R*Eſtat* quartum caput eorum teſtimoniorum, quæ nobis ab adverſariis objici poſſunt. Diligenter igitur inquirendum eſt, quid ſibi velint Sacræ literæ, cum Chriſtum ejusque mortem cum veteris Teſtamenti ſummo ſacerdote, ejusque ſacrificiis conferunt; & Chriſti morti aliquid tribuunt , quod ad antiquas illas expiationes quoquo modo referri poſſit. Antequā verò illud à nobis fiat, quia credunt omnes, Chriſti mortem in ſacrificiis illis antiquis fuiſſe adumbratā unde etiam comparatio omnis, inter hanc & illam trahi creditur, de hac adumbratione in univerſum aliquid dicendum eſt. Dico igitur, mihi veriſimile non fieri, id quod plerique exiſtimare videntur, in omnibus

omnibus illis antiquis ſacrificiis pro peccato ſeu delicto (nam de iſtis tantùm loquimur) Chriſti mortem fuiſſe adumbratam. Rem enim adumbrantem rei adumbratæ reſpondere oportet. Atqui ſacrificia privatorum, quæ pro peccato fiebant, Chriſti morti non rectè reſpondent. Chriſtus enim pro omnibus eſt mortuus, idque ex Dei ipſiusque Chriſti ſola voluntate atque decreto, abſque ullo eorum pro quibusmortuus eſt aſſenſu antecedente; & non pro uno quopiam omnium peccato, ſed pro omnibus peccatis eſt mortuus. Privatorum autem ſacrificia illa, id eſt, quæ pro privatis offerebantur, non ſolùm, ut verba ipſa docent, pro omnibus non offerebantur; ſed neque etiam pro omnibus illorum privatorum peccatis, ſed pro uno quopiam ſingulorum peccato; idq; non ſine antecedente voluntate uniuſcujuſque, quamquam à Deo ſic præcipiente, ſi modò à reatu illius peccati liberari vellent. Sacrificia igitur pro peccato, in quibus Chriſti mortem adumbratam fuiſſe dici poteſt, ea erant, quæ ab ipſa tantum Dei ordinatione pendebant, & à ſummo Sacerdote, ſtatis quibusdam temporibus, nulla populi exſpectata voluntate, pro univerſo populo offerebantur, præſertim verò anniverſarium illud de quo Exod. 30. 10. Levit. 16. per totum caput, & aliis in locis. Illud enim præterea pro omnibus peccatis (quæ ſcilicet expiari poterant, ut poſteà videbimus) offerebatur, atque alia habebat, quæ rectè per typum ad Chriſti oblationem accommodantur, de quibus auctor ad

Heb.c.9.potiſſimùm,quæq; in aliis ſacrificiis non erant: qui auctor propterea nominatim de ſacrificio illo agit, ad illudque maximè in Chriſti ſacrificio explicando reſpicit. Ubi obiter notandum eſt, quod quamvis in initio cap.
Heb. 19, 1. 2. 13. 9. diſtinguat auctor ille, inter Sancta & Sancta ſanctorum, tamen poſteà id, quod prius appellavit Sancta ſanctorum, ſancta ſimpliciter
ibidem v. 8. 12. 24. 25. &c. appellat, idque perpetuò. Mutatio autem iſta appellationis ex v. 8. ejuſdem capitis apertiſſimè conſtat. Quanquam in verbis Græcis eſt aliqua diſtinctio, inter primam Sanctorum appellationem, & alias quæ Sancta ſanctorum deſignant: illa enim ἅγια ſimpliciter & ſine articulo: hæc verò τὰ ἅγια cum articulo. Sed ad propoſitum revertamur. Diximus ſacrificia privatorum non adumbrâſſe Chriſti mortem, quod ita intelligendum eſt, ſi de ipſis ſacrificiis ipſaque morte loquamur: alioquin in Sacerdotis ſummi perſona, etiam cum ſacrificia pro privatis offerebat, Chriſtus adumbratus fuit, per quem nos ſacrificia noſtra Deo offerimus. 1. Pet. 2. 5. Ex quo loco etiam colligi poteſt, quemadmodum ſacrificia illa antiqua Deo grata non erant, niſi per ſummi Sacerdotis manum oblata: ſic ſacrificia noſtra ſpiritualia Deo grata non eſſe, niſi per Chriſtum illi offerantur. Nam Paulus quoque monet, ut quidquid agimus, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti agamus, gratias agentes per eum Deo & Patri, Col. 3. 17. Eſt autem per Chriſtum ſacrificia noſtra offerrè, id Chriſto fidem habendo eiq; obtemperando facere: alioqui nos quoque ſacerdotes

cerdotes ſumus. 1. Pet. 2. 9. Apoc. 1. 6. & 5. 10. Nec verò dicat aliquis, nos Deo ſacrificia quidem offerre, ſed non expiatoria; & propterea non potuiſſe noſtra ſacrificia in antiquis illis pro peccato privatorum oblatis adumbrari: aſſero enim omninò à nobis expiatoria ſacrificia Deo offerri, de quibus David Pſal. 51. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus confractus, cor contritum & confractum Deus non deſpicies*: Agit enim ibi David de expiatione ſceleris ſui, quã non legalibus ſacrificiis, quæ pro ejuſmodi peccatis expiandis inſtituta non fuerant, & idcircò in eum finem oblata Deo placere non poterant, ſed cordis verè pœnitentis ſacrificio ſe conſecutum, aut conſecuturum eſſe ait. Et Salomon Prov. cap. 16, 6. ait, miſericordia & veritate redimi ſeu potius expiari iniquitatem & Petrus monet populum inquiens Act. 3. 19. *Pœnitemini & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*. Quod quid aliud eſt, quam pœnitentiâ & converſione expiari peccata? Verùm, quomodo hæc expiatio noſtra intelligenda ſit, & quâ ratione divinæ expiationi nihil deroget, ſed univerſa ab ea dependeat, ex iis quæ paulò poſt dicentur planiſſimum fiet. Nunc ad totius rei tractationem aggrediendum eſt. Eſt autem tractatio iſta in duas partes dividenda, quatenus vel mortem Chriſti in victimis illis antiquis adumbratam fuiſſe, ex Sacris literis probari poteſt, vel ipſum Chriſtum in Aharonici Sacerdotis ſummi perſona.

Atque, ut priorem partem primùm exequamur, dicimus hîc quoque diſtinguendum eſſe.

Aut enim volumus in victimis illis antiquis vim aliquam ſatisfaciendi pro peccatis fuiſſe: unde per collationem argumentari liceat, hanc eandem vim in Chriſti morte fuiſſe: aut concedimus in illis victimis reverâ vim iſtam non fuiſſe, ſed tamen contendimus ea dicta de illis eſſe, quæ ſatisfactionẽ iſtam ſignificent, quam neceſſe ſit cum in re adumbrante non fuerit, in re adumbrata reperiri, & ſic ex ipſa tantùm adumbratione argumentari volumus. Quod attinet ad argumentum per collationem, inter omnes conſtat, eas victimas nullam ſatisfaciendi pro peccatis vim habuiſſe, idque rationi planè conſentaneum eſt, cúm inter hominem & pecudem nulla ſit ſpeciei communio; nec pecude ſacrificanda, aliquid Deo dari poſſit:
Pſalm. 24. 1. *Domini enim eſt terra & plenitudo ejus. Non eſt,* inquit Dominus Pſal. 50. 9. 10. *ut accipiam de domo tua juvencum, nec de caulis tuis hircos: mea ſiquidem ſunt omnes feræ ſilvarum, pecudes in mille montibus.* Quamobrem, ſi ex victimarum vi (ut quidem ego arbitror fieri debere) ducendum eſſet argumentum, potiùs nullam penitùs pro peccatis noſtris ſatisfaciendi vim Chriſti mortem habuiſſe concludendum eſſet. Reſtat igitur, ut ex ipſa tantum adumbratione, ea ratione quâ dictum eſt, argumentum duci velimus. Verùm in iſto argumentandi modo, in eo vehementer peccatur, quod pro conceſſo ſumitur, rem adumbrantem ea qualitate penitùs carere poſſe, quam in re adumbrata præfiguret: id enim planè falſum eſt. Semper enim in re adumbrante, aliquid ejuſdem generis eſt

cum

cum eo, quod in re adumbrata præfigurat. quamvis id ejuſmodi ſit, ut ſi cum eo quod præfigurat comparetur, imago quædam veritati oppoſita eſſe videatur: Exempli cauſâ, Serpens ille æneus Chriſtum adumbravit, inq; eo exaltationem ſive in crucē ſive in cœlum, ſalutemque quam adepturi eſſent, quicunque ei fidem habuiſſent, præfiguravit. Atqui interim ipſe quoque ſerpens exaltatus fuit, omnesque in eum intuentes ſervabantur. Itaque utrobique exaltatio, utrobique intuitus aliquis, utrobique ſalus, ſed hîc multò præſtantiora omnia, quàm ibi. 1. Pet. 3.20. 21. Petrus ait, baptiſſimum (non depoſitionem quidem ſordium carnis, ſed bonæ conſcientiæ interrogationem apud Deum) ἀντίτυπον eſſe arce Noë, id eſt, ei tanquam rem adumbratam adumbranti reſpondere. Ut enim omnes, qui arcam illam ingreſſi fuerunt, ab ira Dei, quam diluvium immittendo exeruit liberati ſunt: ſic omnes, qui baptiſſimum iſtum acceperint, à divino æterni ignis ſupplicio ſervabuntur. Æterna igitur hæc ſalus per temporariam illam præfigurata fuit. Si quis autem rectè hanc inter rem adumbrantem & adumbratam analogiam intelligere velit, legat quæ ſcribit Paulus 1. Cor. 10. ab initio capitis uſque ad v. 12. Inveniet enim ab Apoſtolo bis dici, ea quæ populo Iſraëlitico in deſerto contigerant, figuram fuiſſe eorum, quæ Chriſtianis, præſertim illis primis temporibus, eventura erant; idque non aliam ob cauſam, niſi quia utrobique rerum ſimilitudo eſt, ac ſub eodē genere utræq; Num. 21. 9.

 continen-

continentur; quamuis hîc quodammodo rem ipſam, ibi verò rei imaginem ſpectare liceat. Hinc eſt quòd quidquid typicè de Chriſto prædictum eſt, id aliqua ratione in typo quoque ipſo conſpectum fuit. Ut cum David, qui Chriſti typus erat, ait, Pſal. 16. 10. Deum non derelicturum animam ſuam in inferno, nec permiſſurum ut ipſe videret corruptionem. Hæc enim in ipſo Davide eatenus locum habuerunt, quatenus pro eo tempore à morte & corruptione liberatus fuit. Verùm eadem in Chriſto præſtantiore multo ratione locum habuiſſe conſpiciuntur, quę cum ipſis verbis multò magis convenit; cùmque huc potiſſimùm Spiritus ſanctus, cujus inſtinctu David loquebatur, reſpiceret idcircò factum eſt, ut Petrus & Paulus Davidis verba, non de ipſo Davide,
Act. 2. 27. 31. &c. Act. 13. 35. 37. &c. Pſalm. 2. 7.
ſed de Chriſto accipienda eſſe dicant, Act. 2. & 13. cap. Nam cum ſimiliter idem David ait, Pſal. 2. ſe filium Dei eſſe, ab ipſoque Deo regem conſtitutum, cui daturus eſſet poſſidendos terminos terræ, & alia ejuſmodi, Si quis verba ipſa reſpiciat, & prophetici Spiritus mentem attendat, verè dixerit, hæc non de Davide, ſed de Chriſto Jeſu dicta fuiſſe. Sunt tamen ſine dubio de Davide quoque ipſo dicta, ſed figuratè atque hyperbolicè, ſic Deo ad confirmationem Chriſtianæ veritatis mirificè rem omnem moderante, ut deinde aliò reſpexiſſe Spiritum ſanctum, & myſterium ſubeſſe agnoſceretur. Idemque in omnibus ferè typicis de Chriſto vaticinationibus factum fuiſſe deprehendetur. Oportet igitur, (ut ad rem redeamus)

deamus) ſi in victimis illis antiquis aliqua adumbratio fuit ſatisfactionis pro peccatis per Chriſti mortem, in iiſdem quoque victimis aliquam ſatisfactionem pro peccatis fuiſſe: Sed ut dictum eſt, nulla prorſus fuit: Ergo neque ullam etiam ſatisfactionis iſtius adumbrationem in ipſis fuiſſe dicendum eſt, quidquid de illis dictum fuerit, quod, ſi ipſa verba ſpectemus, ſatisfactionem pro peccatis illis tribuere videatur. Quamquam nihil ejuſmodi de ipſis dictum eſt unquam, id quod hac ratione demonſtrari poteſt, quòd nihil de victimis illis, quod huc magis pertineat, dictum eſt, quam cum illis ſacrificandis, ſecundùm recentiorum præſertim tranſlationes, peccata expiari ſunt dicta. Sed verbum ſeu verba Hebræa, quæ in prædictis locis verbo Expiandi reddita ſunt, nullam ſatisfactionem ſignificant, ut mox docebimus. Priùs enim notandum eſt, nuſquam fortaſſe à Moſe ſcriptum fuiſſe, victimas illas expiare peccata, ſed ipſi Sacerdoti fuiſſe tributum, quòd victimas offerendo expiet peccata, vel potiùs, expiet populum, aut aliquem, aliquosvé ex populo, ſive etiam pro ipſis expiet, quod quid ſit, infra ſuo loco videbimus. Verùm tamen, ut concedamus ſcriptum eſſe, victimas illas peccata expiare, ſciendũ eſt Hebræum verbũ, quòd *expiare* redditum fuit, cum de ipſis peccatis per ſacrificia expiandis agitur, eſſe aut ſemper aut ferè ſẽper *Capher*. Hoc autẽ verbum propriè *tegere* vel *oblinere*, ſive *oblinendo obturare* ſignificat: unde metaphoricè pro *expiare* accipitur. Ideò enim expiãture potiſſimùm

tiſſimùm peccata, quia teguntur quodāmodo, & quaſi oblinendo obturantur, nimirum à Deo ſive Dei gratiâ ac benignitate. Hinc David Pſal. 32. 1. beatum hominem prædicat, cujus peccatum tectum eſt. Hinc verbum iſtud de Deo peccata condonante frequenter dicitur, ut Hierem. 18. 23. & Pſal. 78. 38. Utitur quidem Moſes prætereà verbo *Chitta*, quod *mundare* ſeu *purificare* ſignificat, cum de altari expiando aliavé ejuſmodi expiatione loquitur: ſed cum de expiatione peccatorum per ſacrificia verba facit, nullus fortaſſis eſt uſus apud ipſum verbi illius. Quidquid ſit, certum eſt, ex verbo illo nullam ſatisfactionis ſignificationem colligi poſſe: nam & ipſum de Deo dicitur peccata condonante. Cum enim David
Pſalm. 51. 9. inquit, *Aſperges me hyſſopo & mundabis* (ſive expiabis) *me*, eo verbo uſus eſt. Expiat igitur & Deus pecccata, imò ipſe ſolus verè expiat. Quondoquidem is ſolus eſt, qui regit atque abſcondit, mundatque atque purificat peccata noſtra, ea nobis liberaliter condonando. Dicimur tamen & nos, aut certè dici poſſumus, expiare noſtra peccata, cum id facimus, ſine quo tantam ſuam liberalitatem nos Deus experiri non vult, ubi nullius nihilominùs pro peccatis ſatisfactionis ne umbra quidem apparet. Quocirca, cùm conſtituiſſet Deus, ut populus Iſraëliticus liberalitatem ſuam in condonatione quorundam peccatorum non ante experiretur, quàm ſacrificia quædam ſibi obtuliſſet, meritò iis ſacrificiis offerendis, populus ille peccata illa ſua expiare dici poterat,
quamvis

quamvis nulla prorſus ratione pro peccatis ſuis ſatisfaceret. Atque hac eâdem de cauſa, ipſis ſacrificiis,quòd peccata expiarent,ſine ulla ſatisfaciendi ſignificatione , tribui potuit. Quemadmodum etiam fide nos juſtificari teſtatur ſcriptura, Rom. 5. 1. juſtumque ex ſua fide vivere, Habac. 2.4.non quòd fides dignitate aut merito ſuo hominem à peccatis abſolvat,eique vitam conciliet: ſed quòdDeus ſtatuerit, neminem à peccatis abſolutum iri, neminemque victurum, niſi qui fide fuerit prædıtus: qui autem eâ præditus fuerit, hunc omninò,& à peccatis ſuis abſolutionem,& vitam adipiſci velit. Nam & ſacrificiis illis peractis, voluit Deus peccata, pro quibus offerebantur, omninò expiari atque deleri.Non igitur quærendum eſt. ut expiatio illis ſacrificiis tributa, in Chriſti morte quam illa adumbrabant reperiatur , tanquam ea ſcilicet , quæ verbotenus tantùm illis tributa fuerit. Nam verè (ea tamen ratione , quam modò explicavimus) per ſacrificia illa expiabantur peccata , non quidem omnia , ſed ea pro quibus offerebantur. Offerebantur autem pro peccatis per ignorantiam admiſſis, vel per incogitantiam , & humanam quandam eamque frequentem fragilitatem , ut quiſque ex cap. 4. 5. & 6. Levit. intelligere poteſt. Atque de iiſdem peccatis, de quibus verba fiunt in initio cap. 6. Levit. accipienda ſunt quæ leguntur Num. cap. 5.v. 6. &c. In quo libro præterea cap. 15. à v.24. uſque an 32.habetur aperta diſtinctio inter ea peccata, quibus expiatio per ſacrificia conce-
debatur,

debatur, & ea quibus non concedebatur: hæc erant quæ per ſuperbiam, idque ſcienter ac prudenter contra Dei mandatum committebantur: illa verò, quæ per errorem. Quod ſi, ut plerique exiſtimare videntur, ſacrificia illa nullum reverâ peccatum expiaſſent, ſed tantummodò expiationem per mortem Chriſti, quæ futura erat, adumbrâſſent, cur potiùs pro levioribus quibusdam, quàm pro gravioribus ea offerri voluiſſet Deus? Nonnè per Chriſti mortem omnia quantumvis gravia peccata expiantur? Quinimò, ſi ſacrificia illa per ſe inanis tantùm umbra ac figura erant, ad Chriſti tamen mortem, quâ omnia peccata etiam illius temporis expiantur, homines adducebant, non video cur non potiùs pro gravioribus peccatis, quàm pro levioribus offerri deberent, ſiquidem graviora delicta animum & conſcientiam magis perturbant, & ad deſperationem quempiam faciliùs adducere poſſunt. Itaque curandum inprimis fuiſſet, ut qui gravia aliqua delicta commiſiſſent, per ſacrificia quæ pro illis offerrentur, Chriſti mortis admonerentur, per quam olim expianda forent, ne interim animum deſponderent, ſed inde ſuis vulneribus ſalutarem medicinam petere poſſent. Ex prædictis ſatis conſtare videtur, neque per collationem, neque per ſimplicem adumbrationem, ex ſacrificiis illis antiquis, id eſt, ex victimis ipſis, quæ Deo pro peccatis offerebantur, aliquid elici poſſe, unde ſatisfactionem iſtam pro peccatis noſtris ex Chriſti morte manaſſe ſuſpicari liceat: cùm, ut

dem[illegible]

demonſtratum fuit, nec victimæ illæ ullam ſatisfaciēdi vim haberent, nec eis, quòd pro peccatis ſatisfacerent, ullo prorſus modo tributum fuerit, nec per ſe inanes umbræ eſſent, ſed reverâ per eas peccata, pro quibus offerebantur, Dei beneficio expiarentur.

Verùm iis quæ à nobis hucusque dicta ſunt duo potiſſimùm obſtare videntur. Unum eſt, quòd in epiſtola ad Heb. cap. 10. 4. 11. diſertè dicitur, ſanguinem taurorum & hircorum, & hoſtias illas antiquas, non poſſe auferre peccata. Alterum eſt, quòd Levit. cap. 16. aperte affirmatur, omnia peccata in illo anniverſario ſacrificio expiata fuiſſe, & hircum illum emiſſarium ſuper ſe omnes prævaricationes, & omnes iniquitates, & omnia peccata populi in terram inhabitabilem portâſſe. Quod ad locum ſeu locos attinet epiſtolæ ad Hebræos, quamvis poſteà de ipſis accuratiùs agendum ſit, id tamen nunc monuiſſe præſtabit, ablationem peccatorum, de quâ ibi eſt ſermo, non eſſe eam de qua hîc diſputamus, quatenus ſcilicet peccatorum reatus tollitur aliquorum præcedentium, ſed eam quâ ipſa peccata auferuntur, & ne quis ampliùs peccet, efficitur, atque hac ratione omnium peccatorum reatus in perpetum tollitur, ut ſuo loco apertiùs oſtendemus. Quod verò pertinet ad cap. 16. Levit. fateor de ſacrificio illo dici, quod expiaret populum ab omnibus peccatis eorum, ut ſcriptum eſt, v. 16. 21. 30. 34. Sed animadvertendum eſt, dictionem univerſalem *omnia*, ad ea peccata reſtringi debere, quibus in lege

Levit. 16. 16. 21. 30. 34.

Hebr. 10. 4. 11.

lege expiatio concedebatur, quæ ſimul omnià ſemel quotannis Deus expiari poſſe volebat, ut ſi quis inter eos, qui peccâſſent anno illo, vel errorem ſuum non agnoviſſet, vel ſacrificium offerre neglexiſſet, poſſet nihilominùs expiationem conſequi, & coram Deo ea in parte mundus eſſe, Confirmat apertè id quod diximus auctor epiſtolæ ad Hebr. qui cap. 9. 7. ait, in eo ſacrificio anniverſario ſummum Sacerdotem pro ſuis & pro populi ignorantiis obtuliſſe. Nam, quod quidam ignorantiarum nomine ibi omnia prorſus peccata ſignificari volunt, nullo modo ſunt audiendi, cùm contra perpetuum uſum Sacræ ſcripturæ loquantur, quæ etiam manifeſtè ignorantias ab aliis peccatis diſtinguit, (ut ſupradicto capite Num. 15. apparet) quibus per ſacrificia in lege expiatio non conceditur. Jam verò, quod attinet ad hircum illum emiſſarium, dico primùm neceſſarium eſſe, ut ceremonià illâ, cùm eſſet incruenta, nulla peccata expiarentur: Traditur enim regula ni epiſtola ad Hebr. c.9. 22. Sine ſanguine non fieri remiſſionem. Quare ſi ibi de peccatis remittendis agitur, id aliud eſſe non poteſt, quàm repræſentatio quædam, vel potiùs adumbratio remiſſionis illius, quæ eodem die, eodemque ſolenni feſto per ſacrificium fiebat. Nam etſi in hirci ceremonia illa, non peccatorum tantùm, ut in ſacrificio, ſed prævaricationum quoque & iniquitatum fit mentio, tamen dicendum eſt, cum de ſa crificio agitur, nomen peccatorum, ut ſæpiſſimè fit, latiùs accipi, cum verò de ceremonia anguſtiùs.

Num. 15, 24. 26. 27, 28. 29. 30. 31. &c.

Levit. 16. 21.

guſtiùs. Nam illa quoque peccata, quæ ultronea appellari ſolent, quæque ſacrificiis expiabantur, prævaricationes nominari ſolere patet ex Levit. 6. 2. &c. & Num. 5. 6. 7. &c. Iniquitatis verò nomen ad ejuſmodi peccata ſacrificiis expianda accommodari poſſe oſtendunt hi loci. Levit. 5. 16. 17. & cap. 10. 17. Quanquam dici poteſt, ceremoniam illam nec repræſentationem etiam, vel adumbrationem ejus remiſſionis fuiſſe, quæ per ſacrificium contingebat; ſed populi, ut ex parte apparet, ſuorum delictorum & ſcelerum omnium confeſſionem, & ſimul vel profeſſionem ea in poſterum ab ſe quàm longiſſimè ablegandi, vel ad Deum precationem, ut eorum reatum ab ipſis penitùs removeret, non ſecus ac ſi hircus ille ea reverâ ſecum in deſertum illum atq; inacceſſum locum aſportâſſet.

REFUT. CAP. XXII.

Introductio ad eorum locorum explicationem in quibus Chriſti mors cum V.T. ſacrificiis comparatur, aut ipſe Chriſtus cum ſummo illo antiquo Sacerdote confertur; atq; illorum ſimul, ubi Chriſti morti aliquid tribuitur, quod ad expiationes illas antiquas quoquo modo relationem habeat, & quod neque per collationem, neque per adumbrationem mortis Chriſti in victimis illis antiquis ſatisfactio pro peccatis noſtris ex Chriſti morte manans colligi poſſit, demonſtratio.

PRimo hujus cap. membro antequam rem propoſitam aggrediatur, aſſerit *in ſacrificiis*

 privato-

privatorum, quæ pro peccato fiebant, Chriſti mortem non fuiſſe adumbratam; rem adumbrantem rei adumbratæ reſpondere debere, ſacrificia autem hæc Chriſti morti non rectè reſpondere.

Illa ſacrificia umbras mortis Chriſti non fuiſſe, nullo Script. textu firmat noſter; neque verò etiam rationes attulit ſatis efficaces ad id concludendum. Etſi enim diſſimilitudo ſit in eo, quod illa ſacrificia ſuerint oblata pro uno alicujus peccato, non ſine antecedente voluntate ejus, pro quo offerebantur, quorum oppoſita in morte Chriſti inveniuntur, analogia nihilominus talis hic eſſe poteſt, cur merito victimæ illæ expiatoriæ, cum Chriſti morte tanquam figuræ cum ſuo corpore conferri poſſint. Inter ſacrificia expiatoria publica & ſtata, etiam illud quod ſemel in anno peragebantur, & ſacrificium Chriſti magna & multa etiam eſt diſſimilitudo, quod univerſa pene Epiſtola ad Heb. ſatis docet, quæ tum generatim ſacerdotium Leviticum cum ſuis victimis ſacerdotio Meſſiæ opponit, per diſſimilem utriuſque collationem, tum ſpeciatim ſummi ſacerdotis functiones & anniverſarium ſacrificium, quamquam ergo plenior quædam & perfectior adumbratio in publicis & quæ ſtatis fiebant temporibus, ea tamen eſt analogia & ſimilitudo in privatis ut merito cenſeri poſſit hæc ſacrificio etiam Chriſti rectè reſpondere ex lege adumbrantis & adumbrati: typi & umbræ recipiunt magis & minus. Omnia verò ſacrificia expiatoria non publica & ſtata tantum typos & umbras fuiſſe mortis & ex-

piatorii ſacrificii Chriſti oſtenditur autoritate Epiſtolæ ad Heb. ubi de priore tabernaculo dicitur, *quod exemplar pro tempore illo præſenti, quo dona ſacrificiaque offeruntur*, quæ non poſſunt in conſcientiâ ſanctificare cultorem, in cibis duntaxat & potionibus & diverſis ablutionibus ac ritibus carnalibus uſque ad tempus correctionis impoſita, ſub iſtis omnibus ſacrificia expiatoria privatorum etiam comprehenduntur: illa parabolæ & umbræ ut ipſum tabernaculum, ſive univerſum ſanctuarium mundanum, idque ipſius expiatorii ſacrificii mortis Chriſti, cum bonum illud futurum quod exemplaribus & umbris illis præfiguratum fuit, dicatur in ſequentibus ibid. verbis com. 11. 12. *æterna noſtra redemtio per proprium Chriſti Pontificis ſanguinem*. 2. eodem ad Hebr. cap. com. 22. ſcriptum reperitur, *omnia fere ſecundum legem ſanguine purificari, & abſque ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem:* iſta verò ſubſequenti verſu dicuntur *ὑποδείγματα eorum quæ ſunt in cœlis quæ purificantur* ut ibidem docetur *melioribus quam iſtæ ſunt victimis*: ſub iſtis quæ ſecundum legem ſanguine purificantur, continentur & ea quæ ſacrificiis controverſis expiantur, eorundem ſacrificiorum ſanguine fit remiſſio. Jam vero de omnibus iſtis generatim pronuntiatur, eſſe exemplaria cœleſtium, quæ potioribus victimis purificantur, quæ victimæ potiores propitiatorium Chriſti ſacrificium ſunt. Etſi enim exertis verbis ſolummodo dicatur, ea quæ ſecundum legm ſanguine purificata, eſſe eorum quæ in

exemplaria

 cœlis

cœlis exemplaria, apertiſſimè tamen patet, non tantum velle ea quæ ſunt purificata ſe habere ut adumbrans & adumbratum. verum etiam eandem relationem eſſe inter victimas purificantes: Quemadmodum etiam is reſpectus qui eſt inter purificationes victimarum legalium, & noſtram purgationem ſpiritualem, per meliorem Chriſti victimam, is etiam inter ipſas victimas conſtituendus, quid aliud totâ hacEpiſtola intenditur, quam Aaronicum ſacerdotium quantum quale eſt typicum & umbratile eſſe, Chriſti verò eſſe reale & verũ, & umbrarum illarum corpus; unde veri tabernaculi miniſter dicitur, futurorũ bonorũ Pontifex, & legem eorundem umbram habuiſſe. Tametſi ergo res purificatæ & purificandæ hic ſolummodo conferantur ut figura & figuratũ, idem tamen de ipſis victimis tenendum. Quare inanis illa Crellij exceptio pag. 494. *quod non dicatur ſacrificia legalia præſertim omnia eſſe exemplaria aut typos ſacrificij Chriſti: ſed ea quæ ſub V. Fœdere ſanguine purificata, fuiße exemplaria eorum quæ in cœlis. De victimis ipſis nihil aliud dici, quod ad ipſarum inter ſe comparationem attinet, quam cœleſtia præſtantioribus ſacrificiis expiari debuiſſe*: nam ſi velimus tantum illa ſub V. Fœdere fuiſſe umbras quæ totidem expreſſis verbis legimus adumbrâſſe, ne ſummus quidem ſacerdos figura ſummi noſtri ſacerdotis Chriſti fuerit, aut ulla victima legalis umbra ſacrificii Chriſti. Chriſtus veri *tabernaculi miniſter dicitur* Heb. 9. com. 2. Sacerdotes *qui ſecundum legem offerunt dona exem-*

plari

plari & umbra rerum cœleſtium deſerviiſſe dicuntur v. 5. *tabernaculum prius exemplar pro tempore præſenti dicitur* Heb. 9. 9. *Legem umbram habentem futurorum bonorum, hoſtiis ſuis accedentes ſanctificare non potuiſſe.* Parata erit exceptio Crelliana, tabernacula conferri ut typum & antitypum non ſacerdotes ipſos. Item illos ſacerdotes exemplari & umbræ deſerviiſſe, non verò ipſos ſacerdotes, aut ſummum ſacerdotem typos fuiſſe Chriſti. Similiter tabernaculum prius exemplar fuiſſe, non verò ipſas victimas aut anniverſarium ſacrificium figuram ſacrificii Chriſti fuiſſe, non ipſas hoſtias umbras fuiſſe hoſtiæ Chriſti, ſed tantum ſanctificationes hoſtiarum legales, ſanctificationem per ablationem Chriſti nobis contingentem præfiguràſſe.

Tertio probatur ſacrificia etiam privatorum umbras fuiſſe ſacrificii Chriſti ex eo, quod ſcriptum eſt Heb. 10. com. 11. *& omnis quidem ſacerdos adſtitit quotidie ſacra peragens, & easdem ſæpius offerens hoſtias quæ nunquam poſſint auferre peccata.* Hæc ad anniverſarium ſacrificium referre, nulla ratio ſuadet aut cogit. Dato de hoc anniverſario ſacrificio hactenus inſtitutum fuiſſe ſermonem, dici poteſt etſi id peculiariter ſpectetur, non ſolum de anniverſario ſacrificio in antecedentibus actum eſſe. Secundò etiamſi in antecedentibus, de hoc ſolum ſacrificio ageretur, decentiſſimè tamen mentionem faceret auctor de ſacrificiis, quæ quotidie offerebantur, in quorum numero ſunt & illa de quibus contendimus: multo conve-

nientius per hoſtias quotidianas, intelligere ſacrificia, quorum erat perpetua per totum annum oblatio quam anniverſarium ſacrificium quod ſemel in anno peragebatur, quia propria & uſitata hæc locutionis illius καθ ἡμέραν apud græcos ſignificatio eſt: Iſocrates τὸ καθ ἡμέραν appellavit *quotidianum victum*, ita Thucid. τῆς καθ ἡμέραν ἀναγκαίας τροφῆς dixit eodem ſic ſenſu Mat. 26. 55. Mar. 14. 49. de divite impio dicitur, *quod ſe exhilarabat quotidie ſplendidè* καθ ἡμέραν Luc 14. 47. Luc. 22. 53. *Quotidie perdurantes concorditer* in templo Act. 2. 46. & ſequent. verſu eodem ſenſu Act 3. com. 2. καθ ἡμέραν *ſcrutantes Scripturas* Act. 17. 11. & 17. Heb. 3. 13. *exhortamini alii alios* καθ ἡμέραν. Ex his omnibus liquet phraſin & locutionem illam eo ſignificatu paſſim accipi, qui in anniverſarium ſacrificium Chriſti non conveniat magis verò ſecundum uſitatam ſignificationem locutio accipienda, quam ſecundum exemplum extraordinarium Heb. 7. com. 27.

quotidie

Inſtitutâ digreſſiunculâ monet *eam ſanctuarij partem, quæ prius eſt appellata ſancta ſanctorum, poſtmodum ſimpliciter appellari Sancta*, id quidem non malè. Quod vero addit de diſtinctione in verbis græcis *inter primam ſanctorum appellationem* com. 2. *& alias quæ nomine Sanctorum Sancta ſanctorum deſignant, non eſt perpetuum*, nam voce ſimplici Sanctorum ſine additio articulo Sancta Sanctorum etiam deſignantur com. 29. *non enim in manufacta Sancta ingreſſus eſt Chriſtus*, ἅγια *ſine articulo legitur.*

Pergit Prælector, quemadmodum ſacrificia illa

illa antiqua Deo grata non erant, niſi per ſummi ſacerdotis manum oblata· ſic ſacrificia noſtra ſpiritualia grata non eſſe, niſi per Chriſtum illi offerantur. Et paulo poſt. Eſt autem per Chriſtum ſacrificia noſtra offerre, *id Chriſto fidem habendo eique obtemperando facere: alioqui nos quoque ſacerdotes ſumus*. Hæc interpretatio aliena á genuino iſtarum locutionum ſenſu, per Chriſtum offerre nos Deó idem eſſe, quod nos moveri fide, quam Chriſto habemus, & ſtudio & voluntate ipſi obtemperandi ad obediendum Deo, cum planum ſit notari eo loquendi genere actum Mediatoris Chriſti intermedium, quo ut noſter ſummus Pontifex ſacrificia noſtra Deo pręſentat. Ita in cõmuni loquendi uſu, cum dicimur per aliquem offerre libellum ſupplicem alicui, aut aliud quidpiam, intelligimus actum & operam ejus intermediam intervenire, inter nos offerentes, & ei cui offertur: non verò eo indicamus nos ei fidem habentes, atque mandatis ejus obtemperantes iſta facere. Non aliter ergo Chriſtiani ſpirituales ſuas hoſtias per Chriſtum offerunt, quam antiquis temporibus Judæi per ſacerdotes ſuos, victimas ſuas offerebant qui de manibus offerentium accipiebant, & Deo offerebant, ut rectè animadvertit Prælector, *dicens ſacrificia illa antiqua Deo grata nonfuiſſe niſi per ſummi ſacerdotis manum oblata:* neque verò eo noſtrum negatur ſacerdotium, quod dicamus accipi à Chriſto noſtras hoſtias, ut Deo offerat, cum gens Judaica, *quam regale ſacerdotium* nominat Petrus im. 2. cap. com. 9. *& ſacerdotale re-*

le regnum Moſ. Exod. 19. 6. per invenientem ſacerdotum operam hoſtias ſuas Deo obtulerit. Porro ſacrificia noſtra in antiquis illis pro peccato adumbrata etiam fuiſſe admitti poteſt (quod in ſequentibus proponit noſter) nam & Chriſti ſacrificium, & noſtra eorundem antitypa eſſe potuere, de Chriſti ſacrificio ſupra viſum eſt. Noſtra antiquis ſacrificiis adumbrata eſſe non malè colligitur ex loco Pauli Heb. 13. 15. *Per ipſum igitur aſſiduè offeramus Deo ſacrificium laudis, id eſt fructum labiorum*, omnino videtur ad verba Hoſ. 14. alludere juxta tranſlationem L X X. interpretum, qui pro reddemus vitulos labiorum noſtrorum, tranſtulerunt, reddemus fructum labiorum noſtrorum. Secundò ſcribit Paulus ad coloſſ. 2. cap. *ne quis vos damnet ob cibum vel potum, aut reſpectu feſti aut novilunii, aut ſabbatorum*, quæ ſunt umbra rerum futurarum & corpus Chriſti, & poſtmodum mortuos nos eſſe cum Chriſto ab elementis mundi, conſequenter, ut viventes in mundo ritibus onerandos non eſſe, cultus ergo illi ſpirituales, quos ſepultis ritibus Chriſtus induxerat, elementa illa mundi, quibus Chriſtiani erant mortui adumbraverant, nam in elementis illis mundi vivere ut com. 21. intertatur Paulus, *eſt abſtinere à vetitis cibis, & conſcientiâ diſcriminis ciborum duci*, quod ciborum & potus diſcrimen, ad umbras quę per Chriſtũ evanuerunt ante retulit. Sequitur eodem hoc primo cap. membro aſſertio adverſarii, noſtra etiam ſacrificia expiatoria eſſe, & legalia ſacrificia, pro gravioribus peccatis oblata non fuiſſe

fuiſſe, de quibus quia in ſequentibus rurſum & amplius occurret ibidem deſpiciemus.

Secundo paragrapho an rei in titulo cap. propoſitæ tractationem aggreditur, præmiſſâ totius inſequentis tractatus diſtibutione in partes duas. *Prior verſatur circa mortem Chriſti ut in victimis illis adumbratam*, qui tractatus uſque ad cap. 27. porrigitur. *Poſterior verſatur circa ipſum Chriſtum in Aharonici Sacerdotis ſummi perſonâ præfiguratum*, & tribus ultimis capit. continetur. Ad prioris partis tractationem aggrediens ait: ut ducatur argumentum à victimis antiquis pro ſatisfactione mortis Chriſti ſtatuendum eſſe *aut vim aliquam ſatisfaciendi pro peccatis in victimis fuiſſe, unde per collationem argumentum ducatur ad mortem Chriſti, aut nudam adumbrationem in illis fuiße factam.* Tranſeat dilemma Prælectoris. Pergit, *priori modo procedere non poſſe argumentum pro dogmate ſatisfactionis mortis Chriſti, cum inter omnes conſtet, eas victimas nullam ſatisfaciendi pro peccatis vim habuiße, idque rationi planè conſentaneum eſſe, cum inter hominem & pecudem nulla ſit ſpeciei communio; nec pecude ſacrificanda aliquid Dei dari poſſit* Pſalm. 50, 9. 10.

Victimas nullam veram & propriam pro peccatis ſatisfaciendi vim habuiſſe admittitur: quod veré aut ejus cauſam eſſe, quod pecude ſacrificandâ Deo dari non poſſit, *quia Domini eſt terra & plenitudo ejus*, id congruenter ſententiæ ſuæ dicere non videtur, cum ſentiat pœnam ſatisfactoriam peccati eſſe poſſe id ad quod citra reſpectum peccati jus habet

Deus. Potuit Deus hominem ſub morte perpetuò relinquere ex jure citra peccatum Deo competente, & tamen in pœnam ſatisfactoriam pro peccatis mortem illam infligit Deus. Primo homini ut docuit cap. primo Prælect. non certa fuiſſet immunitas ab æternâ morte etiamſi perſtitiſſet in obedientiâ, & tamen mors illa quæ Dei eſt ex abſoluto dominii jure in pœnam& vindictam peccati infligitur. cap. 18. Prælect. titulus eſt. *Nullo modo juſtitiæ divinæ, ſalvis nobis pro peccatis noſtris ſatisfieri potuiſſe, ne ab ipſo Chriſto quidem,* quo indicavit pœnas peccatorum æternas ſatisfactorias; eo ſenſu nobis non pereuntibus, divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris, nullo modo ſatisfieri potuiſſe. cap 8. lib. de Servat. titulum fecit, *neminem mori niſi pro peccatis aut ſuis aut alienis falſam & ineptam eſſe* de quacunque tandem morte interpretari velimus, apertè oſtenditur. Poſito Deum infligere poſſe quodvis genus mortis, idque jure ex delictis non promanante, iſtà mortis genera, rationem pœnæ & ſatisfactionis habere non poterunt ex mente Socini id ſi verum, quod Dei eſt dari Deo non poſſe, conſequenter non ſatisfacere.

Jam quod ad alteram dilemmatis partem attinet, opinatur Prælector *ex adumbratione merâ pro ſatisfactione depromi argumentum non poſſe, quia quidquid adumbrans præfigurat in adumbrato aliquatenus prærequiratur in adumbrante: falſum eſſe adumbrans adumbrati ſui qualitate penitus carere poſſe; proinde adumbratam in victimis non fuiſſe ſatisfactionem, niſi in ipſis victimis*

onis aliqua ſatisfactio pro peccatis reperiatur. Eo recidunt quæ dicit, probationem à victimis deſumtam nullam eſſe, niſi ſtatuatur ſatisfactorias eſſe, & ſi adumbrarunt ſatisfactionem id niſi per ſatisfactionẽ aliquam potuiſſe; neceſſe eſſe, intelligamus eã adumbrationi ſubſterni. Axioma adverſarii in re adumbrante ſemper aliquid ejuſdẽ generis eſſe cum eo, quod in re adumbratâ non eſt verum. Serpens æneus præfiguravit ſpiritualem ſanitatẽ & æternam ſalutem, virtute & efficaciâ Chriſti conferendam, deſignavit adumbrans virtutẽ adumbrati, cum tamen nulla analoga virtus, in adumbrante æneo ſerpente reperiatur. Etſi enim æneum ſerpentem intuentes ſervabantur, nullâ tamen virtute æneo ſerpente inhærente. Hircus emiſſarius auferens omnes iniquitates populi in terram deſertam, typus & umbra fuit ablationis peccatorum noſtrorum per Chriſtum ablatio per Chriſtum efficaciſſimâ Chriſti virtute & poteſtate nobis contingit, in hirco tamen nulla prorſus poteſtas in auferendo delictorum reatu, nulla in pœnis auferendis vis aut efficientia. Idem quoque in ſacerdotibus & eorum expiationibus conſpicuum eſt, qui peccata & eorum pœnas ſuâ poteſtate non auferebant, & tamen ſacerdotium eorum, eorundemque functiones typica & umbratilia fuerunt expiationis peccatorum noſtrorum per Chriſtum.

Everſo hoc axiomate concidit omnis reſponſionis vis ad argumentum ab adumbratione victimarum deſumtum; cum etſi in adumbrantibus victimis vera & propria pro pecca-

tis

tis ſatisfactio non fuerit, in adumbrato tamen eſſe potuerit. Præterea ad debitam typi & antitypi relationem, ſufficere ſimilitudinem quandam probatur, tametſi ſimilitudo illa non exurgat ex eodem rerum & qualitatum genere, quæ in typo & antitypo reperiantur. Dicitur ut hoc loco recenſet Prælector Pſalm 16. v. 10. *Deum non dereliĉturum animam ejus in inferno, nec permiſſurum, ut ipſe videret corruptionem*, quæ verba omnium Chriſtianorum conſenſu continent Prophetiam de reſurrectione ex mortuis; neque tamen David quem hic typum facit Chriſti, quà typus mortis Chriſti, mortuus fuit, ut ergo in adumbrato poteſt eſſe vera mors, quæ tamen non eſt in adumbrante, etiam in adumbrato poteſt eſſe ſatisfactio quamquam non ſit in victimâ adumbrante, ſufficit ergo aliquam ſimilitudinem & congruentiam rei ad rem reperiri. In victimis illis aliqua ſimilitudo earum rerum, quæ in ſatisfactione conſpiciuntur, ut in ſatisfactione aliquid datur, ſic victimarum oblatione, ſatisfactio fit pro aliquo ita & oblatio: hic quædam imago ſubſtitutionis & compenſationis: victima patitur, liberatur reus. Dixi Davidem typum à Prælectore dici ratione reſurrectionis ex mortuis, ad commonſtrandum non idem rei genus requiri in adumbrante & adumbrato, non quod hoc rectè fieri exiſtimem: nam ſi illa verba, Dauidi ex magnis periculis liberato accommodari poſſunt, multum inde enervabitur argumentum, quod inde ducitur pro reſurrectione Chriſti. In promtu erit Judæis adverſus

ſus Chriſtianos excipere, de Davide ex magnis periculis erepto, & Dei benignitate conſervato, accipienda eſſe. Quapropter non eſſet cur tantâ confidentiâ hoc divinum teſtimonium urgeret Petrus, ad evincendam inde tanquam irrefragabili argumento reſurrectionem Chriſti, unde ad id roborandum diſerte cavet de Davide hoc accipiendum non eſſe. Majorem autem in hoc teſtimonio vim non poſuiſſe Apoſtolum, aut aliter non adhibuiſſe quam par eſſet, nemo Chriſtianus dubitare poteſt. Paulus eodem ductus ſpiritu, probat inde efficaciſſimè Chriſti reſurrectionem & liberationem à corruptione. Hoc ſtrato fundamento de Davide hæc dicta non eſſe credo, cum non ſint meliores Apoſtolis duces, nobis ab ipſis diſcedere, religio eſt. Locum Pſalm 2. non de Davide ſed de Chriſto interpretatur omni exceptione major Apoſtolus Paulus, cujus interpretationi tutius quam aliorum dictis acceditur.

Subdit, *nihil de victimis dici, quod illis ſatisfactionem pro peccatis tribuere videatur, quod nihil de victimis illis, quod huc magis pertineat dictum eſt quam quod illis ſacrificandis, ſecundum recentiorum præſertim tranſlationes, peccata expiari ſunt dicta. Sed verbum ſeu verba Hebræa quæ in prædictis locis verbo expiandi reddita ſunt, nullam inquit ſatisfactionem ſignificant.*

Verbum Hebræum Caphar, quod expiare reddi ſolet, cum de peccatorum expiatione per ſacrificia agitur, eſt operire, in Pihel expiare emundare iram amovere ne ultra appareat: de-

ſignat

ſignat actionem quâ ablato peccato reconciliatio quæritur & ira placatur; propria quidē & prima ejus vocis ſignificatio eſt tegere, veruntamen in conjugatione Pihel. metaphorica inde ducta ſignificatio, quæ iſti conjugationi propria & nativa eſt, ſuo ambitu ſenſum etiam ſatisfactionis complectitur. Poteſt ergo illa vox ex vi ſuæ ſignificationis, eidem in iſtâ conjugatione nativæ, ſatisfactionem deſignare. Verbum Copher inde ductum pro pretio redemtionis Pſalm. 49. 8. *frater non poteſt redimere fratrem neque dare Deo Copher* Exo. 21. 30. Copher expiatio vertit Pagninus *poſita fuerit ſuper eum*, verſio Junio Tremelliana habet, *ſi redemtionis pretium impoſitum fuerit ei*, agitur de pretio redemtionis in ſignificatione propriâ. Verbi ergo Caphar naturâ non eſt aliena ab hoc ſignificatu. Verbum Chitta quo Moſes quoq; utitur, quod eſt mundare auferre peccatum, eſt etiam pœnas luere Gen. 31. 39. *rapinam non afferebam tibi pœnas luebam pro illa*, utitur quoque Moſes eo verbo cum de expiatione peccatorum per ſacrificia verba facit Num. 19. 19. *& mundabit eum die ſeptima* Levit. 9. v. 15. *expiavit vel pro peccato obtulit.* Jam verò cum naturæ vocum & nativæ ſignificationi conveniat ſenſus ſatisfactionis, quomodo oſtendi poteſt, cum voces illæ ſacris expiatoriis tribuuntur, ſenſum ſatisfactionis non competere neque competere poſſe, ideo non commonſtratur, quod alio ſæpe ſenſu accipiantur, vel ex ipſorum verborum vi ſatisfactionis ſignificatio colligi non poſſit. Quinimo

dici

dici poteſt ex verbis illis ſatisfactionem colligi, quia victimæ illæ expiatoriā ſatisfactionem adumbrârunt neque verò expiârunt, de qua re hîc dicendi locum non facimus. Sacramentali locutione effecta rerum ſymbolis earum attribuuntur.

Quod ſubjungit *nos etiam expiare peccata noſtra*, *ut ſupra monuit à nobis expiatoria etiam ſacrificia offerri*, *quia pœnitentia & fides in nobis neceſſaria ſunt*, *ad fructum expiationis per Chriſtum facta percipiendum*, *& remiſſionem peccatorum conſequendam*, loquendi genus eſt inuſitatum in ſacris. Baſilius Magnus accuſat Eunomium ὅτι ῥήματα ἔξω τῆς χρήσεως ὄντα τοῦ θείου πνεύματος νομοθετεῖ quod voces ſanciat Sp. S. inuſitatas. Malim ergo hoc inuſitato loquendi genere, quod facile periculo & ſuſpicione non careat abſtinere. Apud Salom. cujus verba ſupra adducta à Prælect. Prov. 16. 6, Legi poteſt non minus miſericordiā & veritate tegi abſcondi amoveri, quàm expiari cum ibi ſit verbum Caphar. Neque verò etiam ea Chriſtiani populi eſt ratio in expiatoriis ſacris quæ populi V. Populus vetus ſi dicatur ſacrificia offerre atque iis peccata ſua expiare, id erat quia ſacerdotio ejuſque ſacrificiis futurum Chriſti expiatorium ſacrificium adumbrabat: peractā jam peccatorum noſtrorum expiatione per Chriſtum *non amplius oblatio pro peccato* ut ait divinus ad Heb. auctor. Si quis tamen pertinaciter contendat dici poſſe à nobis expianda peccata, quatenus ſpiritu confracto & contrito per veram pænitentiam corde, exem-

plo

plo Davidis Deo perpetuò ſacrificandum, & fide vivâ & verâ Deo Chriſtoq; inhærendum, ut vim & fructum percipiamus unici ſacrificij expiatorij à Chriſto peracti, ut Deum placaret, & pro noſtris peccatis ſufficientiſſimè ſatisfaceret, is eo ſenſu ferri poſſet, quamquam potius receptis in Scripturâ locutionibus accedere malim, quæ expationem & oblationem pro peccatis Chriſto vendicant, nobis autem pænitentiam & fidem injungunt, ut vim ejus in nobis experiamur, & beneficia inde promanantia nobis applicemus & conſequamur.

Subdit. *Offerebantur autem* (ſacrificia nimirum V. Teſtam.) *pro peccatis per ignorantiam admiſſis, vel per incogitantiam & humanam quandam eamque frequentem fragilitatem,* & *paulo poſt pro levioribus quibusdã non pro gravioribus.*

Primò ſcias expreſſis legalibus Deum pro ſingulis peccatorum ſpeciebus expiationẽ per victimas non ordinâſſe: nam pro idololatriâ adulterio, inceſto homicidio, pro ſabbati violatione, pro falſo Propheta pytone incantatore plagiario, filio rebelli, & in univerſum pro nullis peccatis, quibus expreſsâ aliquâ & peculiari legis ſanctione mors erat conſtituta à domo judicii infligenda, ordinata fuit victima expiâtoria, ut nec pro ullis quibus edicto legis pœna excidii ſtatuitur. De hac pœnâ excidii *tenebatur qui adipem comederet animalis, ex quo offerret oblationem ignitam Jehovæ* Levit. 7. 25. *Qui ſanguinẽ comederet* ibid. v. 27. *Qui fermentum in die Paſchatis & in die jejunij id eſt expiationum*

ationum comederet Exod. 12.15. Levit.23.29. Sunt complura alia peccata pro quibus ſacrificium lege ſingulari & expreſſâ non fuit conſtitutum. Quædam tantum delicta ultronea & vitia moralia recenſentur Levit. 5. 6. Levit. 6. 23. 4. 5. Secundò generatim pro peccatis per errorem admiſſis, ſacrificia à Deo ordinantur Levit. 4. v.3. 13. 27. quouſque verò in peccatis per errorem juris commiſſis, hæ leges ſe extenderint, meum non eſt definire. De eo qui docet Halacham id eſt ſententiam aliquam vel ritum ex proprio ſuo cerebro, de eo dicunt Robim. *errorem doctrinæ reputari pro ſuperbiâ*. 3. pro quibuſdam etiam peccatis gravibus ſcienter commiſſis, de quibus in legibus Moſaicis ordinariâ lege ſpeciatim nihil definitum, expiationes per ſacrificia inſtitutæ. David cum ex ſuperbiâ populum numerari curaſſet, propter quod peccatum ira Dei in totam terram exarſit *ædificavit altare Jehovæ obtulitque holocauſta & pacifica & placatus eſt Jehova terræ ac cohibita eſt plaga ab Iſraele.* Pro peccato murmurationis non eſt ſpecialis lex expiationis, & tamen legimus Num. 16. 46. quod Moſes dixerit ad Aharon, *cape acerram & pone in eâ ignem de altari, ac ſæpe pone incenſum ac perge cito ad congregationem & expia, egreſſus eſt enim furor à facie Jehovæ cæpit percuſſio*. 4. dico manifeſtum eſſe quod ſint peccata complura, pro quibus lex ſacrificiorum ſpecialis non fuit conſtituta, quæ aut minus aut non magis vitioſa ſunt, quam peccata illa, quæ ſpeciatim expianda recenſentur Levit. 6. cor. 2.

fidem depoſiti fallere, fraus violenta extorſio, aliena bona per calumniam occupare, perjuria hæc omnia ſunt graviora peccata & ſcienter & prudenter committuntur. Neque gravius haberi poteſt aliquem ex irâ, quæ ex ſubito nonnunquam affectu exoritur vulnerare, concupiſcere, proximum liberè non corripere, perſonam reſpicere ante cæcum offendiculum ponere, adipem ſanguinem aut fermentum in die paſchatis comedere, peregrino nihil colligendum relinquere, alia, pro quibus tamen leges ſpeciales ſacrificiorum non conſtituuntur. Quæ cum ita ſint, leges illæ expiationum non videntur, aut levitatem peccati, aut non ſolam reſpexiſſe, cum pro levioribus aut æquè levibus expiatoria ſacra non ſint conſtituta peculiaribus legibus, quemadmodum pro illis, quæ dicto loco Levit. 6. recenſentur. 5. dico peccata illa moralia fraus, violentia, extorſio, revera ſunt peccata ex ſuperbiâ perpetrata. 1. ſcienter contra conſcientiæ dictamen, quare non peccatis per ignorantiam ſed per ſuperbiam commiſſis hæc accenſenda ſunt. Neque audiendus Socin. lib. 2. de Seruatore cap. 12. *ejuſmodi ultronea delicta ideo expiari potuiſſe, quia proximè accedebant, ad ea quæ per imprudentiam admittebantur, neque enim contumaciter adverſus Deum in eis peccabatur; ſed fragilitate humanâ & perverſo atque inveterato quodam uſu, quo unusquisque bona alterius ad ſe, ſi poteſt, ſub aliquo ignorantiæ vel juſtitiæ prætextu trahit & capit. Et idcirco in lege expiationis quæ eſt* Levit. cap. 6. *ibi inquam* v. 3. & 7. *adduntur ea verba, quæ facere*

cere ſolet homo &c. & Num. cap. 5. v. 6. ejuſmodi delicta appellantur peccata hominum. *ex quibus apparet, Deum in expiatione illâ concedendâ inveterati cujuſdam uſus & humanæ fragilitatis rationem habuiſſe.* Erant plura alia in quibus non magis contumaciter peccabatur, & peccari poterat ſi ſic loqui placet, humanâ etiam fragilitate atque inveterato quodam uſu, quamquam non videam, ſi à perjurio, rapinis, fraudibus, omnis contumacia abeſſe poteſt, & ad fragilitates humanas reduci poſſunt, cum ex habitibus turpibus ac vitioſis, inveterato quodam uſu roboratis, provenire poſſint, cur non idem de multis aliis, de homicidio de adulterio de pluribus aliis dici poſſit, quę ex ſubito pravæ cupiditatis aut iræ impetu provenire poſſunt, non autem ex inveterato peccandi uſu & vitioſis habitibus neceſſario procedunt. Accedit quod peccatorum quæ ſuperbię in ſacris dicuntur, gradus ſint, aut conſtitui poſſint, ac propterea etiamſi hæc perpetrantes, non intelligatur ad extremum ſuperbiæ gradum perveniſſe, non efficitur hæc peccata in cenſum peccatorum quæ ſuperbias vocant non venire. Rabbi Maximonides lib. more Neuochim pat. 3. cap. 41. diſtinguit. ex hoc fundamento *peccatum per ſuperbiam à peccato manu elatâ, qui peccat inquit manu elatâ eſt ſuperbus, qui callum peccandi attraxit, ac publicè libereque peccat* quamquam interim ſciam phraſes has ab interpretibus promiſcuè uſurpari. Ut verò hæc peccata non ſuperbiis, ſed erroribus & ignorantiis accenſeat, ait ea legi verba,

quæ facere ſolet homo, & appellari peccata hominum, quaſi iis indicatũ ſit Deum in expiatione illâ concedendâ inveterati cujuſdam uſus & humanæ fragilitatis rationem habuiſſe. At Vatablus ad locum Levit. 6. v. 3. ſic annotavit, *ex omnibus quæ fieri non poſſunt ab homine ſine peccato.* Deinde quamquam hæc loca de peccandi conſuetudine agant (de humanâ enim fragilitate in illis nihil) id argumento non eſt hoc ad imminuendum aut excuſandum peccatum allatum eſſe, quaſi propterea peccatis ignorantiæ accenſeri debeat. Illa peccandi conſuetudo, in apertâ rebellione & à Deo defectione nimis crebro quoque reperitur, & nihil eſt de quo Deus magis per Prophetas ſuos conqueritur, quam de pravâ peccantium conſuetudine & contumaciâ adverſus Deum & præcepta ejus, ut paſſim in ſcriptis Prophetarum videre eſt, quæ res tantum abeſt tolerabiliorem peccantiũ faciat conditionẽ, ut inde multum aggravetur. Sextò dico cũ ſtatutæ fuerint expreſſę leges pro quibusdam gravibus peccatis, & expiata legantur etiam ea, ut exemplo Davidis & Aaronis demonſtratum eſt, quibus expreſsâ lege non erat conceſſa expiatio rationi planè conſentaneum eſt, alia aut leviora, aut non magis gravia, aut alia quævis in genere peccata, expiatione legali non caruiſſe; quapropter etiam à vero non eſt alienum, anniverſario ſacrificio atq; oblatione ſummi ſacerdotis id fuiſſe procuratum, de quo Levit. 16. v. 9. 11. 15. & v. 21. 22. 23. 24. Potuit quidem populus Iſraelis per hirci emiſſarii cæremoniã ſpem & deſiderium

ſiderium conſequendæ expiationis peccatorum ſignificare, à populo enim accipere hircos jubebatur Aharon ad oblationem peccatorum procurandam ut extat com 5. Levit. 16. quo ſanè præcepto morem gerebat populus, deſiderio & voto conſequendæ expiationis. Potuit populus eâ emiſſione hirci qui cuncta peccata ſuper ſe habere cenſeretur, publicam edere pœnitentiæ ſuæ profeſſionem, ſunt enim ſacrificia de pœnitentiâ admonitiones; neque ſine eâ quicquam externis ritibus profici poterat. Potuit eâ cæremoniâ quod & ita eſt repræſentata eſſe gratuita omnium peccatorum condonatio ut Socinus monet lib. 2. cap. 12. & in fine hujus cap. veruntamen hic hircus ſacrificium pro peccato fuit, dicitur enim v. 5. *à cœtu autem filiorum Iſrael accipiet duos hircos caprarum in hoſtiam pro peccato* & v. 10. de eodem hirco ſiſtendum coram Jehova ad emundandum ad faciendum expiationem, ut habent interpretes. Etſi verò hujus hirci ſanguis non fuit effuſus, fuit tamen quaſi pars hirci cujus ſanguis effuſus & accenſeri debet iſtis ſacrificiis, quorum ſanguis effuſus fuit, & ſimul cum eo & aliis conſtituebat hoc anniverſarium ſacrificium, quo univerſalis expiatio peracta, nam abſolutis iis quæ erant agenda circa arietem & hircos duos, ritibuſque omnibus ritè peractis dicitur v. 30. *iſto die expiationem faciet pro vobis, ad mundandum vos: ab omnibus peccatis veſtris: coram Jehova mundabimini*. Excipitur à Socino *per omnes iniquitates omnes defectiones aut prævaricationes intelligi debere ea, quibus à Deo*

expiatio per ſacrificia in lege concedebatur expreſſis nimirum & peculiaribus legibus de iis latis, quam exceptionem ad legem non ex lege promit. Objicitur quoque locus Num. 15. v. 30. Ubi legitur: *anima quæ fecerit in manu excelsâ tam civis quam peregrini Jehovam probris afficit atque excidetur anima illa è medio populi ſui.* Verum reſponderi poteſt id non de quibuſlibet peccatis per ſuperbiam commiſſis accipiendum eſſe, quia peccatis quibusdam ultroneis expreſsâ lege ſuccurritur, neque ratione anniverſariæ expiationis accipiendum inde non ſatis firmiter colligitur peccatis non fuiſſe paratum expiationis beneficium, quemadmodum peccato Davidis aut Iſraelitarum murmurationi. Quemadmodum hæc legis comminatio non tollit medium pœnitentiæ, ita nec omnem rationem auferendi criminis per ſacrum expiatorium. Urget Socin. in hoc negotio imprimis autoritatem Epiſt. ad Hebr. cap. 5. v. 2. Ubi legitur: *qui condolere poſſit ijs, qui ignorant & errant quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* Et Heb. 9. 6: *in ſecundum autem ſemel in anno ſolus Pontifex non ſine ſanguine quem offert pro ſeipſo & populi ignorantiis.* At hinc non eſt concludendum ut exiſtimat Socin. lib. de ſervat. cap. 12. *Pontificem illum non pro omnibus peccatis, ſed pro ignorantiis & erroribus ex infirmitate admiſſis ſacrificâſſe:* qui pro ignorantiis & erroribus ex infirmitate admiſſis ſacrificat, poteſt ſimul pro aliis omnibus ſacrificare eâ ratione non concluditur, quod non obtulerit pro omnibus, niſi ponatur tantum pro ignorantiis

rantiis & erroribus ſacrificâſſe, quod ipſe Socinus negat, qui hinc quædam ultronea delicta non excludit: non minus verò omnia alia delicta intelligi poſſunt ignorantiis nominatis quam quædam, omnia autem hoc pacto indicare voluit his vocibus autor ad Heb. Nam aut unâ ſpecie indicatâ, alias ut jam dixi tacitè voluit intelligere, aut ſenſu quodam generali, quodvis peccatum comprehendere. Primò de quovis peccato verba autoris accipi poſſunt, ἀγνόημα quod eſt Heb. 9. peccatum ex cordis malitiâ commiſſum deſignare poteſt crucifixio Chriſti ignorantię opus nuncupatur. Act. 3.17.& tamen erat χειρῶν ἀνόμων. Sic verbum Hebræum ſchageh pro quovis errore peccati etiam voluntario uſurpatur; *ne ſinas me errare á præceptis tuis* Pſalm. 119. 10. *deriſorem efficit vinum tumultuantem ſicem & omnis errans in eo non erit ſapiens*. Eodem ſenſu legitur hæc vox Pſalm 119. 21. & 118. Eſa. 28. 7. πλανωμένοις habetur in loco ad Heb. 5. quod de quibusvis peccatoribus etiam impiis dicitur. Omnes nos ſicut oves erravimus, in græco eſt ἐπλανήθημεν. Petrus habet πρόβατα πλανώμενα 1. Epiſt. 2. cap. v. 25. *nam eramus quondam & nos amentes, rebelles, errantes &c.* Tit. 2. v. 3. Vox Græca ἀσθένεια de qualibet infirmitate intelligi quoque poteſt. Adjectivum ἀσθενῶν de peccatoribus impiis Paulus dixit ad Rom. 5. 6: Non incommodè ergo verba autoris generatim accipi poſſe videntur, ut comprehendant peccata ea, quæ in anniverſariâ expiatione hirco imponebantur, de quâ expreſſe Heb.

impiarum manuum

errantibus

oves errantes

 9.6.

9. 6. De hac etiam, ſi non ſolâ verba ad Heb. 5. agunt. In anniverſariâ expiatione hirco imponebantur omnes iniquitates & omnes prævaricationes filiorum Iſrael, iſtis verò vocibus quibus iſto loco uſus Moſes, omnia gravia delicta paſſim à viris ſanctis exprimuntur. Eſt hoc loco *peshan*, perpetua ejus vocis ſignificatio eſt contemtus rebellio voluntaria, transgreſſio. Dicit Socin. cap. 12. lib. 2. de Servat. *eâ voce errorem tantum declarari* Exod. 22. 8. At id ex loco non patet. Græci habent ἀδίκημα, vulgata ſive Hieronymus ad perpetrandam fraudem, Neque id evidenter probatur ex loco altero. qui prædicto apponitur, in multiloquio non deerit peccatum, & ſi his locis rarior eſſet ſignificatio, circumſtantiæ loci ejus cauſa eſſent, ac propterea in loco Levit. nihilominus ſequenda eſſet perpetua vocis ſignificatio. Altera vox quam Moſes adhibuit prædicto loco Levitic. eſt *havan* pravitas vitium, cum ergo de anniverſatione expiatione agatur apud autorem ad Hebr. nihil convenientius eum iſtis quibus uſus eſt vocabulis, delicta illa, de quibus ibi agitur, comprehendere voluiſſe. Socinus omnino vult ſimplices incogitantias & errores ab autore ſolummodo deſignatos, quia vox Hebraica ſchegaga, quâ Moſes utitur ſimplex error & ignorantia eſt. Levit. 4. 5. Num. 15, quaſi neceſſe ſit ad hos locos autorem ad Heb. reſpexiſſe; cum magis ex ratione dici videatur reſpexiſſe ad locum illum, ubi lex præſcribitur Pontifici de ſuis & populi peccatis expiandis, de quâ ſummi Pontificis

injuſtitia

Socin. lib. 2. de Servat. cap. XII.

tificis expiatione nominatim autor ad Heb. eſt locutus. Poſtremò etſi ita eſſet pro levioribus, non omnibus peccatis conceſſam fuiſſe per ſacrificia expiationem, ſtaret tamen cauſa principalis de ſatisfactione & argumentum pro eâ ab adumbratione derivatum.

Pergit. Quod ſi ut pleriq; exiſtimare videntur, *ſacrificia illa nullum revera peccatum expiaſſent, ſed tantummodo expiationem per mortem Chriſti quæ futura erat adumbraſſent, cur potius pro levioribus quibusdam, qui pro gravioribus ea offerri voluiſſet Deus: addit id ſi verum pro gravioribus potius offerri debuiſſe &c.*

Primò hæc argumentatio, ut jam oſtenſum infirmo nititur fundamento pro peccatis omnibus non eſſe factam oblationem. 2. iſtis conſequentiis Prælectoris non magis urgetur ſententia de expiatione umbratili quàm de verâ? Quæram enim ſi verò expiarint, cur potius leviora quam graviora, imò ex adverſo cur non potius graviora quam leviora expiarint? Dici non poteſt ejus rei cauſam eſſe, quod leviora illa rebus iſtis potuerint expiari, graviora non item nam cum illa expiatio ex valore victimarum non oriatur, ſed tota ex Dei ita volentis benignitate, Dei benignitate ita volente, graviora etiam iiſdem victimis expiari potuiſſent. Neque dicat mihi (lib. 2. de Servat. cap. XI. in fine, *abſurdum omnino videri, ut majorum ſcelerũ expiatio, vel minimâ quidem ex parte ex corporeo aliquo cultu proficiſcatur*, quomodo verò id abſonum videri poteſt Socino, qui non abhorret ab eo, ut ibi in antecedẽtibus habetur,

 Deum

Deum per cæremoniam hirci emiſſarii univerſalem peccatorum remiſſionem à ſe factam declaraſſe? Si ergo poteſt Deus, per cultum corporeum declarare remiſſionem jam factam quorumvis peccatorum, cur non velle idem Deus poſſit cultum corporeum ipſam remiſſionem gravium peccatorum præcedere, aut non niſi eo interveniente homini remiſſionem obtingere, nam hoc ipſum eſt ſacrificia expiare. Imò ſi Socinus ſe ipſum audiat, *ſacrificiorum expiare etiam eſt declarare remiſſionem jam factam* Socin lib. 2. cap. 20. Præterea ſi lex oblationem pro grauioribus non habuiſſet, lex tamen mediis non caruiſſet, quibus de peccatis ſuis admonerentur homines & ad Chriſtum quærendum compellerentur. Deinde potuit hæc cæremonia eſſe ut in fine hujus cap. dicitur *confeſſio delictorum & ſcelerum omnium*, *& ſimul profeſſio ea in poſterum ab ſe quam longiſſimè ablegandi*, in quo caſu ex corporeo cultu, ablatio omnium peccatorum etiam gravium conſequeretur. Probatur, quia cæremonialis illa confeſſio & ablegatio ex mandato Dei, eſſet quid annexum veræ reſipiſcentiæ, ex quâ remiſſio peccatorum conſequebatur. Jam verò non magis alienum eſt à ratione ex ritu corporeo & cæremoniali remiſſionem peccatorum gravium provenire, quam expiationem eorundem peccatorum.

Reſtat tertia ſectio cap. in quâ primum à ſe dictis de expiatione legali. objicit teſtimonium illud inſigne Heb. 10. 11. De reſponſione ejus impræſentiarum nihil dicam, ſequentibus

tibus id reſervatur. Quod adfert de anniverſario ſacrificio, de ignorantiis de cæremonia hirci & iis quæ ibi leguntur, in allatis excuſſum, quantum quidem mihi pro menſurâ donationis gratiæ Chriſti conceſſum fuit.

Cap. XXIII.

Quid per comparationem Chriſti mortis cum victimis illis antiquis, de ipſa Chriſti morte, quod attinet ad delenda peccata noſtra, ſtatui poſſit; & locorum de expiatione per Chriſti mortem loquentium explanatio.

CUm igitur neque per collationem, neque per adumbrationem antiquarum victimarum, ullâ ratione concludi poſſit, Chriſti mortem pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe, videndum eſt, ecquid aliud inde, quod ad delenda noſtra peccata attinet, de Chriſti morte conſtitui queat? Primùm igitur de collatione ſeu comparatione videamus. Antequam tamen iſtud fiat, ſciendum eſt, Chriſti corporis oblationem expiatoriam, quam auctor epiſtolæ ad Hebræos antiquis illis victimis opponit, non eſſe ipſam Chriſti mortem, ſed per Chriſti mortem ipſius ingreſſum in cœlum, ubi nunc pro nobis coram Deo appareat, ut poſteà demonſtrabitur. Ex quo apparet, non leviter eos errare, qui ea, quæ auctor ille Chriſti attribuit oblationi, ad ipſam mortem accommodant: præſertim cùm ne ibi quidem, ubi mortis ſeu ſanguinis Chriſti tantùm

fit

Deum per cæremoniam hirci emiſſarii univerſalem peccatorum remiſſionem à ſe factam declaraſſe? Si ergo poteſt Deus, per cultum corporeum declarare remiſſionem jam factam quorumvis peccatorum, cur non velle idem Deus poſſit cultum corporeum ipſam remiſſionem gravium peccatorum præcedere, aut non niſi eo interveniente homini remiſſionem obtingere, nam hoc ipſum eſt ſacrificia expiare. Imò ſi Socinus ſe ipſum audiat, *ſacrificiorum expiare etiam eſt declarare remiſſionem jam factam* Socin lib. 2. cap. 20. Præterea ſi lex oblationem pro grauioribus non habuiſſet, lex tamen mediis non caruiſſet, quibus de peccatis ſuis admonerentur homines & ad Chriſtum quærendum compellerentur. Deinde potuit hæc cæremonia eſſe ut in fine hujus cap. dicitur *confeſſio delictorum & ſcelerum omnium, & ſimul profeſſio ea in poſterum ab ſe quam longiſſimè ablegandi*, in quo caſu ex corporeo cultu, ablatio omnium peccatorum etiam gravium conſequeretur. Probatur, quia cæremonialis illa confeſſio & ablegatio ex mandato Dei, eſſet quid annexum veræ reſipiſcentiæ, ex quâ remiſſio peccatorum conſequebatur. Jam verò non magis alienum eſt à ratione ex ritu corporeo & cæremoniali remiſſionem peccatorum gravium provenire, quam expiationem eorundem peccatorum.

Reſtat tertia ſectio cap. in quâ primum à ſe dictis de expiatione legali. objicit teſtimonium illud inſigne Heb. 10. 11. De reſponſione ejus impræſentiarum nihil dicam, ſequentibus

tibus id reſervatur. Quod adfert de anniverſario ſacrificio, de ignorantiis de cæremonia hirci & iis quæ ibi leguntur, in allatis excuſſum, quantum quidem mihi pro menſurâ donationis gratiæ Chriſti conceſſum fuit.

Cap. XXIII.

Quid per comparationem Chriſti mortis cum victimis illis antiquis, de ipſa Chriſti morte, quod attinet ad delenda peccata noſtra, ſtatui poſſit; & locorum de expiatione per Chriſti mortem loquentium explanatio.

Cum igitur neque per collationem, neque per adumbrationem antiquarum victimarum, ullâ ratione concludi poſſit, Chriſti mortem pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe, videndum eſt, ecquid aliud inde, quod ad delenda noſtra peccata attinet, de Chriſti morte conſtitui queat? Primùm igitur de collatione ſeu comparatione videamus. Antequam tamen iſtud fiat, ſciendum eſt, Chriſti corporis oblationem expiatoriam, quam auctor epiſtolæ ad Hebræos antiquis illis victimis opponit, non eſſe ipſam Chriſti mortem, ſed per Chriſti mortem ipſius ingreſſum in cœlum, ubi nunc pro nobis coram Deo appareat, ut poſteà demonſtrabitur. Ex quo apparet, non leviter eos errare, qui ea, quæ auctor ille Chriſti attribuit oblationi, ad ipſam mortem accommodant: præſertim cùm ne ibi quidem, ubi mortis ſeu ſanguinis Chriſti tantùm

fit

ſit aperta mentio, intelligendum ſit, ipſam tantummodò mortem commemorari, cùm Sacri ſcriptores ſola ſanguinis ſeu mortis Chriſti appellatione metonymicè univerſam ipſius oblationem (nam id quoque in commemorandis ſacrificiis illis antiquis fieri conſuevit, ut ſcilicet ſanguinis ſolo nomine univerſa pecudis oblatio intelligatur) intelligere ſoleant. Verùmtamen, ut de veritate apertiùs conſtet, ipſam Chriſti mortem cum victimis illis conferemus, atque adumbrationis etiam ratione habita, hanc illis longè præſtare docebimus, etiamſi nulla ex ea pro peccatis noſtris ſatisfactio proficiſcitur. Jam verò, quemadmodum legales illæ victimæ non ideò peccata expiabant pro quibus offerebantur, quia vel Deum ad illa condonanda moverent, vel aliquid in ipſis eſſet, quod culpam ex ipſis peccatis manantem reſarciret; ſed, quia ſacrificio peracto expiatio jam ante Dei benignitate decreta conſequebatur: ſic etiam Chriſti mors non idcircò peccata noſtra expiat, quòd vel Deum ad ea nobis condonanda moveat, vel culpam peccatorum noſtrorum ullo modo reſarciat; ſed, quia Chriſti ſupplicio peracto liberatio à reatu peccatorum noſtrorum conſequitur, quę jam anteà erga nos Dei miſericordiâ fuerat conſtituta. Simul enim atque Chriſtus crucis mortem paſſus fuit, id ex Dei decreto conſecutus eſt, ut non ſolùm ipſe ad vitam immortalem reſtituendus eſſet; ſed etiam nos qui illi obedimus, & ipſius ſumus, eâdem immortali vitâ donandi poteſtatem adipiſceretur. Atqui nihil

nihil aliud eſt libertatio à peccatorum noſtrorum reatu, quàm à morte peccati pœna perpetua decreta liberatio. Prætereà, ſicut victimis illis oblatis, jam populus ſe à reatu peccatorum illorum liberatum, ſibique Deum placatum eſſe agnoſcebat: ita Chriſti ſupplicio peracto non modò, ut dictum eſt, nos à peccatorum noſtrorum reatu liberi ſumus, verùm etiam id ipſi agnoſcimus; Deumque nobis placatiſſimum eſſe intelligimus, qui chariſſimum filium ſuum, ut is nobis ad æternam ſalutem præiret, & certiſſimus Dux eſſet, teterrimæ morti objicere non recuſaverit. Itaque expiationis peccatorum noſtrorum tùm effectus, tùm etiam agnitio, non ſecus atque ex victimis illis, ex Chriſti morte manat. Ad expiationis effectum pertinent illa ipſius Chriſti verba, Matth. 26. 28. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Non igitur dicere voluit Chriſtus, ſanguinem ſuum fuſum iri, ut Deus ad remiſſionem peccatorum multis concedendam adduceretur, ſed ut ad multos peccatorum remiſſionis effectus manare poſſet. Niſi enim Chriſtus ſanguinem ſuum fudiſſet, poteſtatem ſuos, id eſt, ſibi obedientes (qui ſunt illi multi) ab æterna morte vindicandi, qua re peccatorum remiſſio continetur, nullo modo, ut anteà dictum fuit, adeptus fuiſſet. Ad eundem expiationis effectum pertinent verba illa epiſtolæ ad Hebr. *Et ideo novi Teſtamenti mediator eſt, ut morte* Hebr. 9. 15. *intercedente, in redemptionem earum prævaricationum quæ erant ſub veteri Teſtamento, repromiſſi-*
onem

onem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis. Vocabulum Redemtionis, ut alibi diximus, hoc loco Expiationem ſignificat. Mors igitur Chriſti intervenit,ut nos,per novum nobiſcum a Deo per ipſum Chriſtum percuſſum Fœdus, expiationem conſequeremur earum tranſgreſſionum, quæ non expiabantur ſub vetere Fœdere, atque ita quicunque vocati ſumus (loquitur autem hîc Apoſtolus de vocatione cum effectu, de qua ſupra a nobis actum eſt) & ipſi Chriſto fidem habemus, æternæ vitæ hæredes fiamus. Vt enim, (quemadmodum ibidem ſubjicitur) niſi teſtatoris mors intercedat, teſtamentum ratum non eſt: ſic niſi Chriſti mors interceſſiſſet, nullum effectum habituræ erant ejus promiſſiones, & Fœdus quod nobiſcum ſanxit. Ubi animadvertendum eſt, Apoſtolum propter ambiguitatem vocis Græcæ διαθήκης quæ & Fœdus & Teſtamentum ſignificat, à Fœdere ad Teſtamentum ſermonem detorſiſſe, nec tamen id perperam factum eſt. Neque enim Fœdus tantúm, ſed teſtamentum quoque feciſſe Chriſtus dici poteſt antequàm moreretur. Nam certè Teſtamentum condentis videntur eſſe verba illa, Luc 22. 29. 30. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus mihi regnum, ut edatis &c.* Eſt quidem apud veterem Interpretem in verbis paulò ante allatis vox *Teſtamentum*, ſed ea ab ipſo pro Fœdere ubique, uſurpatur, tanquam ſi ea eſſet vox voci διαθήκης planè reſpondens, quod tamen non ita eſt. Neque enim apud Latinos vox *Teſtamentum* Fœdus ſignificare unquam (ut arbi-

arbitror) deprehenditur. Quod tamen deſiderandum eſſet, ut hic locus rectè Latinè reddi poſſet. Sed quia neque hanc, neque ullam aliam vocem Latini habent,quâ unà & Fœdus & Teſtamentum pariter ſignificent, propterea hic locus in linguam Latinam converſus omnem vim omnemque venuſtatem amittit. Cæterùm, ſimilitudo quam hîc inſtituit Apoſtolus inter Chriſti Teſtamentum (quod vocant) & aliorum teſtamenta, in eo ſolùm conſiſtit, quòd utrobique mors teſtatoris interveniat neceſſe eſt, ſi teſtamentum ratum eſſe debet, quemadmodũ ipſius verba demonſtrant. Ratio verò, cur utrobique mors teſtatoris ad teſtamentum confirmandum requiratur, longè diverſa eſt. Aliorum teſtamenta nullum effectum habere poſſunt vivo teſtatore: omnis enim eorum effectus poſt mortem differtur, & poteſt teſtator dum vivit, non modò teſtamentum mutare, ſed illud etiam penitùs abolere. At Jeſu Chriſti teſtomentum, id eſt, illius promiſſiones, nullum effectum habituræ erant, niſi Chriſtus, ipſequi illas nobis præſtare debebat, æternâ vitâ ac planè divina poteſtate præditus fuiſſet. Hiſce autem rebus ex Dei ipſius decreto minimè præditus eſſe poterat, niſi priùs mortem expertus eſſet. De hoc eodem expiationis effectu accipiendus eſt locus ille apud Johannem prioris epiſtolæ capite. 4. 10. *In hoc eſt charitas,non quaſi nos dilexerimus Deum,ſed quoniam ipſe dilexit nos, & miſit filium ſuum propitiationem* (ſive expiationem) *pro peccatis noſtris*. Quid autem ſit hæc

hæc peccatorum noſtrorum expiatio, quam Dei filius peregit, declarant proximè præcedentia verba v. 9. in quibus, ut ſæpiſſimè ſolet, Apoſtolus eandem ſententiam expreſſerat: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum.* Expiat igitur peccata noſtra Chriſtus Dei filius, non quia divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfaciat; ſed quia vitam æternam nobis confert, quâ noſtrorum peccatorum expiatio, id eſt, ab ipſorum pœna liberatio, pleniſſimè continetur. Ad expiationis autem peccatorum noſtrorum per Chriſtum partæ cognitionem pertinent, ut arbitror, ejusdem Apoſtoli verba illa, 1. Joh. 1. 7. *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem, & ſanguis Jeſu Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato* Perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, Si hoc facimus, non eſt cur de expiatione noſtrorũ peccatorũ dubitemus: Jeſu Chriſti enim ſanguis, quem, ut eam conſequeremur, effundi voluit Deus, id nobis apertè teſtatur. Nam verbum *emundare* idem ſignificare poſſe, quod *mundum pronuntiare ſeu declarare*, probant inter cætera manifeſtè cap. 13. & 14. Levit. ubi de leproſo vel mundo vel immundo pronunciando agitur. Etenim ibi perpetuò, ſecundùm veritatem Hebraicam, ubi in Latinis editionibus eſt *mundum judicabit* aut quid ſimile, habetur *emundabit*: quemadmodum etiam ibidem, pro eo quod in Latinis codicibus eſt *immundum judicabit*, in Hebræo habetur *contaminabit*.

Con-

Confirmatur autem hæc noſtra hujus loci interpretatio ex eo quod Johannes paulò infe-riùs ſcribit, v. 8. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ipſi Deo nunc tribuit, quod filii ejus ſanguini anteà tribuerat, Deumq; emundare, vel potiùs emundaturū eſſe noſtra peccata affirmat. Ex quo ſatis conſtat, verbum Emundandi hoc loco nihil prorſus cum ſatisfactione commune habere. Nulla enim ratione per ſatisfactionem emundaturus eſt Deus ipſe peccata noſtra, ſed, ut ex ejusdem Apoſtoli verbis apertè colligitur, per remiſſionem ac condonationem. Cujus rei cùm Jeſu Chriſti, filii ejus effuſus ſanguis indubitatam nobis faciat fidem, meritò illi peccatorum noſtrorum emundatio tribuitur. Id enim ſolùm, poſt tantam Dei liberalitatem, ſi condonationem iſtam reipsâ adipiſci velimus, ut fiat neceſſe eſt: videlicet, ut nos rem ita ſe habere credamus, ob eamque rem tales evadamus, quales Deus requirit, & Johannes eſſe debere affirmat qui tanti boni participes ſint futuri, in luce nimirum ambulantes, quemadmodum ipſe Deus eſt in luce, & peccata noſtra illi ſincerè ex animo confitentes. Superantur autem victimæ illæ antiquæ à Chriſti morte in peccatis expiandis duplici de cauſa. Primùm, quia victimę illę, illę etiam (inquam) quę ſemel in anno offerebantur quibusq; potiſſimùm, ut dictum eſt, Chriſti mors reſpondet, à peccatorum quidem pœna liberabant, cæterum à peccatis populum ceſſare minimè

faciebant: ſed Chriſti mors non modò à peccatorum pœna nos liberat, verùm etiam, ut à peccando ceſſemus, efficit. Deinde, victimæ illæ ab antecedentium anni illius peccatorum pœna populum immunem reddebant: Chriſti autem mors, & ab antecedentium omnium delictorum, & à futurorum reatu nos liberat. Utrumque hunc Chriſti mortis effectum complexus eſt auctor epiſtolæ ad Hebr. his verbis. cap. 9. 11. 12. *Chriſtus autem aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id eſt, non hujus creationis; neque per ſanguinem hircorum & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemtione inventa.* Redemtionis verbum, ut jam dictum eſt, ab hoc ſcriptore pro Expiatione uſurpatur: Opponit enim expiationem Chriſti & morte interveniente factam expiationibus illis legalibus, atq; eam æternam vocat, cùm legales illæ temporariæ eſſent, non ſolùm quia illæ, ut ſupra dixerat, pro tempore illo præſente, uſque ad tempus correctionis, conſtitutæ erant: hæc verò in æternum duratura eſt; verùm etiam quia illæ, pro eo etiam tempore, in futurum nequaquam reſpiciebant: hæc verò ab omnibus peccatis etiam futuris, id eſt, ab ipſorum reatu & pœna liberat. Sic enim ſtatuit Deus, ut poſtquàm Chriſtus ipſi obediens fuit uſque ad mortem crucis, omnes qui illius ſunt, in cœlis cum ipſo tandem æternum vivant, & ita ab omnium peccatorum reatu & pœna liberentur. Et hic eſt unus ex illis duobus Chriſti mortis effectibus.

bus. Sed animadvertendum eſt, Chriſtum pro ſuis eos tantummodò agnoſcere, qui reſipuerunt, atque, ut inquit Paulus Gal. 5. 24. carnem ſuam unà cum concupiſcentiis & affectibus crucifixerunt. In quibus, ſi nihilominùs quædam adhuc remanent peccata, incogitantiæ videlicet & fragilitates aliquæ, ea licèt futura divino decreta expiata jam ſunt, & ipſis nunquam imputabuntur. Quocirca, ob hanc quoque cauſam æternam vocat hanc peccatorum expiationem, quòd à peccatis ceſſare facit; (qui alter eſt illorum Chriſti mortis effectuum) hominemque juſtitiæ cultorem efficit, atque ea ratione ab omnium peccatorum pœna perpetuam liberationem parit. Ut autem hæc duo, quæ expiationi factæ per Chriſtum tribuit, & cæteris, quemadmodum apertiùs deinde conſtabit, omninò adimit, per ipſius Chriſti mortem contigiſſe clariùs demonſtret, idquè quod anteà ſtrictim complexus quodammodò fuerat, latiùs deinde explicet atque exponat, ſtatim ſubjicit v. 13. 14. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus,* (vel potiùs aſpergens) *inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi.* Quamvis enim videatur in his verbis de liberatione tantùm ab ipſis peccatis agi, tamen, ut comparatio rectiùs procedat, dicendum omninò videtur, deliberatione quoque à peccatorum pœna verba fieri. Siquidem ſan-

guis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, non idcircò ſanctificabat ad carnis emundationem, quòd ne quis ampliùs inquinaretur efficerent, ſed quia à labe illa jam contracta purificabant. Quod igitur ad liberationem à peccatorum reatu & pœna attinet, ſic argumentatur ſcriptor ille: Si ſacrificia & aſperſiones illæ eam vim, propter effectum qui ita Deo volente conſequebatur, habebant, ut carnis inquinamenta abſtergerent, cùm tamen hanc vim ex ipſis ſacrificiis & aſperſionibus nullo modo manare poſſe conſtaret: multò magis Chriſti ſanguis vim habebit eam labem abſtergendi, quam ob peccata noſtra contraximus, cùm non modò Deus in hunc finem præcipuè Chriſtum mori voluerit, ſed ex ipſa morte Chriſti hanc vim proficiſci ipſi ſentiamus. Nam, cum videmus Chriſtum per ſui ſanguinis effuſionem æternam vitam æternumque ſacerdotium adeptum fuiſſe, quid eſt cur timeamus, noſtra peccata nobis unquam, imputatum iri? Num fieri poteſt, ſi ejus ſumus, ut peccata noſtra pleniſſimè non expientur, & nos quoq; æternã vitam non adipiſcamur? Itaque ex Dei parte expiata eſſe peccata noſtra per Chriſti ſanguinem & mortem nos ipſi ſentimus; & ſic omnem labem, quam ex mortiferis noſtris operibus contraxeramus, quod ad Dei voluntatem attinet, abſterſam eſſe agnoſcentes, alacri animo, ut expiatio ex parte noſtri etiam fiat, id eſt, ut expiationis effectum conſequamur, ex ipſius Chriſti præſcripto, viventi Deo, qui nos à morte in perpetuum vindicatu-

dicaturus eſt, ex animo ſervimus, eique nos totos conſecramus. Quod verò pertinet ad liberationem ab ipſis peccatis, tametſi alia ratio erat illius purgationis, & alia noſtræ à peccando ceſſationis, (namque, ut jam dictum fuit, purgati illi erant, non quòd ampliùs non peccarent, eaque ratione ampliùs ſe non inquinarent, ſed quòd à jam contracta labe mundabantur) potuit tamen Apoſtolus hæc, licèt diverſa, inter ſe comparare, quatenus oſtendere voluerit, multó majores vires habere ſanguinem Chriſti ad hoc efficiendum, quam habuiſſent victimæ & aſperſiones illæ antiquæ ad illud præſtandum, & ad hunc modum argumentari. Si ſola Dei ordinatione ex victimis & aſperſionibus illis effectus ille conſequebatur, ipſis interim ea in re nihil vi propria verè efficientibus: multò magis ex Chriſti ſanguine effectus de quo quærimus, conſequetur; cùm præter Dei ordinationem ipſe Chriſti ſanguis magnam vim ad id præſtandum habeat. Quis enim eſt, qui cum conſiderat, Chriſtum innocentiſſimum cœlos penetrâſſe, ibique æterna beatitate apud Deum fruiturum eſſe, ſeſe ad eum imitandum non accingat, & mortuis, ſeu mortiferis operibus, hoc eſt, peccatis relictis, ad Deo ſerviendum ſe convertat? Quis, cùm noverit Chriſtum, qui pœnitentiam agentibus, vitamque corrigentibus æternam vitam Dei nomine eſt pollicitus, in Dei ipſius conſpectu inculpatiſſimum pro nobis perpetuò aſtiturum; vitam corrigere negliget, & Deo ſe non dedicabit? Hæc autem quæ di-

ximus, Chriſto non niſi ſanguine ipſius priùs fuſo contigère, nec ſi ſanguinem ſuum priùs non fudiſſet, ipſi contingere poterant. Quare ejus morti & fuſo ſanguini beneficia omnia, quæ inde ad nos manant, accepta referenda ſunt. Probat igitur Apoſtolus evidenter, ex Chriſti ſanguine, quo fuſo ipſe in vera ſancta ingreſſus ſit, vitæ noſtræ emendationem proficiſci. Hoc autem evicto, continuò æternam expiationem illum nactum fuiſſe conſequitur. Quicunque enim emendat vitam ſuam, ut ſupra dictum eſt, & univerſæ novi Fæderis literæ teſtantur, præterquàm quòd ab ipſis peccatis, ut manifeſtum eſt, liberatur & expurgatur, perpetuam etiam & pleniſſimam, Deo, quemadmodnm nos Chriſtus docuit, id pro ſua bonitate ſtatuente, à peccatorum ſuorum pœna liberationem adipiſcitur. Et ſic apparet, quomodo Apoſtolus per verba illa, *Si enim ſanguinis hircorum* &c, proximè antecedentia verba explicet atq; confirmet, idq; veriſſimum eſſe demonſtret, quod dixerat, Chriſtum per ſui ſanguinis fuſionem æternam expiationem inveniſſe. Quod multò magis perſpicuum fiet, ſi quid illud ſit, quod ait, Chriſtum per Spiritum æternum ſeſe obtuliſſe immaculatum Deo, paulò diligentiùs explanaverimus, potiſſimum verò, ſi, quemadmodum polliciti ſumus, Chriſti oblationem hanc, non ipſam crucis mortem, ſed per eam mortem ingreſſum in cœlum, ibique coram Deo ſui ipſius (ut ita dicam) præſentationem eſſe demonſtraverimus. Id quod, Deo dante, deinceps faciemus.

REFUT.

Refut. Cap. XXIII.

Quid per comparationem Chriſti mortis cum victimis illis antiquis , de ipſa Chriſti morte, quod attinet ad delenda peccata noſtra , ſtatui poſſit;& locorum de expiatione per Chriſti mortem loquentium explanatio.

PRincipio hujus capitis infert neque per collationem,neque per adumbrationem antiquarum victimarum concludi poſſe Chriſti mortem ſatisfeciſſe, quàm rectè verò concluſio iſta ex ipſius præmiſſis ſequatur , ex dictis judicium fiat. Adumbrationem nihil argumenti præbere exiſtimat Prælector, *eo quod ipſæ victimæ non ſatisfactoriæ.* Id verò tantum abeſt, ut plerique ii , qui ſatisfactionem Chriſti pro noſtris peccatis defendunt, exiſtiment ad vim argumenti ab adumbratione ducti requiri , ut nullo modo id victimis dari debere arbitrentur, quod in illis vera ſit ſatisfactio. Ut verò nulla in illis vera ſatisfactio , ſic neque vera peccatorum expiatio, quæ ſicuti ſatisfactio in ſolo Chriſti ſacrificio reperitur. Quemadmodum ergo victimæ expiationem ſacrificii Chriſti adumbrarunt, quamvis non verò expiarunt, ita & ſatisfactionem, quamquam non ſatisfecerint, cum hæc in re ſint idem. Socinus contendit *utrobique ejuſdem generis expiatationem fuiſſe, Chriſti tantum gradu excellentiorem fuiſſe.* Prius agitur priore parte cap. alterum poſteriore nihil dicimus de eo quod de morte&oblatione

latione principio cap. attingit ad vitandum tædium). Quod ad prius duas affert actus expiationis interpretationes. Prima eſt quod interveniente victimâ & morte Chriſti, expiatio à reatu peccati re & effectu conſequitur. Secunda, quod hæc cauſa ſunt expiationis ſecundum eſſe cognitum. 1. quia certam ejus rei fidem faciunt.

Hic animadvertendum eſt rem aliter ſe habere quod ad victimas legales, ad earum nimirum oblationem, non conſecutam expiationem veram; nam peccatum iis oblatis ſublatum non fuit, *neque purgata conſcientia* ut habetur ad Heb. 9. & 10. *tantum ſanctificarunt ad carnis puritatem, ejuſque juſtificationes ſolummodo fuerunt*. Ut habetur Heb. 9. v. 10. 13. Tollebant tantum immunditiem carnalem quâ à tabernaculo, ſacro cœtu, aut Iſraelitarum caſtris excludebantur. 2. admodum inconſequens eſt argumentatio, victimæ Deum ad condonandū non movebant, neq; culpam reſarciebant, ergo nec illa vis in Chriſti morte reperitur. Legali ſacrificio peracto ſtatim & immediatè conſequebatur expiatio, at Chriſti morte peractâ non conſecuta immediatè expiatio, ut vult Socin. nam & vita immortalis & ſumma Chriſti poteſtas ad eam prærequiſita fuit, & præter ea fidem & obedientiam in expiandis accedere oportuit, antequam actu conſequeretur expiatio non valet ergo illatio, quaſi quod non fuit in victimis de Chriſti morte ſtatuendum non ſit. Si quid illis non conveniat, Chriſti tamen, ſacrificio convenire poteſt

cum

cum hoc ſit illis longè perfectius, & vim quandam habeat, quam ne legalia quidem habuerunt, ut rectè ait Crell. pag. 499. *Juſti mors comprehensâ metonymicè* ut loquitur initio cap. Socin. *univerſa ipſius ablatione, effectivè ipſam expiationem ſive liberationem à reatu efficit, liberans à morte per reſurrectionem ex mortuis ad æternam & immortalem vitam*, quæ eſt ipſiſſima Socini ſententia. Verba ejus ſunt hoc cap. ad locum Joh. 4. v. 10. *expiat peccata noſtra Chriſtus Dei Filius, non quia juſtitiæ divinæ pro peccatis noſtris ſatisfaciat; ſed quia vitam æternam nobis confert, quâ noſtrorum peccatorum expiatio, id eſt ab ipſorum pœnâ liberatio pleniſſimè continetur.* Verba ejuſdem hoc cap. ſunt. *Nam cum videmus Chriſtum per ſui ſanguinis effuſionem æternam vitam æternumque ſacerdotium adeptum fuiſſe, quid eſt cur timeamus, noſtra peccata nobis unquam imputatum iri? num fieri poteſt, ſi ejus ſumus, ut peccata noſtra pleniſſimè non expientur, & nos quoque æternam vitam non adipiſcâmur.* Sacerdotii actus Socino & aſſeclis eſt oblatio ſeu interceſſio quæ non diſtinguunt. Perpetua Chriſti interceſſio & oblatio eſt perpetua Chriſti cura ad nos ſalvandos, cũ ſummâ poteſtate conjuncta, ita ut offerre ſit Chriſtum velle curare, & curare ſalutem noſtram, quæ cura demum conſummabitur per plenam expiationem peccati, quæ in reſurrectione ad beatam immortalitatem obtinget. Audi Crell. pag. 545. *Sacerdotis eſt peccata expiare & expurgare, hoc fit dum hoſtes Chriſti & noſtri, peccatum nempe ipſum mors & qui mortis habet imperium, Satanas*

tanas deſtruuntur. At Chriſtus hoſtes ſuos ac noſtros debellat ac deſtruit ut Rex. 1. cor. 15. 24. 25. 26. Phil. 3. ultim. verſ. oſterod. inſtitut. cap. 37. paragr. 10. *Per oblationem aut ſacrificium Chriſti ſcripturam aliud nihil intelligere, quam mirabilem Chriſti potentiam, quam ſui ipſius coram Deo apparitione in cœlis exercet, per quam verè peccata noſtra removentur atque abolentur.*

Secundò dicit *expiationem eſſe expiationis declarationem & certam ſignificationem*, quod de victimis conceditur reſpectu expiationis & purgationis conſcientiarum & veræ ablationis peccatorum, tantum enim umbræ & ὑποδείγματα fuerunt Negatur de morte Chriſti voces illas, pro declaratione expiationis mundationis, non pro re & actione ipsâ accipiendas eſſe. Imo hoc pacto doctrinæ Euangelii & miraculorum eſſet expiatio, & Martyrum ſanguini deberetur. 2. quo ſenſu nos redemit Chriſtus morte ſuâ, eo etiam ſenſu, ſanguine ejus expiamur & mundamur: at nos redimi morte, non eſt morte repemtionem declarari; ergo mundari & expiari, non declarationem ſed actionem deſignat. Similiter eo ſenſu quo mortuus pro peccatis noſtris, quo portavit illa eo ſenſu & expiat: at illo loquendi genere vis & energeja notatur, quâ nobis ablatio peccatorum obtingit, ergo & hoc locutionis genus, eo etiam ſenſu accipiendum. Manifeſtum enim eſt, idem velle ſacras literas omnibus illis de morte & ſanguine Chriſti locutionibus. 3. hoc loquendi genere non actus aliquis pluribus aliis

exemplaria

rebus

rebus communis concipiendus eſt, cum non niſi morti & oblationi Chriſti tribuatur; ſed actus morti & oblationi proprius: declaratio autem rebus etiam aliis, puta reſurrectioni Chriſti; vocationi ad gratiam; miſſioni Sp. S. internæ ejus teſtificationi, ſacramentis Baptiſmi & Cœnæ quoque competit. 4. hæc expiatio & purgatio ſic mortis Chriſti eſt, ut victimæ legales ſic expiare & purgare non potuerint, ex doctrinâ perpetuâ ſanctiſſimi ſcriptoris ad Heb. At ſi purgàtio conſcientiæ, ſi ablatio peccatorum divinâ ejus rei declaratione perfici potuiſſet, legalibus victimis vitium inutilitatis atque infirmitatis ad nos ſanctificandos, impingi ab eodem Scriptore non potuiſſet in totum & ſine diſtinctione ullâ, quod tamen non ſemel ab eo factum eſſe, manifeſtè eâdem Epiſtolâ videmus Heb. 2. v. 18. *Fit enim abolitio præcedentis mandati, propter ipſius infirmitatem & inutilitatem, nihil enim ſanctificavit lex, ſed ſuper introducta ſpes melior, per quam appropinquamus Deo. Non poteſt ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata* Heb. 10. 4. ut enim fatente ac docente Socino, per victimas Judæis fides facta eſt ejus expiationis peccatorum, quibus auferendis, victimæ illæ impendebantur, ita per eaſdem, fides etiam fieri potuiſſet, plenioris alicujus expiationis eorundem; aut etiam aliorum quorumvis peccatorum, neque propter hoc opus fuiſſet alium exoriri ſacerdotem: Et potuiſſet Deus ſi ipſi viſum eſſet Leviticum ſacerdotium perfectioris ordinis inſtituere; atque ita non fuiſſet cur Deus tanto
molimine

molimine & apparatu, novum ſacerdotium moliretur atque inſtitueret. 5. juxta hanc expoſitionem jam eramus ſanctificati, purgati, antequam moreretur Chriſtus; hoc verò quam alienum ab iis omnibus, quæ de Sacerdotio & expiatione Chriſti in Epiſtolâ ad Heb. leguntur. Dico juxta hanc expoſitionem, ſanctificationem & purgationem noſtram ipſam mortem antecedere. Verba enim ejus ſunt hoc cap. *Sicut victimis illis oblatis, jam populus ſe à reatu peccatorum illorum liberatum, ſibiqne Deum placatum eſſe agnoſcebat ita Chriſti ſupplicio peracto, non modo ut dictum eſt, nos à peccatorum noſtrorum reatu liberi ſumus, verum etiam id ipſi agnoſſimus, Deumque nobis placatiſſimum eſſe intelligimus.* Huic noſtræ rationi non obeſt quod mortem antecedaneam faciat etiam expiationi, tum enim intelligit expiationem illam actu & reipſa exiſtentem in nobis, ſive applicatam, de qua diximus, quod effectum expiationis hoc loco vocat. 6 nuſquam ſcriptura commemorat apertè Chriſtum ſuo ſanguine nes expiare, aut purgare à peccatis, quia ſanguine ſuo, apertum ejus rei teſtimonium probet, neque ſcriptores ſacri ea prodiderunt, unde id aperte colligatur, non negatur quod pro probatione contrarii adfert Socin. emundare ſignificare poſſe mundum pronuntiare ſeu declarare, citans in hanc rem Leuit. 13 & 14, ubi varie leges de leproſis mundis vel immundis pronuntiandis leguntur. Quandoquidem ibi mundatio vel pollutio ſacerdotum judiciali cognitioni tribuitur, nemo com-

pos

pos mentis aliter quam de declaratione id intellixerit : hic verò à nobis ſtante verborum proprietate, nullum improprietatis, aut ſignificationis ejus de quâ controvertitur indicium eſt. Idem legitur annotatum in Franciſci Vatabli Bibliis, nec non in Bibliis magnis Roberti Stephani cap. 15. 15. 29. 30. & cap. 16. 30. cap. 6. 7. cap. 5. 10. 16. ad Hebraicum caphar, quod expiare redditum eſt, habetur in utriſque Bibliis *declarabit eſſe mundum vel purum à peccato, ſive emundatum à peccatis.* At id eſt factum, quia legalis illa expiatio erat umbra veræ, & typica ejuſdem ſignificatio, quemadmodum annotationes utrorumque Bibliorum ad v. 16. id ſatis indicant, ubi legitur. *Declarabit eum emundatum à peccatis per eum, cujus erat artes figura, nempe per Chriſtum*: quapropter niſi velimus hac eſſe declarationem declarationis, neceſſe concipiamus non rem & ſingnum rei, ſed rem ipſam : vnde de reali actu, non de teſtimonio actus accipiendum illud *ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Addit *ipſi Deo tribui, quod Filii ejus ſanguini antea tribuerat, nihil ergo verbum emundandi cum ſatisfactione commune habere. Nullâ enim* inquit *ratione per ſatisfactionem emundationis eſt Deus ipſe peccata noſtra, ſed ut ex ejuſdem verbis apertè colligitur, per remiſſionem.* Verum iſta ratio nauci eſt principium petens.

Secunda hujus cap. parte *excellentiam ſacrificii Chriſti ſupra umbraticas victimas demonſtraturus, in duabus rebus eam collocat. Prima eſt, quod*

à pec-

à peccatis ceſſare faciat, id victimas non feciſſe. 2. *quod victimæ illæ ab antecedentium anni illius peccatorum pœnâ populum immunem reddebant. Chriſti autem mors & ab antecedentium omnium delictorum, & à futurorum reatu nos liberet.* Utramque inquit complectitur autor Epiſtol ad Hebr. cap. 9. com. 12. 13. ubi Chriſtus dicitur *introiviſſe ſemel in ſancta, æternâ redemtione inventâ.*

Hîc pro conceſſo ſumitur *Victimas legales à peccatorum pœnâ liberaſſe* in quo docet nos Halagam ſecundum proprium ſuum intellectum, nam iſti doctrinæ contradicit Apoſtolus ad Hebr. aut quocunque nomine vocandus ille ſcriptor: nuſquam ille docet, aliquatenus iſtis victimis expiatas conſcientias temporalem & caducam earundem expiationem fuiſſe, repullulantibus ſubinde peccatis, ſed negat conſtanter de victimis illis, omnem conſcientiarum purgationem abſolute. Suæ ergo diſtinctionis fandamentum non habet in hoc ſcriptore Socin. Neque quiſquam obiiciat mihi, iſti ſententiæ, quod victimæ legales, ab antercedentiū anni illius peccatorum pœnâ populum immunem reddebant, nequaquam efficere conſcientiarum purgationem ſoli ſacrificio Chriſti vindicatam, quia peccata illa à quorum pœnis liberabant victimæ, alia & diverſa ſint ab iis, à quibus conſcientia repurgatur, illa ad carnem, hæc ad conſcientiam pertinuiſſe illa leviora eſſe, ignorantias nimirū & humanas fragilitates, hæc graviorum, id inquā à me dictis obeſſe non poteſt. Etſi enim Socinus

nus imprimis id ſoleat reſtringere ac graviora illa dilicta, ſive ea peccata, pro quibus nulla fuit ex ipſius judicio oblatio in lege, nihilominus tamen ad ea etiam, à quorum reatu liberabant victimæ, id refert. Sic enim habet cap. XIV. lib. ſecund. *Dixerat enim prius, ſacrificia illa legalia non potuiſſe juxta conſcientiam perfectum reddere cultorem. Quod etſi ut ex adjunctis verbis patet ſignificat vim non habuiſſe expiandi peccata, quæ ad conſcientiam & interiorem hominem ſpectarent, ſed ignorantias tantum & quaſdam fragilitates ac delicta quadam externa, carnem potius, quam animam polluentia: tamen nihilominus ſignificat etiam ab ipſis illis peccatis, hominem in futurum retrahendi, facultatem nullam habuiße, utpote quæ ad conſcientiam id eſt ad animum & mentem uſque non pertingerent, neque eas partes in homine ita excolendi & perficiendi, ut in poſterum in errores illos non laberetur, vim ullam haberent.* Jam verò ſi conſcientiam purgare eſt non tantum à reatu peccatorum gravium liberare, & ab iisdem, ad ſerviendum Deo vivo emundare, verum etiam ab ignorantiis & fragilitatibus, cauſæ non eſt cur quoque ab ignorantiarum & fragilitatum reatu & pœnâ liberare, ad conſcientiæ purgationem non pertineat, nam ut in delictis, quæ vocant, gravioribus conſcientia dupliciter perficitur, liberatione à reatu peccatorum & peccatis ipſis, ſic gemina purgatio in levioribus. 2. adverſus hoc effatum de victimis facit, quod ex doctrinâ authoris ad Heb. 10. purgatio vera tum à peccatis tum ab eorundem

rundem pœnis eſt naturæ indiviſibilis. Aut tota eſt victimarum aut nihil ejus. Id oſtendunt ejus ad Heb.10. argumentationes poſito quod accedentes ſanctificâſſent purgâſſent, peccata abſtuliſſent, ceſſaſſet mox omnis ſacrificiorum apparatus. Quæ argumentatio inefficax, ſi incompleta remiſſio & quadrans purgationis ut ſic dicam, per victimas haberi potuit, peccato enim quadantenus ſublato, reſtant reliquæ purgationum partes, quapropter etiam tres Socinus ſacrificio Chriſti reſervavit liberationem à graviorum peccatorum reatu, regni peccati ablationem, tertiam adjungi oportet, extirpationem errorum & fragilitatum, ſecundum ea, quæ mox ex cap. 14. citata ſunt. Dico neceſſe eſſe ſic ſtatuere, cum firmum ſit illud Chriſtum ſuo ſanguine in ipſas conſcientias penetraſſe, ad repurgandas eas ab iis, à quibus victima perficere non potuit. 3. Nulla juſtificatio eſt ex operibus legis: nulla peccatorum remiſſio per legem, teſtantur id integræ Epiſtolæ ad Rom. & Galat. At eſſet, ſi lex à reatu antecedentium illius anni peccatorum abſolvere potuiſſet. Juſtificationem etiam ex lege eſſe non confirmatur eo. *Notum igitur ſit vobis viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur. Et ab omnibus à quibus non potuiſtis, in lege Moſis juſtificari, in hoc omnis qui credit juſtificatur.* At hoc exegeticum non διακριτικὸν eſt, quod ni eſſet meminiſſet alicubi juſtificationis illius ex lege ubi fusè hanc rem diſputat. Et quemadmodum ex eo quod credens in Chriſtum juſtificatur ab iis omnibus à quibus

discretivum

quibus non potuit in lege Moſis juſtificari, non concludit Socin. credentem in Chriſtum tantum ab ijs juſtificari, ac ſi peccata quædam ſint, à quibus fides non juſtificet, quod falſum, nam juſtificatio fidei ad quævis peccata ſe extendit, ſic non eſt inferendum, aliqua fuiſſe à quibus lex Moſaica juſtificaret. *Quisquis loquutus fuerit adverſus Filium hominis remittetur ei, quiſquis autem fuerit loquutus adverſus Sp. S. non remittetur ei, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, id* non eſt διακριτικὸν quapropter hinc non recte intulit Bellarm. lib. 1., de Purgatorio cap. 4. *Quædam peccata non remittuntur in futura vita; ergo quædam remittuntur,* ſic ſe ergo res habet etiam hoc loco. 4. non juſtificantur per legem, ſed maledicti ab eâ pronuntiantur, qui non manent in omnibus: at pro quorum peccatis expiationes fiunt, non manent in omnibus. Manere in omnibus & peccare ſunt contradicentia. Negat Crell. pag. 480. dicens *non peccatorem quemlibet eſſe eum qui non manet in omnibus, ſed contumacem, qui ſciens & prudens peccat, non qui per errorem aut humanâ fragilitate peccat:* illum peccati legati execrationis fulmine, non hunc. Verum id ſine fundamento legis dicitur Deut. 27. v. 1. *Obſervate unumquodque præceptum, quod ego præcipio vobis; quiſquis ergo aliquod præceptum non fecerit, tenetur hoc dicto legis*, non maneat in omnibus. 2. Si hoc edictum legis non adverſus omnes, ſed contumaces & elata manu peccantes tantummodo pronuntiaret, tum neque cuilibet peccatori

qua tali inſtificatio gratuita per fidem neceſſaria, ſed contumaci tantum, tum non redemtio ab excratione qualibet per Chriſtum. Diſtinguendum erit, eſſe juſtificationem gratuitam per legem & Euangelium: redemtionem eſſe ab execratione per legem, & redemtionem per Chriſtum, quæ omnia quantum abeunt ab iis quæ ſanctiſſimus Apoſtolus cap. adGal.3.& alibi prodidit? Evicto autem quod de omnibus peccatoribus hoc intelligendum ſit, *non manere in omnibus*, evidens eſt ſub maledictione eſſe, conſequenter beneficio legis non juſtificari. Ex quo porro pater victimas à reatu peccatorum antecedentium illius anni non liberâſſe. 5. non eſt Fœderis V. ſed Novi proprium Heb. 8.12. *ero propitius iniquitatibus eorum & peccatorum ipſorum, & iniquitatem ipſorum non recordabor amplius*. Alternam eſſe redemtionem quam per Chriſtum habemus ἀμφοτέραις amplectimur, ejuſque ſolius virtute & juſtificationem à peccatis omnibus & gratiam ſanctificationis, per quam regnum peccati enervatur, nobis obtingere. Utrumque hoc beneficium explicatum nobis dediſſe Fpiſtol. ad Heb.9.v.13.contendit, de quo non eſt, dicam illi ſcribam: quamquam interim, contra quam exiſtimat, comparatio etiam rectè procedere poſſe videatur, etiamſi de peccatis ipſis ſolum modo agatur. Nam mundare à contractâ labe & munndare ne labes contrahantur, optimè comparantur, adde quod mundatio illa legalis, eò ſpectabat ut purgati apti & ſanctificati eſſent ad obeundos caſtus & ritus legis; ita

ambabus.

pari

pari ratione emundationis ſpiritualis finis ut Deo ſanctificati ſerviamus. Prolixâ & multâ paraphraſi utramque comparationis rationem perſequitur, in quâ nihil præter eâ, quæ illi ſolennia, in toto argumento ſalvationis noſtræ per Chriſtum, videantur mutatis mutandis ea quæ dicta in cap. 19. 20. aliis etiam hoc cap. Neque opus erit poſtliminio regredi ad loca illa hujus cap. quæ pro dogmate ſuo de interventu mortis Chriſti, cum victimis comparatæ protulit. Interpretanda ſunt illa loca ex analogiâ aliorum & exigenda ad verum ſenſum formularum & locutionum in hoc argumento uſitatarum.

Cap. XXIV.

Quòd Chriſti oblatio, apud auctorem epiſtolæ ad Hebræos, non in cruce, ſed in cœlo poſt reſurrectionem perfecta fuerit, demonſtratio; & ſimul apud eundem ſcriptorem eorum verborum explanatio, Qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo; *ſic præterea jam expoſiti inter Chriſti ſacrificium & victimas illas legales diſcriminis confirmatio.* Hebr. 9. 14.

SAtis ex iis quæ ſupra diſputavimus oſtenſum videtur quomodo in verbis illis epiſtolæ ad Heb. cap. 9. 13. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum* &c, utraque, illa expiato per Chriſti ſanguinem continetur, quibus antiquas illas victimas carere diximus idque, citra ullam pro peccatis noſtris Deo ex hibitam ſatis-

 facti-

ſactionem. Verùm, quia verba illa, *Qui per Spiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo*, rectè explicata magnam lucem toti huic materiæ allatura ſunt, operæ pretium duximus, illa paulò accuratiùs perpendere. Primùm igitur dico, oblationem de qua hîc verba fiunt, & ſic oblationem Chriſti, de qua divinus hic ſcriptor tam copioſè diſputat, non tunc fuiſſe perfectam, cum Chriſtus in cruce pro nobis mortuus eſt, ſed tunc demum, cum Chriſtus poſt reſurrectionem in cœlum eſt ingreſſus, ut ibi pro nobis, quemadmodum ſcriptor, hic loquitur Heb. 9. 24. vultui Dei appareat Quod vel ex iis intelligi poteſt, quæ poſt ipſũ loquendi modum, quo utitur Apoſtolus, ſtatim leguntur: ſcriptum eſt enim in eo loco, v. 25. *Neque; ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno*. Nam quis eſt, qui ex his verbis non percipiat, Chriſti oblationem reſpondere ingreſſui Pontificis in Sancta, hîcque ſatis apertè explicari decentiſſimam hanc ſimilitudinem inter antiquum illum Pontificem & Chriſtum: quòd, quemadmodum ille non anteà offerebat, quàm ingreſſus eſſet in Sancta, ſic Chriſtus non anteà obtulerit, quàm ingreſſus eſt in cœlum? Cœlum enim in hac ſimilitudine Sanctis ſeu Sacrario illi legali reſpondere, vel ipſe ſuperior verſiculus abundè oſtendit, v. 24. *Nec enim in manu facta Sancta Jeſus introivit, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum*, &c. Nec ſanè quiſquam eſſe poteſt, qui, ſi collationem inter Chriſti ſacrificium, & victimarum

rum illarum legalium anniverſarium ſacrificium ab hoc ſcriptore inſtitutam perpenderit, non planè agnoſcat, quemadmodum ſacrificii illius oblatio non tunc perficiebatur cum pecudes mactabantur, id quod fiebat extra Sacrarium, ſed tunc cum earum jam mactarum ſanguinem Pontifex in ſancta retuliſſet, ſanguinem enim illum in Sacrario pro Pontificis & populi ignorantiis oblatum fuiſſe teſtatur hic idem ſcriptor eodem cap. v. 7.) ſic non tunc fuiſſe oblatum Chriſtum, cum mactatus fuit, id quod extra cœlum eſt factum, ſed tunc demum, cum ſeipſum jam anteà mactatum ipſe in cœlum intulit. Cæterùm, Chriſti oblationem apud hunc eundem ſcriptorem in cœlo fieri, vidit etiam ante me auctor marginalium illarum novi Teſtamenti annotationum in Bibliis Vatabli, quæ etiam in novo Teſtamento ſeparatim eodem anno, hoc eſt, anno 1545, ab eodem Roberto Stephano ſunt excuſæ: capite enim octavo illius epiſtolæ v. 5. ad verba illa, *Qui exemplari & umbra deſerviunt cœleſtium*, ſic annotavit: Qui quidem exemplari & umbræ deſerviunt eorum quæ agenda olim erant in cœlis per Chriſtum: in cœlo enim Deo ſeipſum offert Chriſtus. Hactenus ille: quem quidem nihil mirum eſt iſta ſcripſiſſe, cùm paulò ante ab Apoſtolo dictum animadvertiſſet, v. 2. 3. Chriſtum in cœlo miniſtrum veri Sanctuarii fuiſſe factum, ob eamque rem neceſſe eſſe, ſicuti omnes Pontifices aliquid habent quod offerant, ſic iſtum aliquid offerendum habere, ſive habuiſſe, nempe in cœlo: ſtatim e-

nim additur v. 4. *Quòd ſi eßet in terra ne ſacerdos quidem eſſet.* Nihil autem offert ſeu obtulit Chriſtus Deo (de ea oblatione loquor, quam ſcriptor iſte intelligit) præter ſeipſum. Ergò in cœlo ſui ipſius oblationem peregit. Quare etiamſi concederetur, verba illa
V. 3. ὅθεν ἀναγκαῖον ἔχειν τι καὶ τοῦτον ὃ προσενέγκῃ, ut Bezæ placet, convertenda eſſe per tempus præterium, hoc pacto: *Vnde neceße fuit hunc quoque, habere quod offerret*, non tamen ulla ratione de oblatione in cruce, & ante ingreſſum in cœlum hîc in terra facta, accipi deberent: cùm manifeſtum ſit, eo in loco de oblatione agi, quæ vel fiat, vel facta fuerit à Chriſto, poſtquàm conſedit in dextera throni majeſtatis cœleſtis, ut ſatis diſertè ibidem ſcriptũ eſt. v. 1. Quid, quòd certiſſimum eſſe debet, apud hunc ſcriptorem, Chriſtum non priùs Sacerdotem reverà factum fuiſſe, quàm poſt crucis mortem in cœlum aſcendit? Id quod tunc à nobis planiſſimum fiet, cum ipſum Chriſtum cum Aharonico ſacerdote conferemus. Jam verò planè conſtat, ubi verus ſacerdos non eſt, ibi veram oblationem eſſe non poſſe. Igitur manifeſtum eſt, Chriſti oblationem veram, ante ipſius poſt crucis mortem in cœlum ingreſſum eſſe non potuiſſe. Nec verò huic noſtræ ſententiæ de Chriſti oblatione illud obſtat, quod ſcriptum eſt à Paulo Eph. cap. 5. in ipſo initio:
Eph. 5. 2. *Ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis:* ubi, cùm dilectionis Chriſti fiat mentio, apparet de morte ipſius

ſius dici, vel potiùs de ipſo quatenus mortuus eſt, quòd fuerit oblatio Deo gratiſſima. Primùm enim animadvertendum eſt, ſententiam meam non ſejungere Chriſti mortem ab ejuſdem pro nobis oblatione: imò aſſero, Chriſtum non ſe obtuliſſe Deo pro nobis niſi per mortem, id eſt, non niſi morte ſua interveniente; quamvis affirmem, non ante oblationem perfectam fuiſſe, quàm poſt reſurrectionem & aſcenſum ipſius in cœlum. Hincque factum eſt, ut auctor epiſtolæ ad Heb. cap. 10. v. 5. & deinceps, conferens Chriſti oblationem cum legalibus iſtis hoſtiis, eamq; in illarum locum ſucceſſiſſe oſtendens ipſam à Chriſti voluntate auſpicetur, adeoque Chriſti voluntate & obedientia eam contineri dicere videatur. Quamvis enim ipſa voluntas & obedientia Chriſti non ſit reverâ oblatio, de qua ibi verba fiunt, tamen quia ſine Chriſti voluntate & obedientia oblatio exiſtere non poterat, (neque enim, ut ſæpiùs dictum eſt, poterat Chriſtus cœlum ingredi, ibique pro nobis coram Deo perpetuò apparere, niſi priùs crucis mortem volens ſuſtinuiſſet) propterea ſic loquitur Apoſtolus, & Chriſti oblationis initium ad Chriſti ipſius voluntatem & obedientiam refert, iiſq; eam metiri videtur. Deinde meminiſſe oportet, me, cum de Chriſti oblatione quam Sacræ literæ memorant affirmo, eam in cœlo peractam poſt crucis mortem fuiſſe, non loqui niſi quatenus pertinet ad auctorem epiſtolæ ad Hebræos, non autem ad omnes Sacros ſcriptores, quanquam de omnibus idem affirmari poſſe crediderim.

derim. Poſtremò conſiderandum eſt, non dici à Paulo in loco illo ad Epheſios, Chriſtum obtuliſſe ſe Deo pro nobis, quod fortaſſe multi ſunt arbitrati, inter quos ſine dubio aliquando fuit Beza, qui ab initio eum locum ita converterat, ut aliter intelligi non poſſet. Addiderat enim de ſuo particulam *in*, hoc pacto: *Qui tradidit ſemetipſum pro nobis* [*in*] *oblationem*, &c. Atqui verbum *tradidit*, quod in Græco eſt παρέδωκεν, non eſt conjungendum cum voce προσφοράν, hoc eſt, oblationem, ut rectè & Tigurini & Caſtellio animadverterunt, qui diſtinctionem inter ipſa adhibuerunt. Id autem omninò ſuadet non ſolùm verbum παραδίδωμι, cujus in ſacrificiis nullus fortaſſe eſt uſus, verùm etiam Apoſtoli mens, qui voluit Chriſti dilectionem erga nos ſummopere commendare, & apertè dicere, Chriſtum ſeipſum pro nobis in mortem tradidiſſe. In mortem autem tradere ſimplici verbo *tradidit* expreſſit, ut alibi ſimiliter, cum de Chriſto loquiter, facere conſuevit, ut Gal. 2. 20. Rom. 4. 25. & 8. 32. Quinetiam hoc eodem cap. 5. ad Eph. verſ: 25. inquit: *Viri diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Id autem non ita expreſſiſſet, ſi dixiſſet Chriſtum obtuliſſe ſe Deo pro nobis, cùm poſſit quis ſe Deo offerre, nec tamen mori, ut patet apud eundem Paulum ex initio capitis duodecimi epiſtolæ ad Rom. Itaque loci ſententia hæc eſt, Chriſtum adeò nos dilexiſſe, ut ſeipſum pro nobis in mortem tradiderit. Deinde, ut Epheſii ad

Eph. 5. 2. · Rom. 12. 1.

tantam

tantam Chriſti dilectionem imitandam magis accendantur, ſubjungitur à Paulo per appoſitionem, hoc Chriſti factum fuiſſe Deo oblationem & hoſtiam gratiſſimam. Nam ipſa facta ſive opera ex charitate provenientiâ hoſtias Deo oblatas in Sacris litteris appellari, ex eo patet quod ſcriptum eſt, Heb. 13. 16. *Beneficentiæ autem & communionis nolite obliviſci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Quin ſimilem locutionis modum cum eadem appoſitionis figura habes apud eundem Paulum in epiſtola ad Philip. cap. 4. 18. *Habeo autem omnia & abundo, repletus ſum acceptis ab Epaphrodito quæ miſiſtis, odorem ſuavitatis, hoſtiam gratam placentem Deo.* Sciendum autem eſt, Hieronymum quoque, etſi ſenſum verbi *tradidit* omninò aſſecutus non fuerit, tamen planè videri ſenſiſſe de oblatione expiatoria in hoc ad Epheſios loco minimè agi: ſiquidem hanc Chriſti pro nobis oblationem, hominem verè Chriſtianum imitari poſſe vult. Sic enim in hunc locum ſcribens ait: *Quemadmodum enim ille ſe tradidit pro nobis, ſic & iſte pro quibus poteſt libenter occumbens, imitabitur eum qui oblationem & hoſteam in odorem ſuavitatis ſe Patri tradidit, & fiet etiam ipſe oblatio & hoſtia Dei in odorem ſuavitatis.* Sed, ut ad propoſitum, & ad verba ſimul epiſtolæ ad Hebræos, quæ nobis nominatim explananda ſumpſimus, jam tandem revertamur, Dico, ex eo ipſo loco ſatis conſtare, Chriſti oblationem aliud eſſe quàm cru- Hebr. 9. 14.
cis mortem, quam ipſe pro nobis, ut Deo obediret, ſuſtinuit, & verba illa *ſeipſum obtulit Deo*

non aliter explananda eſſe, quàm *ſeipſum in*
v.13.14. *cœlis Deo nobis præſentavit.* Nam in tota illa periodo, *Si enim ſanguis hircorum & taurorum* &c, ratio redditur eorum quæ antea dicta fuerant, ut dictio *enim* apertè demonſtrat. Dictum autem fuerat anteà, Chriſtum per proprium ſanguinem ingreſſum in Sancta æternam redemptionem ſive expiationem inveniſſe. Ergo hîc ratio redditur, cur Chriſtus in cœlum per proprium ſanguinem ingreſſus, æternam expiationem nactus fuerit. Itaque non de ejus ſanguinis fuſione aut ſolùm aut præcipuè ſit mentio in ea periodo, & conſequenter in his verbis, in quibus quid Chriſtus fecerit exponitur, ſed præcipuè ejus ingreſſus in cœlum commemoratur. Quod ex eo etiam ſatis conſtat, quod dicitur, Chriſti hanc ſui ipſius oblationem per Spiritum æternum factam fuiſſe. Id enim Chriſti vitæ perpetuitatem ſignificat, quâ fit, ut in æternum pro nobis coram Deo apparere poſſit. Nam Spiritus tacitè literæ opponitur, id eſt, Legi, quæ nec æterna fuit, nec in æternum ſacerdotes conſtituebat. Eſtque hîc breviſſimè ea ſententia comphehenſa, quæ pluribus verbis ad finem
Hebr.7.28. capitis ſeptimi explicata fuerat, *Lex enim homines conſtituit ſacerdotes* &c. Latinus codex non habet *per Spiritum æternum*, ſed *per Spiritum ſanctum*, nullo tamen Græco codice aſtipulante, & Syriaca interpretatione cum Græcis codicibus planè conſentiente. Inuſitatus (credo) loquendi modus à vetere Interprete non intellectus, cauſam errori dedit ad uſitatamque

tamque loquendi rationem locum deflexit. Dicitur autem Chriſtus ſe immaculatum obtuliſſe, non tam propter alluſionem ad victimas illas legales, quas immaculatas eſſe oportebat, & ut intelligatur Chriſti oblationem undique perfectam fuiſſe & abſolutam, quàm ad ſignificandum Chriſti immortalitatem & impatibilitatem: figuratè enim immaculatus is dicitur, qui iis rebus omnibus prorſus caret, quæ propter maculas, id eſt, peccata contingere ſolent. Quamvis enim Chriſtus, antequàm à mortuis reſurgeret, & in cœlum aſcenderet, ab omni peccato quàm longiſſimè abſuerit, mortem tamen expertus eſt, & alia multa eſt paſſus, quæ pœnæ peccatorum eſſe ſolent. Verum hac de re inferiùs iterum agetur, & ratio, cur vocem *immaculatum* eo modo quo dictum eſt libenter interpretemur, planiùs explicabitur. Satis tamen fuerit monuiſſe ex ea etiam voce non prorſus obſcurè apparere poſſe, quænàm ſit Chriſti ſui ipſius oblatio, de qua hîc verba fiunt, nempe, eam quam nos dicimus in cœlo factam, tantum abeſt, ut ex ea voce (quod fortaſſe plerique exiſtimaverunt) de oblatione hîc in terris facta ſermonem eſſe conſtet.

Explanatis Apoſtoli verbis, in quibus utramque illam per Chriſti ſacrificium à peccatis expiationem contineri dixeramus ſimulq; ſatis planum feceramus, conſequens eſt, ut neutram illarum expiationum à ſacrificiis illis Aharonicis fluxiſſe demonſtremus, id eſt, per ſacrificia illa nec reatum omnium peccatorum eorum,

eorum, inquam, pro quibus offerebantur, hoc eſt, ejus generis, ſublatum fuiſſe, nec ab illis peccatis in poſterum committendis, eos pro quibus ſacrificabatur retractos eſſe. Patet autem utrumque ex iis quæ ſcripta ſunt ab eodem auctore in principio & deinceps cap. 10. ubi ſcriptum eſt: *Umbram enim habens lex fu-*

Hebr. 10. 1. 2.3.4. &c. *turorum bonorum* &c. In quibus verbis Apoſtoli mens omninò eſt, affirmare legem, quemadmodum umbram tantùm futurorum bonorum continebat, non autem ipſam eorundem bonorum expreſſam imaginem, quam nimirum continet Euangelium, ſic (ut quæ aliquando ceſſatura erat) in ipſa umbra vitio non vacâſſe. Quod vitium poſteà, expreſſa rerum imagine adveniente, animadverſum eſt, & jure umbram abolitam fuiſſe comprobatum: Etenim ſummâ ſapientiâ Deus ab iis quæ aliquando abolere decrevit, perfectionem, rerum etiam ipſarum naturæ ratione habita, abeſſe voluit, ut nemo meritò in illis conquieſcere poſſit, ſed unusquiſque ſuſpicandi cauſam habeat, perfectiſſimum illum artificem ac conditorem aliquid exactius ſuo tempore fabricaturum & conditurum, quod ejus rei in qua aliquid deſideratur loco quodammodo reponat, idque perpetuum atque æternum eſſe jubeat.

Vitium porrò quod in ſacrficiis illis legalibus in illis etiam inquam anniverſariis, quibus potiſſimùm Chriſti ſacrificium reſpondet, ſatis apertè inerat, hoc erat, quod illa ſæpius repetere neceſſe erat, neque, ut Apoſtolus ait,

vim

vim aliquam habebant ſuos cultores perficiendi, id eſt, à peccatis in perpetum expiandi. Hebr. 7. 19. & 10. 1, 2.
Quod vitium planè ceſſavit in ſacrificio corporis Chriſti: id enim & ſemel tantùm peractum eſt, & in perpetuum ſuos cultores, id eſt, qui illius ſunt participes, à peccatis expiavit. Cujus vitii in ſacrificiis illis duplex fuit cauſa: (& ſic apparebit neutram ex illis duabus expiationibus ex ſacrificiis illis manâſſe.) Una, quòd ſacrificia illa pro præteritis tantùm peccatis offerebantur. Altera, quòd à peccatis retrahendi nullam vim habebant. Quapropter, cùm ij pro quibus ſacrificabatur in eadem peccata denuò relaberentur, denuò etiam ea ſacrificia offerenda erant, & peccatorum expiatio per ipſa procuranda. Itaque ait Apoſtolus ideò ſacrificia illa quotannis peracta fuiſſe, quia nunquam populus populus ipſorum vi à peccatis illis retrahebantnr; quare ſemper aliquam peccatorum conſcientiam habebat, id eſt, ſemper ſe coram Deo reum agnoſcebat. Id autem eveniebat, quia ſanguis taurorum & hircorum nulla ratione poteſt ad animam uſque pertingere, & eam ab ejus ſordibus abluere, utque homo à peccando deſiſtat, efficere. Hoc eſt enim id quod ſignificant verba illa, *Impoſſibile* Hebr. 10. 4.
eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata: non autem, ut permulti putaverunt, nullam vim ea ſacrificia habere potuiſſe ad ea peccata expianda pro quibus offerebantur, Unde etiam factum eſt, ut nonnulli inter quos præcipuè Beza, exiſtimaverint, in illis ſacrificiis omnium peccatorum quorumcunque antecedentium

tium annorum commemorationem factam fuiſſe, proque illis omnibus ſacrificia illa fuiſſe oblata; quaſi dicere voluerit Apoſtolus, idcircò id factum eſſe, quia nulla peccata ſacrificiis illis tolli poterant. Hoc autem plane falſum ac ridiculum eſt. Quid enim attinuiſſet, quotannis ſacrificare, ſi certum fuiſſet, nulla peccata ea ratione expiari, & fruſtra omninò ea ſacrificia offerri? Nam, quod Levit. cap. 16. ſcriptum eſt, ſacrificium illud anniverſarium, pro omnibus peccatis oblatum fuiſſe, id de omnibus peccatis anni illius accipiendum eſt, à quibus populus verè expiabatur, quemadmodum ex iis intelligi poteſt, quæ ſcripta ſunt ad finem ejuſdem capitis v. 34. *Sitque vobis hoc ſtatutum perpetuum, ut expiet filios Iſraël ab omni peccato eorum ſemel in anno.* Quod verò hic Apoſtolus ait, in hoſtiis illis factam fuiſſe commemorationem peccatorum quotannis, (quæ verba Beza, ut ſuæ ſententiæ magis patrocinari poſſent, alia ratione ab omnibus aliis diverſa reddidit, & pro commemoratione *repetitam mentionem* in interpretatione ſua repoſuit) iſtud, inquam quod dicit Apoſtolus, ita accipiendum eſt, ut non ad eadem ſingularia ſive individua peccatorum referatur, ſed ad ejuſdem generis peccata. Quamquam hac explanatione nequaquam indigemus, cùm non dicat Apoſtolus diſertè, eadem peccata commemorata fuiſſe, ſed tantùm, ut dictum eſt, commemorationem quotannis fuiſſe factam. At enim, ut ad rem redeamus. dicet aliquis, cur vitium illorum legalium ſacrificiorum eſſe ab Apo-

Lev. 16. 16. 21. 30. 34.

ſtolo

ſtolo cenſetur, quòd vim non haberent á peccatis retrahendi? Nunquid à victimis aliud præterea requiritur, quàm ut illa peccata expient, pro quibus offeruntur? Itaque videri poteſt, eam Apoſtoli mentem non eſſe, quam nos affirmamus. Reſpondeo, Apoſtolum anteà cap. 8. manifeſtè aliud quiddam huic planè ſimile dixiſſe, cui idem omninò objici poſſe videatur: verſ. enim 7. apertè ait. Fœdus, quod cum populo per Moſem Deus pepigit non caruiſſe vitio. Quodnàm verò illud vitium fuerit ex ſequentibus patet: nempe, vim non habuiſſe continendi populum in officio. Unde factum eſt, ut aliud Fœdus in ejus locum ſubſtitutum fuerit, quod eam vim habet; per quod nimirum divinæ leges humanis mentibus induntur, & cordibus inſcribuntur. Uerùm, quis audivit unquam in fœderibus requiri, ut eas conditiones ſervari efficiant, quæ in ipſis continentur? Iſtud enim à voluntate eorum pendet, qui fœdus pepigerunt, ſeu potiùs, cum quibus fœdus pactum eſt, qui ſæpius, quantumvis præclarum fuerit fœdus, & quantumvis ritè ſancitum, fidem fallunt, & fœderis conditiones ſervare negligunt. Sicut igitur fœdus illud prius vitio non vacâſſe dicit Apoſtolus, eo nomine, quod vi quâdam carebat, quam poſterius habuit, quamvis proprium Fœderis non ſit eã vim habere: ita quia ſacrificia illa antiqua vi quâdam carebant, quę in ſacrificio Jeſu Chriſti ineſt, quamvis ea vis propria ſacrificiorum non ſit, digna illa judicavit, quæ vitii damnarentur; præſertim cùm nemo negaturus

rus ſit, quin utrobique illa vis perfectionem quandam eximiam rei in qua eſt conciliet, quam altera minimè habeat, quæ vi illa deſtituitur.

Refut. Cap. XXIV.

Quod Chriſti oblatio, apud auctorem Epiſtolæ ad Hebræos non in cruce, ſed in cœlo, poſt reſurrectionem perfecta fuerit, demonſtratio; & ſimul apud eundem ſcriptorem eorum verborum explanatio, qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo; ſic præterea jam expoſiti inter Chriſti ſacrificium & victimas illas legales diſcriminis confirmatio.

PRimam ſententiæ ſuæ probationem petit ex verbis cap. 9. com. 25. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in ſancta per ſingulos annos in ſanguine alieno.* Sciendum eſt quod & alibi ferente ſic occaſione monuimus, ad illa verba, neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, ſubaudiri poſſe verbum patefactus eſt, ſenſus enim v. 26. cohæret cum verſu antecedenti. Deinde etiamſi verba illa ingreſſus eſt in cœlum ſubintelligantur,oblationemChriſti perfectam in cœlo eſſe factam non recte concludetur, neque propterea peribit ſimilitudo interPontificem & Chriſtum, quæ non ea in verbis Apoſtoli legitur, neque ex eorum vi elicitur ut format Socinus: nempe quod quemadmodum ille non antea offere-

offerebat, quam ingreſſus eſſet in Sancta; ſic Chriſtum non antea obtuliſſe, quam ingreſſus eſt in cœlum, ſed ea ſtatui poteſt non ingreſſum eſſe, ut offerat ſæpius, quemadmodum Pontifex cum ſanguine alieno quotannis ingreditur. Quæ verba ſic capi poſſunt ut dicamus Chriſtum non ingreſſum ut ſe ſæpius offerret, oblatione in terris peragendâ, quemadmodum Pontifex in ſacrarium ingreditur alieno ſanguine, quem offert pro ſe & populi erratis. Nec hoc pacto claudicat comparatio, quod Chriſti oblatio in terris iteranda, Pontificis autem in ſacrario fieret, quatenus eam hic expendit divinus auctor. Nam poſitâ, quam impugnat ille locus, paritate oblationis Chriſti & Leviticæ, ratione repetitionis, ſæpius etiam iteranda fuiſſet paſſio ſummi noſtri Pontificis ut eſt com. 26. Jam verò quemadmodum dici poteſt Chriſtum non eſſe ingreſſum in cœlum, ut ſæpius patiatur, ſicut Pontifex quotannis cæſæ victimæ ſanguine ingreditur, quamquam in terris iteranda foret paſſio, ſic concinnè procederet comparatio oblationis Chriſti, quamquam illa in terris facta, ſummi autem ſacerdotis, ut facta in Sancto ſanctorum hic conſideretur. Deinde non debuit concludere Socinus, Chriſtum *non antea obtuliſſe*, quam ingreſſus eſſet in Sancta, *ſed non perfectè obtuliſſe*, hoc enim demonſtrandum ſibi ſumit, ut titulus indicat.

Pergit Socinus inſtitutum ſermonem de anniverſario ſacrificio perſequens. *Quemadmodum ſacrificii illius oblatio, non tum perficiebatur,*

cum pecudes mactabantur, id quod fiebat extra ſacrarium, ſed tunc cum earum jam mactatarum ſanguinem Pontifex in Sancta intuliſſet: ſic non fuiſſe oblatum Chriſtum cum mactatus fuit, id quod extra cœlum factum eſt, ſed tunc demum, cum ſeipſum jam ante mactatum in cœlum intulit. Ad hæc animadvertendum eſt. Primò paſſim quidem in lege ſcriptum eſſe, *mactabit, ſanguinem offerent fundent, ſuper altare, per altaris circuitum, offeret & adolebit ſuper altare:* attamen non ſemper occurret ille ordo. *Aves offerendo mactabantur & mactando offerebantur* Levit. 1. v. 14. *Si autem de avibus holocauſtum, oblatio ipſius Jehovæ, tum offeret de turturibus aut de columbis oblationem ſuam, & offeret illam ſacerdos ſuper altare, & ungue ſecabit caput ejus, & adolebit ſuper altare, exprimeturque ſanguis ejus ſuper parietem altaris, & removebit veſiculam ejus, cum plumâ ipſius, projicietque illam prope altare, ad orientem ad locum cineris.* 2. Dico Chriſti mortem, non tantum cum ipsâ pecudum mactatione comparandam, verum etiam cum ritu oblationis mactationem illam conſecutæ, & impoſitione atque oblatione victimæ ſuper altari. Chriſtus moriens dedit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis, de quo loco poſtmodum diligentius. Poſtremus actus, quo ſacrificio pro peccato aut Sacerdotis aut totius cœtus Iſrael, finis imponebatur, *erat eductio animalis extra caſtra, & pellis, carnis, capitis, crurum, inteſtinorum, fimique animalis combuſtio* Levit. 4. v. 11. 12. & 20. Cum hoc ritu, quo id genus ſacrificii pro peccato

peccato terminabatur, divinus ille ad Hebr. ſcriptor mortem Chriſti comparavit, cum ſcriberet Heb. 13. com. 11. 12. *Quorum enim animalium ſanguis infertur pro peccato in ſacrarium per Pontificem, horum corpora exuruntur extra caſtra; qua propter & Jeſus ut ſanctificaret populum per proprium ſanguinem, paſſus eſt extra portam.* 3, Pontifex oblationem anniverſariam quidem peragebat in ſacrario, non tamen totum oblationis opus, neque ultimum, imò verò oblatio abſolvebatur extra Sancta, ſive domum exteriorem, quod tabernaculum prius nuncupatur Heb. 9. v. 2. nam poſt peractam in ſanctuario oblationem, dicit textus, *egredietur autem & faciet holocauſtum ſuum & holocauſtum populi, & expiationem faciet pro ſe & populo, adipem verò hoſtiæ pro peccato adolebit ſuper altare.* Hoc altare erat altare holocauſtorum, in quo omnes immolabantur victimæ. Hoc altare non erat intra tabernaculum aut templum, ſed ante oſtium tabernaculi Levit. 1. v. 5. Joſeph. lib. 15. antiq. cap. ultim. *Tertium verò ſpatium intimum ſolis ſacerdotibus acceſſibile. In eo templum erat, & ante illud altare, in quo hoſtias immolare Deo ſoliti*, cum ergo Pontifex extra ſacrarium etiam ſacris operatus ſit, extra cœlum etiam potuit offerre Chriſtus. Neque verò quia mactatio pecudum in Levitico ſacerdotio anteceſſit, ſubſecuta oblatio, ad eandem ordinis legem Chriſtus ſacerdos aſtringitur, quaſi prius mactari, deinde offerri debuerit; atque ejus morte ſimul ejus oblatio perfici & abſolvi non potuerit, eaque cæleſti ſan-

ctuario reſervari debuerit, quia in ſanctuario ſanguinem obtulit Pontifex, aliisq; ſacris oblationis ibidem operatus eſt, id inquam totum inconſequens eſt. Omne quod in ſacrificiis Leviticis obſervatur, non ſtatim ad Chriſti ſacrificium referendum eſt. Ibi hoſtia mactata non revocabatur in vitam, ut eâ in ſanctuarium ſacerdos ingrederetur. Sacerdos noſter ingreditur redivivâ hoſtiâ. Ibi ſacrificio rite peracto expiatio & effectus ejus conſequebatur immediatè in expiandis: at Chriſti oblatione peractâ, effectus expiationis & actualis remiſſio non conſequitur niſi in credentibus ad Deum converſis. Abrahamus juſſus offerre Filium in holocauſtum Gen. 22. 2. cum veniſſet ad locum, quem oſtenderat ei Deus, *ædificavit altare, ordinavitque ligna, & ligavit Iſaac filium ſuum & impoſuit eum altari ſuper ligna.* Atqui non tantum obtuliſſe dici poteſt, quia mactationem ejus & in arâ conſumtionem animo deſtinaverat, verum etiam quia jam altari ipſum impoſuerat. Confirmat id Apoſtoli Jacobi autoritas, cujus verba ſunt cap. 2. v. 21. *Abraham pater ille noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, quum obtuliſſet Iſaac filium ſuum ſuper altare.* Notum quoque eſt ex ſacrificiorum legibus, ubi frequens eſt *& offeret ſacerdos, & adolebit ſuper altare,* Græcam tranſlationem id exprimere verbo ἐπιθήσει, quod eſt propriè imponet. Hoc modo Chriſtus cruci impoſitus, fuit mactatus & in honorem Dei morte conſumtus. Illa mactatio taurorum de quâ Act. 14. 13. ſi facta fuiſſet, eâ honos ſacrificii & oblationis Paulo

Paulo & Barnabæ exhibitus fuiſſet. Chriſtiani, eo ipſo, quod ſi Deo ſpiritualiter mortificant, dicuntur ſiſtere corpora ſua hoſtiam vivam ſanctam acceptam Deo. Porro etiamſi ſi oblationi Pontificis, quæ facta in ſanctuario, oblatio Chriſti non reſpondeat, habet tamen actum aliquem eidem analogicè reſpondentem, nempe perpetuam ſuam apparitionem & interceſſionem. Etenim non ſcripſit auctor ad Hebræos Chriſtum *adhuc offerre, aut in cœlis offerre, ſed apparere & perpetuum habere ſacerdotium ut interpellet pro nobis; ut compareat nunc faciei Dei pro nobis* Heb. 9.com.24. *At iſte propterea quod in æternum manet, perpetuum habet ſacerdotium, unde & ſervare perfectè poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivens ut interpellet pro eis.* Verba auctoris marginalium annotationum N. Teſtam. in Bibliis Vatabli ſeparatim à Roberto Stephano excuſarum, quarum meminit hic noſter, poſſunt accipi de perpetuâ præſentatione, quemadmodum nonnulli Doct. ſub verbo oblationis interceſſionem ipſam comprehendunt; atque ita duplicem oblationem conſtituunt. Verumtamen poſteriorem hanc longè alio ſenſu interpretantur, quam Socinus nimirum ut illa ſit præſentatio tantum oblationis Chriſti ſatisfactoriæ atque expiatoriæ per ſanguinem crucis factæ. Quamquam verò etiam diſertè ſcriptum ſit Heb. 8. com. 1. quod hoc loco quoque noſter attulit. *Talem nos habere Pontificem, qui conſedit ad dextram throni majeſtatis illius in cœlis; eundemque veri ſanctuarii miniſtrum eſſe,*

propterea tamen exiſtimandum non eſt, non prius obtuliſſe oblationem ſuam, quâ illi opus erat, ſecundum morem Pontificis ſolennem, qui ad offerendum dona & victimas conſtituitur, quam ad dextram Dei conſederet, aut cœleſtis ſanctuarii miniſter fieret, ſic enim adverſus hujus ſcriptoris apertũ pronunciatum. *Hic vero unâ pro peccatis oblatâ victimâ in perpetuum conſedit ad dextram Dei*, concluderetur. Nec ita loquutus auctor, quemadmodum eum locutum facit Socin. Chriſtum in cœlo miniſtrum veri Sanctuarii fuiſſe factum, ob eamq; rem neceſſe eſſe, ſicut omnes Pontifices aliquid habent quod offerant, ſic iſtum aliquid offerendum habere, ſive habuiſſe nempe in cœlo, ita non ratiocinatus eſt inquam autor ad Hebr. verba inſpiciantur liquebit. Non dicit quia Sanctuarii miniſter eſt oblationem eſſe neceſſariam; ſed quia omnis Pontifex, ad offerenda dona & victimas conſtituitur, neceſſe fuiſſe habere quod offerret. Sed ſume ita ſcriptum fuiſſe, Chriſtum oblatione opus habuiſſe, quod Sanctuarii miniſter eſſet, tum non erit quod offerre in cœlo debuerit, ſed oblatione factâ comparere. Nam quod affirmat Socinus, Chriſtum apud hunc ſcriptorem, non prius ſacerdotem fuiſſe revera factum, quam poſt mortem crucis, id inſecutura ejus, Chriſti cum Aharonico ſacerdote collatio planum non facit. Adde ſi Chriſtus in terrâ revera aut verus ſacerdos non fuit, ne inchoata quidem oblatio in terris revera fuit, ac propterea non ſolummodo perfecta oblatio in cœ-

lis

Iis facta ſed & ipſum oblationis initium non alibi quærendum: quomodo enim cæperit offerre Chriſtus, antequam Sacerdos eſſet: non oblatio ſacerdotio,ſed ſacerdotium naturâ prius oblatione.

Objicit ſibi inſigne teſtimonium Pauli. *Ambulate in dilectione ſicut & Chriſtus dilexit nos,& tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem& hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Hic primò ait ſententiam ſuam, *mortemab ejus oblatione non ſejungere: non obtuliſſe Chriſtum ſe Deo pro nobis niſi per mortem, non niſi interveniente, morte, non ante tamen oblationem perfectam fuiſſe, quam poſt reſurrectionem & aſcenſum ejus in cœlum*. Hæc dupliciter intelligi poſſunt; nam aut vult cum ita loquitur ipſam mortem eſſe partialem actum oblationis hujus, aut tantummodo mortem oblationi præcedaneam eſſe debuiſſe. Si poſterius, tum huic teſtimonio Pauli non ſatisfit, qui non docet Chriſti mortem interveniſſe ut ſe redivivum poſtmodum offerret,ſed clarè indicat, dum ſe traderet fuiſſe aut factum eſſe oblationem. Sin ſentit mortem eſſe partialem actum ipſius oblationionis,Chriſtus igitur verus ſacerdos fuit cum moreretur:nam Paulum de verâ oblatione verba facere nemo credo negare audeat. Hoc ſenſu poſteriori, quamquam ſuam non leviter labefactet ſententiam de Chriſti ſacerdotio collato illi demum cum cœlum ingrederetur, accipiendus noſter videtur, ait enim *non ante oblationem perfectam fuiße quam poſt reſurrectionem & aſcenſum ejus in cœlum*. At ubi quæſo legit Chri-

ſtum imperfectâ ratione aliquandiu ſacerdotem fuiſſe, aut oblationem illam crucis imperfectam & mutilam fuiſſe. Apoſtolus quidem voce perfecti non eſt uſus,neque eâ etiam uſus uſpiam ſcriptor ad Hebræos. Oſtendat nobis Chriſtum ſe bis obtuliſſe, primò imperfectiori poſtmodum multo perfectiori modo: ego oſtendam illi claris Script.teſtimoniis Chriſtum ſemel ſemetipſum obtuliſſe. Non bis obtulit, ſed ſemel, non duas hoſtias, ſed unam, quam aut vitio non caruiſſe neceſſe eſt; aut perfectam nobis deeſſe hoſtiam. Ergo errando excipitur hanc oblationem non fuiſſe perfectam. Neq; verò etiam indicavit Apoſtolus ad Heb. initium oblationis à voluntate & obedientiâ Chriſti factum fuiſſe, ſed manifeſtè indicat eam voluntatem & obedientiam, abſolutum oblationis opus dediſſe nobis. Adferat lector animum à præjudicio liberum, nihil aliud ex ipsâ textus lectione ipſi videbitur Heb. 10.9. 10. 12. 14. oblationem morte incepiſſe,duraturam autem in cœlis uſque ad ultimum judicii diem, imò tum imprimis Chriſtum oblaturum atque expiaturum, quæ revera ejus mens eſt ut poſtmodum plenius datâ occaſione oſtendetur, tam alienum quam quod maximè, ab iis quæ Apoſtolus ad Hebr. de oblatione Chriſti ſcripſit, id me tacente quilibet videre poteſt.

Secundo excipit, *meminiſſe oportet me, cum de Chriſti oblatione quam Sacræ literæ memorant affirmo, eam in cœlo peractam poſt crucis mortem fuiße, non loqui niſi quatenus pertinet ad auctorem Epiſtol.*

Epiſtol. ad Heb. non autem ad omnes ſacros ſcriptores, quamquam de omnibus idem affirmari poſſe crediderim.

Quamquam dixerit de oblatione quatenus de eâ apud autorem ad Hebræos in cœlo peractam poſt mortem crucis, deque aliis id non affirmaverit nihilominus tamen contradicentibus aliis ſcriptoribus, quemadmodum in loco ad Epheſ. Paulus facit, rectè illud affirmatum ab illo de ſcriptore ad Hebr , eſſe non poteſt, Spiritus enim veritatis, non eſt Spiritus contradictionis, quare falsò credit de omnibus id affirmari poſſe, cum Paulus dicat in morte crucis Chriſtum ſuam peregiſſe oblationem.

Porro ſive verba hæc Paulina cum diſtinctione & interpunctione legantur ita ut παρέδωκεν non conjungatur cum voce προσφοράν, & poſteriora illa præcedentibus conjungantur per appoſitionem , ſive ſine tali diſtinctione, non multum refert ad rem controverſam. Ex utraque lectione efficitur Chriſtum ſe Deo pro nobis obtuliſſe. Ex lectione illà Bezæ, quæ προσφοράν ad verbum παρέδωκεν conferebat ſupplemento vocis in, non negat hunc effici ſenſum. Ex poſteriore lectione idem etiam ſenſus ſatis manifeſtè elicitur: nam cum juxta hanc ſtructuram Chriſtus qui ſe tradidit, oblatio & victima dicatur perſpicuum eſt id de eo dictum eſſe , quatenus ſe pro nobis in mortem tradidit. Jam verò Chriſtum eatenus oblationem eſſe, quà ſe tradidit pro nobis eſt Chriſtum ſeipſum obtuliſſe, cum ſe traderet. Cum autem dicat Paulus Chriſtum ſe obtuliſſe, annon con- tradidit oblationem

 cipien-

cipiendum ſe Deo pro nobis obtuliſſe, cum ſacra Script. non meminerit uſpiam oblationis alicujus Chriſti, quum pro nobis non eſſe factam dicat; ſæpius autem pro nobis obtuliſſe affirmat: ab hac ergo mente non debuit diſcedere Socin. Si lectionem illam, quam repudiat, ſequamur, ita etiam hæc verba eludi poſſent, Chriſtus ſemetipſum tradidit pro nobis in oblationem, id eſt ſe tradendo fecit Deo rem gratiſſimam. Proferatur vel unus locus, ubi Scriptura mentionem faciat ſacrificii & oblationis Chriſti, quæ non ſit facta pro peccato, & quâ ſacrum expiatorium non indicetur, ſed ſolummodo ſacrificium pacificum quod pro peccatis non offerebatnr. Dixi ſtatim de conſtructione non admodum laborandum quia tamen non patitur eam lectionem, quę non interpungit, & ſententiam ante vocem oblationis pendentem quaſi facit, juvat ejus cognoſcere probationes. Ait verbi παραδίδωμι nullum fortaſſis uſum eſſe in ſacrificiis. Verbum nathan, quod eſt dare, tradere, & verbum δῦναι, quod in hoc argumento mortis Chriſti promiſ-
Dare cue uſurpatur, cum voce παραδίδωμι in argumento de ſacrificiis adhibetur. *Panem meum quem dederam tibi, ſimilam & oleum & mel, quibus cibans te, poſuiſti, ad verbum, dediſti illud coram eis in odorem quietis* Ezech. 16. com. 19. *Nunquid volet Jehovah millia arietum, aut decem millia torrentium olei? nunquid dabo primogenitum meum pro prævaricatione meâ.* De populo dona & oblationes offerente frequenter Levit 15-14. *tradet eas ſacerdoti*, Levit. 22. 14.

Num.

Num. 5-10. *& quicquid in Sanctuarium offertur à ſingulis*, græcè habetur προσφέρωσι, & traditur manibus ſacerdotis, ipſius erit. Deinde eſto ita, verbi παραδίδωμι nullum in ſacrificiis uſum eſſe, id non magis nobis quàm Socino obeſſe poteſt, qui Paulum hanc vocem ad Chriſti oblationem ſignificandam adhibuiſſe confitetur, ſcribit enim à Paulo *per appoſitionem eſſe dictum, hoc Chriſti factum, fuiſſe oblationem* Deo *gratiſſimam*. Ad Chriſti ergo hoc ſacrificium ſignificandum adhibuit Paulus. Crell, contra Grot. pag. 531. *Quid enim eſt, quod prohibeat, quo minus verba illa, oblationem & victimam Deo, ſi conſtructionem Grammaticam ſpectes, per appoſitionem cenſeantur adjuncta voci ſeipſum & ſic ad Chriſtum referantur, non quidem ſimpliciter conſideratum; ſed eatenus quatenus ſeſe pro nobis in mortem tradidit, ita ut quod adjuncto propriè competit, ſubjecto metonimicè tribuatur, & perinde ſit ac ſi expreßè ad actionem ipſam, h. e. traditionem pro nobis in mortem fuiſſet relatum.* Neque verò etiam eſt quod objectet mentem Apoſtoli illam conſtructionem poſtulare, utpote qui voluit Chriſti erga nos dilectionem ſummopere commendare, hoc profecto fit dum audimus, Chriſtum ſe oblationem & victimam dediſſe: nam tam erat omnibus vocatis ſanctis manifeſtum hac oblatione & victimâ, mortem crucis deſignari, quàm verbo traditionis: hinc ergo nullum præſidium conſtructioni, pro quâ pugnat Socin. accedere poteſt. Nihil facit quod quis ſe poſſit Deo offerre, nec tamen mori, cum detur hoſtia viva, idem in tra-

in traditione fieri poteſt, poteſt quis ſe tradere, nec tamen mori. Quemadmodum ergo Eccleſiæ facile percipiebant, Paulum verba facere de traditione in mortem, ita facile perceperunt, Paulum ad unicam illam victimam expiatoriam, quæ ſanguis Filij Dei effuſus reſpicere, qui id fecit ut hoc factum eximiæ charitatis tanto magis commendaret, & ad imitandum proponeret, etenim ſi Chriſtus, ſeipſum moriendo victimam pro nobis dedit Deo acceptiſſimam quanta ergo debet eſſe mutua unicujuſque noſtrum charitas.

Non negamus opera ex charitate provenientia, *hoſtias Deo oblatas* appellari id rectè probant loca illa adducta Heb. 13.16, Phil. 4.18, ſed hoc dicimus nullam nobis in ſacris commemorari hoſtiam Chriſti, quæ expiatoria aut pro peccatis non ſit, aut ut talis non proponatur. Hieronymum ſenſiſſe de oblatione expiatoriâ non agi hoc Pauli loco, nullâ ratione fides fit eo, *quod dicat libenter occumbentem, imitaturum eum qui oblationem & hoſtiam, in odorem ſuavitatis ſe Patri tradidit, fit etiam ipſe oblatio & hoſtia Dei in odorem ſuavitatis*. Imitatio eſt in re, non in modo & ſpecie rei. Adde quod hæc verba Hieronymi non arguant Hieronymum ſenſiſſe non agi hîc de oblatione expiatoriâ, ſed agi, verba enim indicant Hieronymum velle, quod Chriſtus ſe tradens pro nobis oblationem & hoſtiam Patri pro nobis tradiderit, id verò eſt oblationem expiatoriam pro nobis feciſſe. Verum eſt verba illa *in odorem bonæ fragrantiæ* rarius uſurpari in lege Moſaica

cum

cum de ſacrificiis expiatoriis ſermo eſt, ſive ſacrificiis pro peccato, tamen nonnunquam fit, nam de hoſtiâ holocauſti, quæ acceptibilis eſſet ad expiandum offerentem Levit. 1. com. 4. narratur v. 13. *& inteſtina & crura lavabit aquâ offeretq; ſacerdos omnia, adolebitque ſuper altare, holocauſtum eſt, oblatio ignita odoris quietis Jehovæ.* Græca translatio habet ὀσμὴν εὐωδίας oblatione pro peccato habetur Levit. 4. 31, *adolebitq; ſacerdos ſuper altare in odorem quietis Jehovæ; atque ita expiabit eum ſacerdos, & remittetur ei?* Non moveor Crellij ad hoc poſterius teſtimonium exceptione, cujus hæc ſunt pag. 530. *Verba illa in ſacrificio expiatorio, non de eo dicuntur, per quod maximè & revera peccata expiabantur, h.e. de ſanguinis oblatione (nam neq; inde odor ullus ad ſuperiora ferebatur) ſed de combuſtione adipis & renum, quæ tametſi ad abſolvendam expiationem, in legalibus illis ſacrificiis requirebatur, tamen ut ea, quæ fiebat pontifice jam egreſſo ex ſacrario, nihil ſibi reſpondens in Chriſti ſacrificio expiatorio habet, ubi omnia abſolvuntur, antequam Chriſtus Pontifex è ſacrario ſuo egrediatur,* verùm non tantum ſanguine, ſed univerſo oblationis ritu expiatio peragebatur: nam dicitur *adolebit ſacerdos ſuper altare in odorem quietis Jehovæ:* tum ſequitur, *atque expiabit eum ſacerdos & remittetur ei.* Quid inde efficitur, quod ſacrificium expiatorium non ratione ſanguinis, ſed ratione combuſtionis adipis & renum dicatur in odorem bonæ fragrantiæ? Chriſtus conſumtus in cruce, itaque ratione paſſionis ſuæ analogicè combuſtioni reſpondentis, fuit Deo

Odor bonæ fragrantiæ

Deo, in odorem bonæ fragrantiæ. *Sicut aqua effuſus ſum, & ſeparata ſunt omnia oſſa mea: factumq́ eſt cor meum ſicut cera, liquefecit ſe in medio viſcerum meorũ, aruit tanquam teſta fortitudo mea* Pſalm. 22. 16. Etſi verò hęc in anniverſario ſacrificio fiebat, Pontifice jam egreſſo ex ſacrario Levit. 16. 25, aliquid tamen eidem in Chriſti ſacrificio analogum eſſe poteſt, quamquam non poſt ingreſſum, ſed ante ejus ingreſſum, in ſacrarium factum: id clarè nos docet locus ille ad Heb. 13. v. 11. 12. *Quorum enim animalium ſanguis infertur pro peccato in ſacrarium per Pontificem horum corpora exuruntur extra caſtra, quapropter & Jeſus ut ſanctificaret populum per proprium ſanguinem, paſſus eſt extra portam:* hoc etiam in anniverſario ſacrificio fiebat poſt egreſſum Pontifices Levit. 16. 27, in Chriſto autem factum ante ingreſſum.

Ex iis quæ huc uſque ad hunc locum diſputata ſunt, educuntur hæc conſectaria, mactationem victimæ & ejuſdem oblationem ſimul eſſe poſſe, & in uno & eodem actu concurrere: nam traditionem Chriſti in mortem concedunt adverſarii fuiſſe oblationem expiatoriam inchoatam. Secundum, poteſt in ipsâ mactatione victimæ, eſſe actus ſacrificii perfectus, ſecundum adverſarios, quia hic actus traditionis fuit hoſtia & oblatio Deo gratiſſima, perfecta Schelamum. Vult enim Crell. Paulum ad ſacrificia voluntaria alluſiſſe. Tertium, verus ergo Sacerdos in terra fuit, nam perfecti ſacrificii ratio perfectum requirit ſacerdotem.

Pacificorum

Quar-

Quartum, extra cœlum perfectam oblationem offerre potuit Chriſtus, adverſariis aſſentientibus de hoſtiâ pacificâ.

Miſſo hoc ad Epheſios loco, novum pro oblatione in cœlo factâ profert argumentum. Id deſumitur ex verbis 9. cap. com. 14. *Seipſum obtulit Deo*, quod in cœlis eſſe factum putat, confundens oblationem ſemel factam cum interceſſione perpetuâ, quod πρῶτον ejus ψεῦδος eſt. Dictum eſt v. 12. *Chriſtum per proprium ſanguinem ingreſſum ſemel in ſacrarium æternâ redemtione inventâ*. Id verò rectè probatur hoc verſu, ex oblatione quâ Chriſtus ſe in terris obtulit, ita ut hinc cum Socino inferendum non ſit oblationem in cœlo eſſe factam. *Per Spiritum quidem æternum ſeipſum dicitur obtuliſſe*, Et iſto loquendi genere vitæ perpetuitatem deſignari ait, quæ hic intelligi non poteſt, cum ſe obtulerit cum mortalis eſſet. Vulgatus habet per Sp. S. ſic etiam legit Chriſoſt. teſtante Ribem in commentariis ad Hebr. unde potuerunt antiqui codices eſſe, quos interpres vetus ſecutus. Vita perpetua & immortalis, non oblationis ſed interceſſionis fundamentum ponitur. De voce *immaculati* illud tantum monebo, immaculati vocem accipiendam propriè ut ſonat; tum quia nimis longè petitum eſt, immortalitatem & impatibilitatem hic ſignificari, tum quia effectus ille emundationis, maximè propriè puritatem & innocentiam Chriſti morientis, cujus ſanguine emundamur reſpicit. Sanguine juſtificari, purgari à peccatis lavari dicimur, cujus qualitas inſignis ad hunc

Præcipuum figmentum

hunc effectum producendum, quod ſit purus & incontaminatus, aut ſanguis ejus qui nullâ impuritate peccati contaminatus eſt, non ille reſpectus inter immortalitatem & emundationem hanc.

Redit ad comparationem illam de excellentiá ſacrificii Chriſti ſupra umbraticas victimas, de quà re in priori cap. legi poteſt Victimas illas nullo modo verè liberâſſe, ſed iſtam liberationem ſacrificii Chriſti eſſe propriam, nonnullis allatis argumentis probavimus. Verum quidem eſt ſacrificiorum Aaronicorum virtute, nec reatum omnium eorum peccatorum, pro quibus offerebantur, hoc eſt ejus generis, ut hic noſter ait, ſublatum fuiſſe, nec ab illis peccatis, in poſterum committendis, eos pro quibus ſacrificabatur retractos eſſe: at Apoſtolum in principio cap. ad Hebr. 10. ſpeciatim ſibi probandum ſumere, quemadmodum probationes ejus reſtringit Socinus, hoc à veritate valde alienum eſt. Ad hanc liberationem à levioribus, ut ille loqui ſolet, hanc diſputationem reſtringit. Verba ejus ſunt hoc loco. Itaque ait Apoſtolus, *ideo ſacrificia illa quotannis peccata fuiſſe, quia nunquam populus ipſorum vi à peccatis illis retrahebatur.* Dico contra Apoſtolum generatim de omnibus & quibuslibet peccatis loqui: nam poſito legalium victimarum vi, populum à peccatis quibusdam retractum eſſe, poterat interea aliis, quæ lege expiari non poterant, contaminatus eſſe. Quid proderat legem, à quorundam reatu in perpetuum abſolvere, manentibus multis aliis, à quibus

à quibus accedentes ſanctificari non poterant Etſi ergo id de quo diſputat Prælector, victimæ potuiſſent, non ſanctificati à peccatis & ab eorundem conſcientiâ liberati fuiſſent accedentes. 11. Nullo verbo hic indicat autor præterita peccata, quoad reatum expiari, non futura, non ergo ex hoc autore ſed ex proprio intellectu hæc adferuntur. 3. Si id eſſet is victimis legis, quod illis tribuit Socinus, cauſa non videtur illi, aliquid in illis deſiderandi. Quod victimæ à peccatis illis non retrahebant, neque ea ceſſare faciebant, in ipsâ quoque Chriſti victimâ reperitur, cum Chriſtiani etiam ipſo docente, fragilitatibus, ignorantiis incogitantiis maneant obnixii cap. 26. Prælection. Quod in victimâ perfectiſſimâ reperitur, in victimâ imperfectiore imperfectio eſſe non poteſt. Quamquam id victimis aberat, eo malo ſatis occurri videbatur, repetitis ſubinde expiationibus, quibus renaſcens ſubinde reatus tollebatur. Si per tot ſeculorum tractus, populus ille ad Deum accedere potuit, contaminationibus ſuis nunquam non paratum habens expiationis à reatu beneficium, illi cultu ad æternam ſanctionem aliquid deeſſe non videbitur. Author ad Hebræos non propterea abolendos cenſuit, quod perpetuam expiationem non requirerent, ſed ſimpliciter quia accedentes non ſanctificabant, non purgabant, quia omnino non poterant auferre peccata, & conſcientiam exonerare: quamquam ex ejuſdem mente verum ſit, ſi expurgâſſent, in perpetuum expurgaturas fuiſſe. 4. Ideo à peccatis

committendis Judæi umbratilibus victimis, non ſuerunt retracti, *quia victimæ* inquit Prælector, *non potuerunt efficere ut à peccando deſiſterent*, ita enim ſcripſit in iis, quæ ad citata ſuperius verba ſequuntur. His poſitis efficitur Judæos liberum arbitrium non habuiſſe ad ſervandam perfectè legem, quæ tamen ejus ſententia colligitur ex cap. V. Prælection. & aliis locis librorum ejus. Similiter ſequitur, beneficium ſanctificationis & obſervationis præceptorum Dei, beneficio legis, neque ullius alterius rei extra Chriſtum, contingere non potuiſſe. Etenim ſi potuiſſent à peccatis ſuis per veram ſanctificationem purgari alterius rei beneficio, quam gratiâ impetrandâ expiatione per Chriſtum aliquando faciendâ, nihil erat, cur ob victimarum hac in re defectum, Chriſtus ſuo ſacrificio nobis ſubveniret, id tamen ſentit quoque Socin. qui gratiam Chriſti ſanctificantem cancellis ultimorum temporum concludit, & ad Patres non extendit. 5. Aut perperam expiationem peccatorum declarat, docens id dici, quia aut victima intervenit, & antecedens quid eſt, aut cauſa ejus eſt ſecundum eſſe cognitum, ſive ut agnoſcatur eſſe facta: aut quod victimæ à futurorum reâtu non liberârunt, ut ab antecedentium, in cauſâ non eſt victimarum imbecillitas, ſed Dei id fieri nolentis voluntas. 6. Adverſarii ſententiam penitus inſpicientibus, apparet ablutionem conſcientiæ à peccatorum ſordibus per veram converſionem oriri ex ſpe vitæ immortalis pœnitentibus factæ, & Chriſti ſacrificio, quà ſpei

ſpei illius eſt perfectior confirmatio. Sacrificium ergo Chriſti non aliter expiat, niſi quatenus eſt principium cognoſcendi illum immortalem vitam & fidem ejus facit certam eſſe intellectui. Principia ergo vis imò omnes propriè, in ipsâ immortalis vitæ promiſſione, & nulla in ſacrificio confirmante eſſet, ni eſſet in re confirmatâ. Porro re ſic ſe habente, ſi pacto legali promiſſio æternæ & immortalis vitæ factæ fuiſſet, ad id confirmandum victimæ quoque legales adhiberi potuiſſent, & cultores ſuos à peccatorum ſordibus repurgare ad ſerviendum Deo vivo: quod ergo victimæ id non poſſunt, ex vitio legis erit: atque ita rurſum hæc imperfectio non ex naturâ rerum eſt, ſed voluntatem Dei ordinantis ſequitur.

Animadvertendum quoque eſt, adverſarium duas adferre cauſas vitii ejus legalium ſacrificiorum, quod illa ſæpius repetere neceſſe erat. Una eſt ipſi *quod illa pro præteritis tantum peccatis offerebantur*. Altera, *quod nullam vim habebant à peccatis retrahendi*, quam cauſam paulo poſt ita explanat, *nunquam populus ipſorum vi à peccatis illis retrahebatur, quare ſemper aliquam peccatorum conſcientiam habebat, id eſt, ſemper ſe coram Deo reum agnoſcebat*. Ad hæc dico poſteriore cauſa poſitâ priorem tolli, & ſupervacuam fieri: nam datâ perfectâ peccatorum ceſſatione, non opus erat neque poterat futurorum peccatorum reatus expiatio fieri. Sed ut ex hiſce omnibus evolvamus, in quibus de legalium ſacrificiorum inefficacitate Socinus, miſſis ejus argutis ſubtilitatibus, dicamus

victimarum imbecillitatem in eo conſtitutam, quod iis compenſatio & ſatisfactio pro peccatis facta non fuit, omnem veram & ſatisfactoriam expiationem in unico Chriſti ſacrificio reſidere. Nulla peccata ſacrificiis tolli potuiſſe falſum & ridiculum exiſtimat Prælector, quid enim inquit, ut in textu ejus ſequitur, *attinuiſſet quotannis ſacrificare, ſi certum fuiſſet nulla peccata eâ ratione expiari, & fruſtra omnino eâ ſacrificia offerri:* quaſi verò negato hoc victimarum effectu, alii fines utiles eſſe non potuerint, quos propter ſapientia Dei illas vellet & præſcriberet. Fuerunt victimæ de peccatis, de pœnitentiâ, de puritate morum admonitiones: ſervierunt neceſſitati promiſſionis demonſtrandæ: promiſſa bona eminus ſunt oſtenſa per illas umbras: uſque dum umbrarum corpus & expreſſa imago rerum Chriſtus, adveniret. Revocet ſibi in memoriam, quæ de hirco emiſſario ſcripſit cap. 22. Prælect. Virgâ cenſoriâ D. Bezam ſtringit, quia exiſtimavit *in illis ſacrificiis, omnium peccatorum quantumvis antiquorum profeſſionem repetitam:* quæ ſententia non eſt talis, ut in promtu ſit ejus refutatio ex Levit. 16. com. 34. *Sitque vobis hoc ſtatutum perpetuũ, ut expiet filios Iſrael ab omni peccato eorum ſemel in anno.* Dicit quidem textus ſemel in anno, non dicit à peccato illius anni. Quod verò vocẽ ἀνάμνησις reddidit non commemorationem ſed repetitã mentionem, in eo nulla vis & detorſio facta, μνάομαι ſimplex eſt commemoro, mentionem facio, ἀναμνάομαι iteratam denotat actionẽ, memoriâ repeto, unde

nomen

nomen ἀνάμνησις repetita mentio. Interim fateor repetiti potuiſſe memoriam non tantum peccatorum antecedentium annorum, verum etiam peccarorum ejus anni, quo fiebat expiatio. Veruntamen ſi ipſa verba ſpectes, non tantum de ejuſdem generis peccatis, ſed de iiſdem etiam peccatorum individuis intelligi poſſunt.

In fine cap. monet de V. Fœdere, *quod vim non habuit continendi populum in officio*, quo confirmatur, quod paulo ante dixi, ſequi ex ſententiâ ejus de infirmitate victimarum, in impediendo peccatorum curſu: Cætera quæ ibi habet tranſmitto, ſi quid in iis animadverſione dignum, aut jam examinatum, aut examinandum rurſus occurret.

Cap. XXV.

Concluſio diſputationis de diſcrimine inter Chriſti ſacrificium & legales victimas, unà cum locorum aliquot explanatione, de expiatione per Chriſtum facta loquentium.

I*Gitur*, ut ex ſupradictis patet, idcircò ſacrificia illa antiqua repetebantur, quia vim nullam habebant efficiendi, ut ii pro quibus offerebantur in poſterum à peccatis illis abſtinerent, qua vi cùm Chriſti ſacrificium minimè caruerit, illud repetere neceſſe non fuit. Hinc verba illa ejuſdem auctoris ad Heb. eod. cap. 10. verſ. 11. 12. 13. 14. *Et omnis quidem ſacerdos aſtat quotidie ſacra peragens, & eaſdem ſæpè offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt au-*

ferre peccata: Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam, in ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus: Vna enim oblatione confirmavit in æternum ſanctificatos. In quibus verbis notandum eſt, adverbium *quotidie*, non ſignificare ſingulis diebus, ſed ſæpè, vel certo quodam tempore perpetuò. Neque enim agitur hîc de alio ſacrificio antiquo, niſi de illo quod ſemel in anno, idque perpetuò ſtatuto quodam tempore peragebatur, quod ſæpè peractum fuiſſe, præſertim præ Chriſti ſacrificio, dici poteſt, ut ex iis conſtat quæ ſcripta
Hebr. 9. 25. 26. &c. ſunt ſuperiore cap. verſ. 25. Atque idem auctor cap. 7. 27. hac eâdem de re loquens adverbium *quotidie* manifeſtè hoc ſenſu uſurpavit: ait enim de Chriſto: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, priùs pro ſuis delictis offerre, deinde pro populi, &c.* In nullis autem ſacrificiis, quæ pro populo fierent, legitur ſacerdos pro ſeipſo quoque offerre debuiſſe, præterquàm in ſacrificio illo anniverſario. Itaque quod ſemel quotannis fi-
Heb. 10. 14. ebat, quotidie factum fuiſſe ſcribit. Vt autem Apoſtolus probet id verum eſſe quod toties affirmaverat, & prædicto capitis decimi loco, poſtremò clariſſimè repetierat, Chriſtum unica oblatione eos qui ejus ſunt participes
Hierm. 31. 33. 34. perfeciſſe ibidem ſtatim ſubjungit, verſ. 15. 16. 17. 18. *Teſtificatur autem nobis etiam Spiritus ſanctus: Nam poſteaquàm prædixit, Hoc eſt Fœdus quod paciſcar cum illis poſt dies illos, dicit Dominus, dans leges meas in corda illorum,*

&

& id mentibus illorum inſcribam eas, & peccatorum ipſorum & iniquitatum ipſorum non recordabor ampliùs. Ubi autem horum remiſſio, non eſt ampliùs oblatio pro peccatis. Ex his verbis duo illa apparent Chriſti oblationi attribui, quæ in ſacrificiis illis antiquis minimè fuerunt, ſed priùs quàm id explicemus, duo notanda ſunt. Unum eſt, quòd non rectè videtur ab Apoſtolo concluſum eſſe, cum ait, ex remiſſione peccatorum & iniquitatum ſequi, nullam ampliùs eſſe oblationem pro peccatis. Quid enim, ſi, ut conſueverat, oblatio fiat pro peccatis præteritis, unde eorundem peccatorum remiſſio conſequatur, vel alia quâpiam ratione præterita peccata & iniquitates remittantur? Nonne peccatorum & iniquitatum erit remiſſio, & tamen fieri poterit, ut pro futuris peccatis oblationes inſtituantur? Hinc igitur animadvertendum eſt, Apoſtolum verba illa apud Hier. cap. 31. 33. 34. ita interpretatum eſſe, ut futura quoque peccata comprehendant, atque eodem ſenſu verba illa ſua protuliſſe, v. 18 *Ubi autem horum remiſſio*, &c, hacque ratione tacitè nos myſterium, quod in Hieremiæ verbis latebat, docuiſſe. Nam verba illa v. 34. *Peccatorum &c. non recordabor ampliùs*, ſi quis ea in potiorem ſenſum accipiat (ut ferè fit in prædictionibus ad Chriſtum quoquo modo pertinentibus) ſignificant, nunquam ampliùs futurum, ut Deus peccatorum ullorum rationem habeat, eorumvé rationem exigere velit, quod non ita erit, ſi non omnia peccata ſive præterita ſive futura remittat.

Alterum quod notandum erat eſt, quòd ſimiliter non rectè argumentatus fuiſſe videtur Apoſtolus, qui ex eo quòd nulla ampliùs oblatio ſit pro peccatis, ſine dubio colligi vult, Chriſtum unica oblatione omnia peccata abſtuliſſe. Siquidem fieri poteſt, ut, quemadmodum locus iſte quem citat apertè demonſtrare videtur, non ex oblatione Chriſti, ſed ex Fœdere quod Deus per Chriſtum pepigit, factum ſit ut nulla ſit ampliùs oblatio pro peccatis, nempe quia, ut ipſius verba declarant, peccata omnia Fœderis vi remiſſa fuerint. Itaque neceſſe eſt, niſi Apoſtolum ineptè prorſus locutum eſſe velimus, ut quod de Fœdere ſcriptum eſt, id de oblatione dici poſſe pro conceſſo ſumpſerit, atque ob eam cauſam ab oblatione ad Fœdus tranſire non dubitaverit, id quod etiam fecerat cap. 8. v. 6. & deinceps. Ex quo perſpicuum eſt, non alia ratione Chriſti oblationem vim expiandi peccata habere, niſi quia Fœderi per ipſum ſancito confirmando adjuncta eſt, ex quo Fœdere verè ac propriè omnis vis peccata noſtra expiandi proficiſcitur. Idcircò enim revera peccata noſtra expiantur, quia Deus ſola bonitate ſua impulſus, omnia peccata iis, qui Chriſto obedierint, condonare pollicitus & pactus eſt. Qua de re latiùs infra ſuo loco. Hoc autem Dei pactum pleniſſimè confirmat, imò ex parte etiam exequitur, Chriſti oblatiò. Etenim ex eo quòd Chriſtus in cœlum aſcendit, ibique immortalis factus, ſupremam ſecundùm Deum poteſtatem eſt adeptus, quâ ſuos, id eſt, ſibi

obedientes

obedientes vitâ æternâ donare poteſt, quibus rebus ejus oblationem contineri, partim ſupra oſtenſum eſt, partim infra oſtendetur, nemo eſt quin agnoſcat planè futurum, ut qui Chriſto obedierint, æternâ vitâ donentur, atque ea ratione omnium ſuorum peccatorum veniam conſequantur, & porrò ejus rei initia quædam jam cernat, & quæ ad eam planè exequendam pertinent, nec aliò ſpectare poſſunt, exiſtere & cognoſcat & fateatur.

Jam verò, ut ad id quod nobis explicandum propoſueramus ſermo noſter cōvertatur, dico, ex ante recitatis auctoris ad Heb. verbis ſatis conſtare de duplici illa expiatione, quæ Chriſti oblationis eſt propria. Demonſtratum eſt enim, Chriſti oblationi ea jure tribui poſſe, idque ex ipſius auctoris mente, quæ reverâ à Fœdere per ipſum ſancito proficiſcuntur. Fœderi autem huic tribuitur, quòd leges Dei in mente inſcribat & corde, hoc autem, quid aliud eſt, quàm efficere, ut quis à peccando deſiſtat, quam unam ex illis duabus expiationibus eſſe diximus? Tribuitur etiam, quòd Deus peccatorum & iniquitatum ampliùs non recordetur, quod certè ut hic Scriptor ipſe interpretatur, nihil aliud eſt, quàm peccatorum omnium in perpetuum remiſſio: hanc verò alteram Chriſti oblationis propriam expiationem fecimus. Animadvertendum eſt autem, quòd quemadmodum recitationis ordine hoc loco, ſic reipsâ inſcriptio legis divinæ in corde hominis, Dei oblivionem peccatorum antecedit, cui conſentit univerſa Sacra ſcriptu-

Heb. 10. 15. 16. 17. 18.

ra, quæ pœnitentiam ab iis omninò requirit, qui remiſſionem ſuorum peccatorum à Deo ſint adepturi. Pœnitentiam enim agere nihil aliud eſt, quàm vitam corrigere, & ſic legis peccati loco, legem divinam, quæ vera & ſola juſtitiæ lex eſt, in corde inſcriptam habere. Ex iis quæ de duabus iſtis expiationibus hactenus diſſeruimus, ſatis intelligi poteſt, quid ſibi voluerit Johannes Baptiſta, cum de Chriſto dixit, Joh. 1. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* quandoquidem Chriſtus verè peccata noſtra ſuſtulit, quatenus non modò, ut victimæ illæ legales, quædam præterita peccata delevit, & à peccatorum pœna liberavit; verùm omnia etiam futura expiavit, & à peccando in poſterum ceſſare fecit, ipſamque peccati radicem, quodammodo ex hominum corde extirpavit. Et idcircò eum, non agnum ſimpliciter, ſed Dei agnum appellavit, qui divina videlicet & priùs inaudita ratione peccata tolleret atque expiaret. Quamquam non nego, idcircò quoque Dei agnum ab eo appellari potuiſſe, quòd ab ipſo Deo non præordinatus ſolùm, ut inquit Petrus epiſtolæ prioris cap. 1. 20. ante mundi conſtitutionem fuiſſet, ſed etiam ab eodem comparatus quodammodo atque exhibitus; quòd denique, ut ipſa verba ſonant, ipſius Dei eſſet. Atque huc pertinet illud, quod ſcriptum eſt Act. 20. 28. Deum ſanguine ſuo eccleſiam acquiſiviſſe: ubi tamen Syriaca interpretatio pro Deo Chriſtum habet. Cæterùm quemadmodum à peccando Chriſtus retrahit, & ſic ipſa peccata penitùs aufert,

aufert, non quia pro peccatis ſatisfaciat,(quid enim ejuſmodi peccatorum oblationi cum ſatisfactione iſta commune eſſe poteſt?) ſed quia per ſpem æternæ ac beatæ vitæ, quam ii conſecuturi ſint, qui ipſius Chriſti præceptis obtemperaverint, Dei & proximi amorem in nobis gignit, eumque in cordibus noſtris perpetuò fovet: ſic à peccatorum pœna non ideò liberat, & ita peccata delet & aufert, quia pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciat; ſed quia, poſtquàm Dei & proximi amorem in nobis genuerit, poſtquàm Dei legem in cordibus noſtris inſcripſerit, Deus peccata noſtra nobis non imputat, neque illorum ampliùs recordatur. Quamvis autem Johannes, cum Chriſto tribuit quòd peccata tollat, eum agnum nominaverit, & ſine dubio ea in re ad expiatoria legis ſacrificia alluſerit, non crediderim tamen, cum in appellatione iſta ad immolationem tantùm reſpexiſſe, ſive ad Chriſtum, quatenus tantùm immolatus fuit; ſed ad totum Chriſtum, qui, ut mox dicetur, pluribus modis peccata tollit. Cujus rei etiam argumentum eſſe poteſt, quòd in expiatoriis illis Legis ſacrificiis, quæ nominatim pro peccato offerebantur, nullus agnus immolabatur. Ex quo apparet, cum Baptiſta Chriſtum agnum appellavit, alterius etiam cujuſpiam rei, præter ſacrificia illa, rationem habuiſſe, & ad puritatem, innocentiam ac manuetudinem illius reſpexiſſe, totumque Chriſtum ea tranſlatione quodammodo exprimere voluiſſe; præſertim cùm, ut dictum eſt, Chriſtus non ipſa ſui immolatione tantùm,

tantùm, ſed pluribus aliis modis peccata tol-
1. lat. Tollit enim peccata Chriſtus, id eſt, ut ab eorum pœna liberemur, efficit, quatenus Dei nomine, primus ab orbe condito, omnium peccatorum veniam, quantumvis graviſſimorum, iis omnibus offert, qui pœnitentiam ex ipſius præſcripto egerint, idque perpetuo Fœ-
2. dere ſancit. Tollit peccata Chriſtus, quia ad pœnitentiam agendam, quâ peccata delentur cœleſtibus iisque ampliſſimis promiſſis omnes
3. allicit, & movere potens eſt. Tollit peccata Chriſtus, quia non modò delendi modum docet, verùm etiam doctrinam ſuam multis rationibus iisque planè mirabilibus veriſſimam
4. eſſe confirmat. Tollit peccata Chriſtus, quia poteſtatem habet peccata cuicunque voluerit remittendi, ſive in terra, quod tunc quoque poterat, cum adhuc mortalis eſſet, ſive etiam in cœlo, quod illi datum eſt, poſtquàm eſt factus immortalis: quanquam hoc poſterius aliquo modo ad ipſius oblationem ſive immolationem pertinet, per quam immortalis eſt factus, & ſupremam iſtam poteſtatem eſt adeptus. Quid autem ſit *remittere peccata in terra*, &quid apellare liceat *remittere peccata in cœlo*, ante alicubi, ſi rectè memini, à nobis explicatum eſt. Breviter hâc remiſſione, æterna illâ,
5. temporaria ſalus continetur. Tollit præterea Chriſtus peccata, (ut de altera ablatione peccatorum agamus) quemadmodum ex jam dictis patet, quia ut à peccando ceſſemus, doctrinâ ſuâ ejuſque mirifica confirmatione, etiam, citra ſui ipſius immolationem efficit.

Tollit

Tollit denique (ut aliquid omittam) Chriſtus 6.
peccata, quia vitæ ſuæ innocentiſſimæ exemplo omnes, qui deploratæ ſpei non fuerint, ad juſtitiæ, & ſanctitatis ſtudium peccatis relictis amplectendum facillimè adducit. Itaque, ut dictum eſt, non propter immolationem tantùm dictum fuit à Johanne, Chriſtum agnum eſſe qui mundi peccatum tolleret; nec propter ſolam immolationem eá appellatione ad legis expiatoria ſacrificia alluſit; ſed potiſſimùm propter peccatorum ablationem, quæ, ut vidimus, in Chriſto, etiam antequam immolaretur, fuiſſe jure dici poteſt. Nam Petrus quoque epiſt. 1. cap. 1. 19. ut paulò ante diximus, eum agnum nominavit, cùm tamen ejus ſanguinis, non tanquam in ipſius immolatione pro peccatis noſtris fuſi, ſed tanquam prætij quo ex vana converſatione à patribus tradita illi ad quos ſcribit redempti fuiſſent, mentionem faciat: nimirum quia, ſicut per immolationem alicujus pecudis peccata ſub lege auferebantur: ita per Chriſti ſanguinem, dum ipſius vi ex vana noſtra converſatione eripimur, peccata à nobis auferuntur; & ita Chriſtus cum victimis illis, non præcipuè propter ipſam immolationem, ſed propter peccatorum ablationem, tacitè comparatur, & agnus appellatur. Auctor quoque ad Heb. cap. 9. 13. 14. Chriſti ſanguinem, non cum ſanguine tantùm qui in immolationibus illis antiquis fundebatur comparat; ſed cum cinere quoque juvencæ, quo contaminati aſpergebantur, non quidem propter aſperſionem ipſam, quę utrobique

biquè ſit, ſed propter eundem expiandi effectum, quem utrinque manare certum eſt. At Johannes in Apoc. primo capite v. 5, ad aliud reſpiciens, & alia tranſlatione utens, quæ nihil aliud eſt, quàm compendiaria quædam comparatio, de Chriſto deque ejus morte hæc dixit: *Qui dilexit nos & lavit nos à peccatis in ſanguine ſuo.* Quemadmodum enim aquâ ſordes corporis abluuntur, ſic Chriſti ſanguine animæ labes abſterguntur. Abſterguntur, inquam, primò, quia ea eſt ſanguinis Chriſti vis, ut ea ratione, quâ à nobis explicatum fuit, homines à peccatis retrahat, & juſtitiæ cultores efficiat; quæ abſterſio deinde alterius à peccatis ablutionis cauſa eſt, de qua non dubito quin Johannis potiſſimùm loquatur: cauſa eſt, inquam, ut ab omni peccatorum reatu coram ipſo Deo pro ejus bonitate abluamur. Ad priorem verò illam à peccatis ablutionem reſpicit potiſſimùm Paulus, cum ad Corinthios ſcribens ait, 1, Cor. 6. 11. aliquos ex ipſis aliquando peccatis addictos fuiſſe, ſed ablutos eſſe per nomen Jeſu, & per Spiritum Dei, id eſt à pecci ſervitute exemptos: qui locus etſi de Chriſti ſanguine aut morte nominatim non loquatur, tamen à me hac occaſione oblata libenter allatus & explicatus fuit, ut id probetur quod ſæpiùs inculcandum videtur, Chriſtum Jeſum peccata noſtra abſtuliſſe, non ſolùm quia à peccatorum pœna nos liberaverit, ſed etiam quia ab ipſis peccatis nos retraxerit. Verùm, ut ad propoſitum revertamur, dico, ex iis quæ dicta ſunt ſatis conſtare, in Sacris literis, di-

verſis

verſis alluſionibus, comparationibus, metaphoris, ſeu tranſlationibus, ſanguini Chriſti tribui, quòd à peccatis nos liberet. Quoniam verò inter Chriſti mortem & ſacrificia illa legalia, non ſolùm propter effectum ipſum expiationis, ſed etiam propter mactationem effuſionemque ſanguinis, & alia nonnulla, magna omninò eſt ſimilitudo, idcircò nihil (adumbratione etiam ipſa ſecluſa) reperiri poteſt, ad quod decentiùs, cum de expiatione peccatorum per Chriſti mortem peracta agitur, alludi poſſit, quàm ad illa ſacrificia. Quæ tamen, comparatione facta, longè, ut vidimus, ab ea ſuperantur, ac potiſſimùm in eo, quòd ſacrificia illa, quamvis divinis promiſſionibus roborata, non tamen propria vi aliqua, ſed Dei voluntate tantùm peccata expiabant: Chriſti autem mors divino Fœderi adjuncta, expiationem peccatorum noſtrorum, ut ſæpiùs oſtenſum eſt, ſua vi, quam ipſi nos agnoſcimus & ſentimus, aliosque docere poſſumus, ipſa peragit. Ex quo conſequitur, non ſolùm in expiationis effectu, de quo hactenus diſputatum eſt, ſed etiam in expiationis cognitione gignenda victimas illas antiquas à Chriſti morte multis partibus ſuperari. Cæterùm, quia, ut dictum fuit, Chriſti mors divino Fœderi confirmando fuit adhibita: legalia verò ſacrificia nulli Fœderi confirmando adjungebantur, ſed pars Fœderis ipſa erant; Propterea, præter jam enumeratas diſſimilitudines, hæc quoque inter Chriſti mortem & ſacrificia illa diſſimilitudo conſpicitur, quòd illis paractis ſtatim

reipsâ

reipsà expiatio, id eſt, peccatorum remiſſio conſequebatur: hanc verò tum demum reipsà peccatorum remiſſio conſequitur, ſi Fœderis conditiones ſerventur, id eſt, ſi vita corrigatur, atque à peccando ceſſetur.

REFUT. CAP. XXV.

Concluſio diſputationis de diſcrimine inter Chriſti ſacrificium & victimas legales, unà cum locorum aliquot explanatione de expiatione per Chriſtum factâ loquentium.

QUæ ſit cauſa repetitarum ſine fine victimarum, à quâ re denuo hoc caput exorditur Socinus, non ſemel nobis exponit Apoſtolus ad Hebræos; ea eſt *quia illis deeſt vis compenſatoria & expiatoria noſtrorum peccatorum*, unde eſt, quod virtute legalium ſacrificiorum, divinarum legum inſcriptio in cordibus fieri non poterat: in Chriſti autem ſacrificio cum ſufficientiſſimus valor ſit, quo mala merita peccatorum noſtrorum extinguuntur ejuſdem beneficio & pleniſſima remiſſio peccatorum nobis obtingit, & gratia regenerationis per Sp. S. quapropter etiam ceſſat omnis Chriſti oblatio atque unitate terminatur. Heb. 10. v. 10. 14. Hiſce & aliis quæ ibidem leguntur verbis citatis movet noſter quęſtionem de voculâ *quotidie*, ad quam conſuli poteſt cap 22. Prælection.

Productis pro perfectione unicæ oblationis Chriſti iis quæ eodem cap. habentur. com. 15. 16. 17.

16. 17. 18. difficultatem ſibi geminam movet. *Prior eſt quod non rectè videatur ab Apoſtolo concluſum eſſe, cum ait ex remiſſione peccatorum & iniquitatum ſequi, nullam amplius eſſe oblationem pro peccatis. Quid enim, ſi ut conſueverat, & oblatio fiat pro peccatis præteritis, unde eorundem peccatorum remiſſio conſequatur, vel aliâ quapiam ratione, præterita peccata & iniquitates remittantur, nonne peccatorum & iniquitatum erit remiſſio. Et tamen fieri poterit, ut pro futuris peccatis oblationes inſtituantur.* Hæc objectio non adverſus ipſam Apoſtoli doctrinam & concluſionẽ, ſed contra dogma ab adverſario procuſum & Apoſtolo affictum moveri poteſt. Non Apoſtoli ſed Socini dogma eſt priſcas illas victimas reatum præteritorum peccatorum ſuſtuliſſe, iniquitates etiam ſine victimâ expiatas eſſe.

Altera quam movet difficultas eſt, quod ſimiliter non rectè argumentatus Apoſtolus videatur, qui ex eo, quod nulla amplius oblatio ſit pro peccatis, inquit ſine dubio colligi vult, Chriſtum unicâ oblatione omnia peccata abſtuliſſe: ſic quidem fieri poteſt, ut quemadmodum locus iſte quem citat aperte demonſtrare videtur, non ex oblatione Chriſti, ſed ex Fœdere quod Deus per Chriſtum pepigit factum ſit, ut nulla ſit amplius oblatio pro peccatis nempe quia ut ipſius verba declarant, peccata omnia Fœderis vi remiſſa fuerint.

Apoſtolus ex eo, quod eſt peccatorum remiſſio, colligit nullam amplius pro peccato oblationem eſſe, quæ eſt apertiſſima in ipſis Apoſtoli verbis ratiocinatio, non ex eo quod nulla amplius oblatio pro peccatis, efficit Chri-

ſtum unicâ oblatione omnia peccata abſtuliſſe ſed ex eo colligit quod Chriſtus, unicâ oblatione omnia peccata abſtulit, ſive ut loquitur in perpetuum conſecravit qui ſanctificantur, gratiam inſcriptionis legum divinarum, & plenam remiſſionem nactus, quod Prophetico teſtimonio comprobauit. Id tametſi ex eâ, quæ apud Apoſtolum catenâ conſpicuum eſſe poteſt, nihilominus ſi quis hoc κρινόμενον ſtatuat, num Chriſtus unicâ oblatione omnia peccata abſtulerit, id efficaciſſimè effecerit eo argumento, quod nulla amplius oblatio ſit pro peccatis. Bonum enim hoc eximium remiſſionis peccatorum quod Fœdere continetur, nobis ex Fœdere contingit, cujus Chriſtus oblatione ſua auctor & fundamentum eſt: quod ergo ex Fœdere promanat ex oblatione Chriſti oritur. Valet ergo illatio ab eo quod nulla amplius oblatio, Chriſtum unicâ oblatione peccata abſtuliſſe. Porro ex iſto Apoſtoli tranſitu ab oblatione Chriſti ad gratiam Fœderis concludit quod inde nequaquam efficitur, non aliâ ratione Chriſti oblationem vim expiandi peccata habere, niſi quia Fœderi per ipſum ſancito confirmando adjuncta eſt, id nuſquam dixit Apoſtolus ad Hebr. quando de confirmatione Fœderis egit, id ſe agere ſatis manifeſtè indicavit Heb. 9. 16. 17. 18. rem ipſam quoque perpetuè morti Chriſti aſſignat, cum negat conſummationem eſſe per Leviticum ſacerdotium, opus fuiſſe ut alius ſacerdos exoriretur, victimas non potuiſſe in conſcientiâ ſanctificare cultorem, neque auferre peccata, id præſtare

ſtare Chriſti oblationem : Res ipſa ergo non teſtatio rei hîc intelligenda : ipſa rei veritas, non certa perſuaſio veritatis, cujus cum meminit diſertè indicat, ut latere non poſſit Heb. 10. 22. Heb. 11-1.

Oblationem Chriſti confirmantem peccatorum noſtrorum expiationem, quam omnem verè & propriè Fœdere illo contineri dicit, quo Deus ex bonitate ſuâ pollicitus eſt & pactus Chriſto obedientibus peccata condonare, & aſcenſione immortalitate, & ſupremâ Chriſti poteſtate, quâ ſibi obedientes vitâ æternâ donare poteſt, contineri. Credendum ergo cum res ipſa prior ſit confirmatione, remiſſionem peccatorum & eorundem ablationem, mortem ipſam Chriſti anteceſſiſſe, cui dogmati nuſquam non contradicitur. *Expiabit & remittetur* inquit *lex*. Tota hæc de ſacerdotio doctrina in epiſtola ad Heb. oblationẽ Chriſti omni modo remiſſione priorem facit. II. Chriſti aſcenſionem in cœlis, immortalitatis & ſupremæ poteſtatis collationem, ejus oblationem eſſe nemo Apoſtolorum prodidit. Immortalem fieri, ſupremam poteſtatem adipiſci, indicant Chriſto aliquid fieri. At offerre deſignat Chriſtûm aliquid facere, quemadmodum ex ipſis locutionibus evidens eſt. Prælectori interceſſio eſt oblatio, quid illa annon evidenter ab æternâ Chriſti vitâ diſtinguitur. *Iſte propterea quod in æternum manet perpetuum habet ſacerdotium, unde & ſervare perfectè poteſt eos, qui per ipſum accedunt ad Deum, ſemper vivẽs ut interpellet pro eis*. 3. Hoc gloſſema munus

Chriſti ſacerdotale, contra Scripturæ authoritatem, cum regiâ poteſtate Chriſti confundit. Ita hîc noſter & ejus ſectatores de ſacerdotali Chriſti munere loquuntur, ut nulla revera conſtitui poſſit inter ſacerdotalem & regiam Chriſti dignitatem diſtinctio. Catecheſis Racovienſis, ubi de munere Chriſti ſacerdotali. *Munus ſacerdotale in eo ſitum eſt, quod quemadmodum pro Regio munere poteſt, nobis in omnibus neceſſitatibus noſtris ſubvenire; ita pro munere ſacerdotali ſubvenire vult, ac porro ſubvenit. Atque hæc illius ſubveniendi, ſeu opis afferendæ ratio, ſacrificium ejus appellatur* Oſtorod. inſtit. cap. 37. Paragr. 10. *Per oblationem aut ſacrificium Chriſti ſcripturam aliud nihil intelligere, quam mirabilem Chriſti potentiam, quam ſui ipſius coram Deo apparitione in cælis exercet, per quã verè peccata noſtra removentur atq; abolentur.* Smal. initio cap. 33. de Chriſti ſacerdotio lib. de divinitate Chriſti. *Primûm igitur omniũ conſiderandum venit, per Jeſu Chriſti ſacerdotium aliud nihil ſignificari, quàm quod Chriſtus noſtri curam gerere velit & gerat. Et hoc tantùm à regno ejus differt, quod Chriſtus quatenus rex eſt, poteſt noſtri curam gerere: quatenus verò Pontifex gerere etiam vult & gerit.* ibid. *cum igitur, de Chriſto dicitur, eum pro nobis interpellare, aliud nihil dicitur, quàm eum potentiâ illâ ſuâ ſibi datâ noſtri curam gerere.* Catech. Raco. prædicto cap. de de ſacerdotio. *Cum ſcriptura teſtatur Chriſtum pro nobis interpellare, non propterea fit, ac ſi preces pro nobis ad Deum propriè fundat: hoc enim ſimul non conſiſtit, cum perfectâ ipſius poteſtate, quam*

Deus

Deus ei reipſâ conceſſit, & ob quam ipſe Rex noſter eſt: verùm eo fit ut in mentibus noſtris infigatur prorſus, poteſtatem omnem, quam Chriſtus habet, non ex ſeſe habere, verùm Dei Patris dono, & ita omnia opera facere, ac ſi ad ea efficienda virtutem precibus intervenientibus, ſubinde obtineret. Id verò Sp. S. propterea facit, ut prærogativa & eminentia Patris integra & inviolabilis perſiſtat. Socin. Prælect. cap. 28. *Quamvis enim Chriſtus poſtquam in cœlum aſcendit, ſupremam poteſtatem habeat, ſibi obedientes in perpetuum ſervandi: quia tamen illam à Deo accepit, quemadmodum ut Dei prærogativam ſemper præ oculis habeamus, ſacerdotali munere in cœlis fungi dicitur, ſic Deum pro nobis ut fidum & miſericordem ſacerdotem decet, precari atque orare dictus eſt.* Ex his omnibus nulla revera conficitur diſtinctio inter regium & ſacerdotale munus. Regium munus definitur quod poſſit nobis in omnibus neceſſitatibus ſubvenire, quod poſſit noſtri curam gerere: ſacerdotale quod velit curamque noſtri gerat, & poteſtatem omnem à Deo habeat. Chriſti regia dignitas non tantùm in ſe complectitur poteſtatem ſed & benignam voluntatem, & actualem iſtius poteſtatis uſum & exercitium, alioqui Chriſtus quà Rex, ſalvâ regia dignitate, poſſet nec velle regere nec actu adminiſtrare regnũ, & ſedere ad Dei dextram omni curâ regni, & gubernatione Eccleſiæ miſsâ. Amplitudini illius principatus, & paci nullus finis in ſolio Davidis & regno ejus. Boni paſtoris quà talis, non tantùm eſt poſſe, ſed & velle ſervare oves: At Chriſtus

quà paſtor Rex etiam eſt Eze. 34. 24. *Et ſervus meus David Rex erit ſuper ipſos, ac paſtor unicus erit omnibus ipſis.* Nemo Politicus rectum Principatum ſolâ potentiâ definit. Voluntatem bonam, curam regni omnes inculcant. Princeps debet eſſe Homericus ille **ποίμην λαῶν** *paſtor populorum.* Sen. de clementiâ *ſcias civium non ſervitutem tibi traditam, ſed tutelam.* Idem ibid. *omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Cicero. 5. de Repub. *Moderatori Reipub. civium vita propoſita eſt.* Saluſtius *maximo imperio, maximam curam ineſſe.* ſi hæc ſint terreni Principis, non poſſe tantùm, ſed & velle agere, quanto magis hæc perfectiſſimi & cœleſtis illius principatus ſummi Regis noſtri ſunt propria, quem Regem à regnando dixit Paulus 1. Cor. 15. 25. Miræ ſunt ſpeculationes Chriſtum ut Regem poſſe regere non tamen actu regere, poſſe non velle. Deinde *regiam poteſtatem ab alio accepiſſe, diſtinctum munus ab illâ poteſtate conſtituere non poteſt. Quis unquam* audivit collationem muneris, eſſe munus aliquod diſtinctum ab ipſo munere quod confertur. Chriſtus ut Rex non tantùm ſervat ſuos, ſed & punit hoſtes, ut ſacerdos verò tantùm expiat. At verò regia Chriſti poteſtas ſecundum hanc etiam partem, non immerito ſacerdotium dici poſſit, ex dato jam ab adverſariis fundamento, cum Chriſtus non minus poteſtatem acceperit puniendi hoſtes, quàm potentiam regiam ſervandi ſuos. Secundum

dùm hanc ſententiam omnes reges qui potentiâ & poteſtate regnandi àDeo fuerunt donati, ſacerdotes fuerunt, & hoc ipſo quod reges ex hominibus, pro hominibus conſtituti,ad offerendum dona& victimas,eo quod boni ſubditorum reges fuerunt, obtulerunt pro iisDeo & interceſſerunt. Hoc verò quàm craſſum ſit commentum nemo non videt, ita ut pluribus verbis aut rationibus exaggerare non ſit opus. Re totâ ſic ſe habente ut volunt adverſarij, omnem vim peccata expiandi, verò ac propriè ex peccato illo, quo obedientibus condonatio promiſſa eſt, proficiſci tum ipſa peccatorum condonatio,ſive vita æterna aut reſurrectio ad beatam immortalitatem veriſſima ac propriiſſima oblatio eſt,quâ peccata noſtra expiantur. Similiter præceptū fidei&obedientiæ oblatio erit,&Deus qui pepigit hocFœdusverè&propriè ſacerdos, quæ omnia explodendam metamorphoſin in ſacros Theologiæ articulos inducunt. Hæc affirmare eſſet ἑτεροδιδασκαλεῖν. diverſam doctrinam docere

Ad duplicem expiationem illam ſatis notam ſermone ſuo revolutus ſcribit. *Fœderi huic tribui, quod leges Dei in mente inſcribat.* Hic ſuccus Pelagianæ mentis eſt,gratiam regenerationis & converſionis cordium, ad ipſam externam doctrinam præceptorum & promiſſionis æternæ vitæ referre. Non de Fœdere ſed de Domino paciſcente Fœdus ſcriptum eſt,quod indat leges cordibus, quam verò hoc Pelagianum dogma ſanam Theologiam peſſundet, alibi examinavimus,qui cupidus cognoſcere,ex indice requirat.

Expendendum deinde ſibi ſumit inſigne illud dictum Baptiſtæ Joh. 1. 29. *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.* Tranſeant quæ de agno Dei habet, ſimiliter locus Act. 20. de quo in examine contra Wielium. Audiamus ſequentia. *Chriſtus inquit à peccando non retrahit, quia pro peccatis ſatisfacit (quid enim ejuſmodi peccatorum oblationi cum ſatisfactione iſtâ commune eſſe poteſt) ſed quia per ſpem æternæ vitæ, quam ij conſecuturi ſint, qui ipſius Chriſti præceptis obtemperaverint,* Dei & *proximi amorem in nobis gignit, eumque in cordibus noſtris perpetuò fovet: ſicà peccatorum pœna non ideo liberat, & ita peccata delet & aufert, quia pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciat, ſed quia poſtquam Dei & proximi amorem in nobis genuerit, poſtquam Dei legem in cordibus noſtris inſcripſerit, Deus peccata noſtra non imputat.* In his petitio quæſiti eſt, & ubi quæſo dixit ſcriptura, Chriſti oblationem per ſpem æternæ vitæ peccata noſtra expiare, aut ipſam inſcriptionem divinarum legum in cordibus peccatorum expiationem eſſe. Etiamſi in cœlo otioſus eſſet Chriſtus, nihilque ageret ad ultimum judicij diem offerret tamen & expiaret, leges cordibus inſcriberet, modo ſummâ poteſtate eſſet præditus, quâ ſibi obedientes vitâ æternâ donare poſſet, totum enim illud fieri poſſet per ſpem æternæ vitæ, ſummâ Chriſti poteſtate confirmatam. Poteſtatem Chriſti in cœlo ocioſam & quieſcentem cogita nihil tamen deſiderabitur eorum, quæ neceſſaria ſunt ad Dei & proximi amorem cordibus noſtri ingenerandum.

Pergit

Pergit. *Quamvis autem Johan. Cum Chriſto tribuit, quod peccata tollat, eum agnum nominaverit, & ſine dubio eâ in re ad expiatoria legis ſacrificia alluſerit, non crediderim tamen, eum in appellatione iſtâ ad immolationem tantum reſpexiſſe ſive ad Chriſtum, quatenus tantum immolatus fuit, ſed ad totum Chriſtum, qui ut mox dicetur, pluribus modis peccata tollit.* Cum Chriſtus agnus dicatur, qui peccata mundi tollit, eaque in re ad legis ſacrificia expiatoria reſpiciatur, oportet intelligere ad ſolam abolitionem peccati, quæ immolatione atq; oblatione peragitur reſpexiſſe, ſic enim abolebatur peccatum ſolummodo per expiatoria Legis ſacrificia. Scriptura quoque expreſsè nonnunquam meminit ablationis peccatorum noſtrorum per ſanguinem agni 1. Pet. 1. 18. 19. Apoc. C. 9. quapropter nihil convenientius, quam cum Chriſtus vocatur agnus, *qui tollit peccatum mundi,* in animo habere immolationem & ſacrificium, non alios auferendi peccati modos; præſertim cum ſacra Scr. perpetuo & unanimi conſenſu, peccatorum noſtrorum abolitionem morti & ſanguini aſſignet, idemque voluiſſe hæc verba exiſtimo, quod Eſa, cap. 53. nos docuit, & quod Petrus nobis teſtatum fecit, *Chriſtum peccata noſtra in corpore ſuo tuliſſe ſuper lignum.* Neque verè cum dico nihil magis ex ratione eſſe, quam hæc verba de ſolâ ablatione pecatorum per immolationem accipienda eſſe, nego nomine agni inſignes illas virtutes, puritatem innocentiam, manſuetudinem expreſſas, ſed plures præter immolationem modos auferendi

peccati, hoc locutionis genere, quod agnus tollit peccata mundi expreſſos eſſe. Iſtæ virtutes non conſtituunt novos & diverſos auferendi peccati modos, ab eo qui per mactationem agni eſt, ſed fuerunt conditiones & qualitates requiſitæ, in ſummo Sacerdote noſtro, & digniſſimâ ejus victimâ, quapropter ejus agnum immaculatum & incontaminatum dixit admirabilem ejus patientiam comparatione agni muti ad mactationem ducti expreſſit. Beſtia renitens, profugiens ab arâ, ſi percuſſa mugitus ederet in victimam non adhibebatur ex ritu Gentilium, quia triſte portentum habebatur, ingratam Diis victimam fore. Plures præter immolationem auferendi modos, indicatos à Baptiſta, eo fulcit argumento noſter, *quod in expiatoriis illis legis ſacrificiis, quæ nominatim pro peccato offerebantur, nullus agnus immolabatur. Ex quo apparet inquit, cum Baptiſta Chriſtum agnum appellavit, alterius etiam cujuſpiam rei, præterquam ſacrificii, rationem habuiſſe.* Per rem aliam non tantum intelligit virtutes jam nominatas, ſed alios peccatorum tollendorum modos, ut ex ejus, quæ ibid. leguntur verbis manifeſtum eſt. In expiatoriis ipſius legis ſacrificiis, agnus vel aries immolabatur, pro Aſcham quod delictum vel reatus verti ſolet. *Peccata* inquid Majemonides more Neuochim parte 3. cap. XLVI. *propter quæ offerebatur Aſcham hoc eſt ſacrificium pro reatu, inferiora fuerunt illis, propter quæ offerebatur Chatta (hoc eſt ſacrificium pro peccato)* agnus offerebatur in contaminationibus ex immunditiâ aliquâ cæremo-

remoniali Levit. 14. 12. Num. 6. 14. Levit. 12. 6. quæ contaminationes generali nomine peccati etiam comprehenduntur Num. 6. v. 11. *Et faciet ſacerdos unum pro peccato, & alterum in holocauſtum, expiabitque illum de eo quod peccavit ſuper cadavere, & ſanctificabit caput ſuũ die illâ.* Ex hoc ergo, quod agnus ex lege pro inferioribus delictis & contaminationibus tantum offerebatur, non efficitur Baptiſtam ad ſolam immolationem non reſpexiſſe, ſed ad alios etiam ablationis modos. Argumentum hoc vult ſimilitudinẽ in utroq; eſſe, ut agnus legalis auferebat, ita quoque agnum Dei abſtuliſſe: At agnuus legalis immolatione auferebat, ergo & agnus Dei. Argumentum hoc inverſum pro nobis concludit, agnus legalis, immolando tantum auferebat, itaque non niſi immolatione ſui agnus Dei aufert, neque Johannes alium ablationis modum in animo habere potuit, ex vi analogiæ & ſimilitudinis, inter agnum legalem & agnum Dei, de quo loquebatur. Ex hac ergo utriuſque agni convenientiâ, non alius ab immolatione modus naſcitur. Nam primò ex ſuppoſitione Prælectoris loquendo, quamvis agnus non expiarit, Johan. tamen Chriſto expiationem hic tribuit. Addo dato non conceſſo agnum ex lege non fuiſſe ſacrificium expiatorium, non efficietur tamen hoc argumento Baptiſtam innuere, aliter auferre agnum quam per immolationem expiatoriam. Deinde hinc efficietur potius agnum Dei ſimpliciter non auferre, quia agnus legalis non abſtulit. Nam aut agnus legalis expiando abſtulit. Si ergo ut

hoc

hoc argumentum adverſarii ſupponit, quod in agno legali eſt vel non eſt,tribuendum vel non tribuendum analogicè agno Dei,concludendũ erit ſimpliciter,agnũDei non auferre peccata. Si agnus legalis expiando non aufert, Ergo ut argumentum ab hoc agno factum rectè procedat,dicendum erit agnũ Dei non auferre,ſi expiando non aufert. Accedit etiam ſi agnus legalis, alio modo auferret,quam per immolationem , Prȩlectorẽ tamen ſi ſibi conſtare velit, hinc efficaciter concludere nõ poſſe,alios præter immolationem modos, hac locutione de agno Dei indicatos.DixitBaptiſtã *ad immolationem reſpexiſſe,& agnum non fuiße immolatũ pro peccato*.Apparet ergo ex ipſius ſententiâ in agnoDei eſſe,quod non reperiaturin agno legali: agnus Dei eſt expiatorium ſacrificium, quamvis agnus legalis non fuerit. Jam ergo,ſi expiet agnus Dei, quamvis non expiet agnus legalis , nihil prohiberet agnum legalem auferre peccata, alio modo quam expiando, & tamen id non facere agnum Dei. Hæ enim aſſertiones adverſarii ponunt actus utriuſque agni neceſſariò communes eſſe. Si ergo iſtis aſſertionibus ſtemus , argumentum ab actione unius, ad actionem alterius non valebit. Non efficitur ergo, Baptiſtam plures ablationis modos, inſigni ſuo dicto inſinuaſſe, Multos hic recenſet modos Socinus, quos ex cerebri ſui ſpeculationibus non ex Euangeliſtarum aut Apoſtolorum Prælectionibus depromſit. Apud hos cœlitus edoctos magiſtros non lego, promulgatione mandati reſipiſcentiæ & remiſſionis

peccato-

peccarorum, promiſſione æternæ vitæ pænitentibus factæ, patratione miraculorum, ſanctimoniç exemplo, redemiſſe nos, reconciliâſſe nos Deo, purgâſſe nos à peccatis noſtris, portâſſe iniquitates noſtras & ſimilia. Horum magiſtrorum diſcipulus audit, ad paſſiones ad vulnera, ad mortem & ſanguinem agni Dei hæc referri. Divina illa ad Hebr. Epiſtola, elevatis Levitici ſacerdotij viribus, ad nos conſummandos alexipharmacum contra peccati vim, non in doctrinâ, miraculis, exemplo vitæ monſtravit nobis, ſed in cruento ſacro Chriſti. Quod ſi Chriſtus doctrinâ, miraculis, vitæ innocentia inculpata fecit, quod immolatione ſui poſtmodum, non adeo opus fuit ſacerdotium novũ poſt Aaronicum; quæ tamen mens Apoſtoli ad Heb. 7.21. neque inutilitas ſanguinis pecudum melioris victimæ neceſſitatem fecit; doctrinâ, vitâ, miraculis, ros etiam feliciter geri potuit; & quod oblatione Chriſti quæritur, ante & extra eam oblationem etiam invenitur. Verba Socini hîc ſunt, *Tollit Chriſtus peccata, quia vitæ ſuæ innocentiſſimæ exemplo, omnes qui deſperatæ ſpei non fuerint, ad juſtitiæ & ſanctitatis ſtudium, peccatis relictis amplectendum facillimè adducit*; quod ergo per victimam Chriſti fit, id facillimè etiam ſine illâ fit, neque noſtra ſalus coccinato ſacerdote indiguit. Inter varios quos hîc recenſet tollendi peccati modos illud eſt, Chriſtum *primum ab orbe condito, omnium peccatorum veniam, quantumvis graviſſimorum, iis omnibus obtuliſſe, qui pænitentiam ex ipſius præſcripto egerint, idque perpetuo fœdere*

fœdere ſanxiſſe. At contra eſt quod à primordiis mundi, expoſita fuit venia peccatorum reſipiſcentibus, prælegentem audivimus Soc. cap. 17. ad locum Gen. 4. 7. *Nonne ſi bene egeris, &c. Quæ interrogatio oſtendit planè veriſimile eſſe, naturamque ipſam docere, Deum iis, qui ſceleribus relictis, purè atque innocenter vivunt, ea ſcelera liberaliter condonare. Atqui ejuſdem liberalitatis divinæ, ut ibidem rectè docet apertiſſima alia teſtimonia atque exempla in V. T. extant* & paulo poſt. Breviter *omnes Prophetæ ejuſmodi divinæ liberalitatis teſtimoniis abundant.* Annon hæc perpetua & conſtans Dei ab orbe condito poſt ingreſſum peccatum voluntas fuit, & populo Dei patefacta, in Deum credentibus expoſitam & paratam, fore Dei benignitatem, id rectè oſtendit 11. caput ad Hebr. Annon hæc vim perpetui Fœderis habent, *quum autem improbus converſus ab omnibus peccatis ſuis, quæ fecit, obſervabit omnia ſtatuta mea & exercebit jus & juſtitiam, omnino vivet, non morietur* Ezech. 18. 21, *non enim delector morte morientis, dictum Domini Jehovæ, avertite itaque vos & vivete*: hoc edictum æternum eſt, & veritatis immutabilis. Nunquam non vera reſipiſcentia ad ſalutem profuit. Confirmat id Socin. cap. im. lib. de ſervatore. *Duplicem ibi Dei miſericordiam conſtituit. Una eſt quâ reſipiſcentibus, ut ipſius promiſſa ferunt, omnia ſcelera condonat, & ſalutem vitamque largitur. Altera quâ planè homines prævenit, & peccatis ad huc immerſos, ad ſe vocat & allicit, & gratuitò ne cogitantibus quidem delictorum veniam*

niam & ſalutem offert. Illâ perpetuò utitur: hac verò tum demum cum ſibi libuerit. Pactum promiſſionis quod Deus cum Abrahamo pepigit, eſt pactum fidei ad juſtitiam. Sed ut redeamus ad id quod examinandum ſumſimus, Socinus amplius probaturus, non propter ſolam immolationem, aut ut hîc loquitur, non præcipuè propter ipſam immolationem, ſed propter peccatorum ablationem, agnum appellari, Petri teſtimonium adducit, 1. cap. 1. 19, quod nobis in hâc causâ non obſtat, mactationis meminit apertè voce ſanguinis: quod ſanguinem iſtũ conſideret, non ſub formali ratione ſacrificij & oblationis, ſed prætij redemtorij, exigui pariter aut nullius momenti eſt. Secundum rem pretium & ſacrificium idem ſunt: redemtio illa per pretium, eſt redemtio per ſacrificium. Subjicit auctor quoq; ad Heb. cap. 9. 13. 14. Chriſti ſanguinem, non cum ſanguine tantùm, qui in immolationibus illis antiquis fundebatur, comparat, ſed cum cinere quoque juvencæ, quo contaminati, aſpergebantur, non quidem propter aſperſionem ipſam, quæ utrobique ſit, ſed propter eundem expiandi effectum, quem utrinque manare certum eſt. At unde conſtat Socino ſanguinem Chriſti cum cinere juvencæ comparatum, non propter aſperſionem, ſed propter ſimilem tantùm expiationis effectùm, certè alibi ſcript. aſperſionis meminit. 1. Pet. 1. v. 2. Quemadmodum ſanguis Chriſti mundat conſcientias noſtras ſpiritualiter, ita quoque ejus ſpiritualis quędam eſt aſperſio ſuper conſcientias fide-

fidelium : hinc ergo non efficitur Chriſtum agnum dici qui tollit peccata mundi, propter ipſam tantùm peccatorum ,· ablationem , non ſimul connotato immolationis modo.

Ea quæ porro hoc cap. adferuntur , ad locum Apocal. 1. v. 5. 1. cor. 6. 11. & nonnulla alia quæ ibidem ſequuntur, ſilentio tranſmitto. Crambe recocta mors eſt, aliquid tantum monere viſum eſt de loco ad corinthios. Ait Paulum dicere , *aliquos ex ipſis aliquando peccatis addictos fuiſſe* , quæ interpretatio omnino videtur dicere,non omnes ex ipſis peccatis aut peccato aliquando addictos fuiſſe , qui ſenſus non accedit ſanis ſermonibus: particulæ quidem τὶς primaria&communior ſignificatio eſt,aliquis quiſpiam,at id non ſemper obtinet, gloſſarium Stephani teſtatur τὶς pro πᾶς ſeu πᾶς τις, cum aliquid eo imperantes utimur: verum & extra imperandi modum accipi pro ἅπας τις ſive ἕκατος τις apud Thucydidem lib. 6. pag. 201. ὥςτε χρὴ σκοπεῖν τινὰ αὐτὰ & lib. 7. pag. 259, οἵτε ἄλλοι πάντες ἔφερον ὅτι τίς ἐδύνατο quod quiſque poterat. Iſtam ſignificationem ratio ſubjecti in loco illo ad corinthios poſtulat , quare rectè D. Beza reddidit τινὲς pro unuſquiſque: nam nemo Chriſtianorum eſt,qui ante gratiam Chriſti peccato non fuerit mancipatus, nemo qui non ablutus & ſanctificatus ſit per gratiam Chriſti, quæ ablutio & ſanctificatio ſupponit ut manifeſtum eſt , eum qui ablutus & ſanctificatus eſt , peccato contaminatum fuiſſe. Nemo ut rectiſſimè hic Beza in quo ante regenerationis gratiam , non inſit omnium

quidam omnis

quiſque ut oportet hæc ſingula conſiderare omnes alij tulerunt quod quiſque poterat

omnium ſcelerum ſemen. Apoſtolus Paulus, omnibus & ſingulis dixit. 1. cor. 1. 2. Eccleſiæ Dei quæ eſt corinthi, ſanctificatis in Chriſto Jeſu, vocatis ſanctis. Quis corinthiorum idolorum cultibus ante vocationem ſanctam non addictus? certè Paulus iis in memoriam id revocat, cum ſcriberet 1. cor. 12. v. 2. *Scitis vos gentes fuiſſe, qui ad idola illa muta, prout rapi contigiſset abripiebamini.*

Dicit ſub finem cap. legalia ſacrificia nulli Fœderi confirmando adjungebantur, quod non eſt verum de omnibus legalibus ſacrificiis, vide Heb. 9. 19. & ſequentibus Sacrificiis quoque illis peractis, ut ibidem monet, reipsâ quidem expiatio quædam conſequebatur ab impuritate cæremoniali, at ut re & verè puri eſſent Deoque accepti vitæ in melius commutatio & morum integritas requirebatur ſicut ex multis Prophetarum locis videre eſt.

CAP. XXVI.

Quid ex eo ipſo, quod Chriſti corporis ſacrificium in victimis legalibus adumbratum fuerit, de eodem ſacrificio in abolendis peccatis noſtris ſtatui atque affirmari poſſit.

VIſum eſt ſupra abunde ſatis, de collatione ſacrificii corporis Chriſti cum victimis illis antiquis, quid ſcilicet per collationem iſtam de Chriſti ſacrificio in peccatis noſtris delendis jure conſtitui poſſit: Nunc idem de ipſa ejus ſacrificii in victimis illis adumbratione

videndum eſt. Tametſi enim, quid ex ea adumbratione colligendum videatur, ſatis ex illis quæ diſputata ſunt intelligi queat, operæ pretium tamen erit, ea de re accuratiùs ac dilucidius aliquid diſſerere. Principiò illud repetendum eſt, quod antea dictum exemplisq; planum factum fuit, eam eſſe rei adumbrantis & adumbratæ proportionem quæ (ut ipſa nomina præ ſe ferunt) eſt umbræ ad corpus cujus eſt umbra; & idcircò oportere, ut ea quæ in delendis peccatis noſtris Chriſti ſacrificium peregit, multò præſtantiora ſunt iis, quæ victimæ illæ legales peregerunt. Cùm igitur per victimas illas ignorantiæ & incogitantiæ ac leviores quædam fragilitates expiarentur, & labes quædam corporis, eæque imaginariæ potiùs quàm veræ, mundarentur, neceſſe eſt, ut quæ per Chriſti fuſum ſanguinem & oblationem expiata & mundata ſunt, longè iſtis antecedant. Itaque nihil aliud hæc eſſe dicemus, quàm mentis perverſitates, & ſcelera ac voluntaria peccata, animique veras maculas; adeò, ut his expiandis ac mundandis propriè Chriſti mors adhibita fuiſſe videatur, non autem illis quæ per victimas illas expiabantur: non de corporis maculis illis tantùm loquor, eas enim poſt Chriſtum ne maculas quidem eſſe conſtat; ſed de ignorantiis, incogitantiis, & levioribus fragilitatibus idem dico: id quod ita ſe habere facilè demonſtrari poteſt. Sæpiùs dictum eſt anteà & probatum, per Chriſti mortem duplicem peccatorum expiationem nobis contingere: unam, quòd à peccando ceſſamus: alteram,

alteram, quòd à pœna peccatis noſtris debita liberamur; etiamſi hæc poſterior tantum olim ex victimis legalibus manaret. Quod igitur attinet ad priorem expiationem, nulli dubium eſſe poteſt, quin per Chriſti ſacrificium non perinde leviora illa peccata, ut graviora expientur: Siquidem certum eſt, eum qui particeps ſit ſacrificii Jeſu Chriſti à gravioribus peccatis omninò abſtinere, ita videlicet, ut neque ullius pravitatis ne mediocrem quidem ſive imperfectum habitum habeat, nec ſcelus aliquod inſigne ſciens prudens perpetret: à levioribus autem non item, cùm fieri poſſit, ut ejuſmodi homo leviori cuipiam fragilitati aliqua ex parte adhuc ſit obnoxius, & per ignorantiam, aut incogitantiam, in gravius aliquod crimen atque adeò ſcelus incurrat. Hæc autem vel ex eo ſolo manifeſta fieri poſſunt, quòd quicunq; non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum ambulaverit, Chriſtianus meritò dici poterit, nec quiſquam Chriſtianus eſſe poteſt, qui non ſecundùm Spiritum, ſed ſecundùm carnem ambulat, quemadmodum ex iis apertè docemur, quæ diſputat Paulus cap. 8. Ad Rom. ab ipſo initio uſque ad. v. 14. ubi tandem ad hunc modum concludit. verſ. 12. 13. *Ergò fratres, debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus: ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Nam quis negare audeat, eum ſecundùm Spiritum, non autem ſecundùm carnem ambulare, in quo Spiritus carne multò potentior eſſe deprehendatur, &

in quo reverà Spiritus regnet, caro verò obtemperet, licèt eveniat interdum, ut is præ carnis imbecillitate labatur. Quod enim à Johanne ſcriptum eſt, eum qui natus eſt ex Deo non peccare, nec peccare poſſe, non ita accipiendum eſt, quaſi Chriſtianus homo nunquam aliquid peccet, ſed eſt intelligendum, hominem Chriſtianum ut plurimum non peccare: id quod tribus rationibus confirmo.

1. Ioan. 3. 9. & 5. 18.

1. *Prima* eſt, quia ex majore parte res omnes appellantur, hominumque æſtimantur actiones: hinc fit, exempli cauſâ, ut eum ſobrium, atque in cibo & potu temperantem eſſe dicamus, (quod idem eſt, quod non helluari, non inebriari,) qui ut plurimum, ab omni ingluvie atque ebrietate abſtinet, licèt fieri poſſit, ut aliquando contra perpetuum morem atque inſtitutum ſuum, in cibo potuvé capiendo modum excedat, & ebrius etiam fiat, atque ita helluetur & inebrietur. Liberalem ſimiliter eum appellamus, ſeu liberaliter ſua bona erogare, qui utplurimum modo & ratione adhibita, dat & largitur de ſuo, etiamſi interdum contingat, ut quàpiam in re minùs liberalis ſit, aut ibi ubi opus erat de ſuo largiri, prætermittat. Quocirca, is etiam meritò non peccare dicitur, qui utplurimum ab omni peccato abſtinet, quamvis nonnunquam eum peccare contingat.

Altera ratio eſt, quia ipſæ Sacræ literæ, ſi quis animadvertat, non ſolùm aliis verbis, ſed hoc ipſo Peccandi verbo ſic uti ſolent, ut non id quod aliquando, ſed quod ſæpiùs fiat, plerunque

runque intelligant: exempla & in novo & in vetere Teſtamento diligenter inſpicienti paſſim ſunt obvia. Illud certiſſimum eſt, eo verbo ſimpliciter atque indefinitè prolato ſæpiſſimè non unum aliquem lapſum, vel peccandi actum, ſed gravius aliquod ſcelus, quod ſcilicet hominem aliis non levibus peccatis obnoxium arguat, aut certè minimè Dei timore vero pręditum eſſe oſtendat, ſignificari, vel plures peccandi actus declarari. Exempla in vetere Teſtamento, præſertim verò apud Prophetas, adeò frequentia ſunt, ut aliqua in medium attuliſſe planè ſupervacaneum futurum ſit: in novo autem hi loci conſulantur, Luc. 15. 18. Joh. 9. 2. 3. Rom. 6. 15. 2. Cor. 12. 21. & 13. 2. Heb. 3. 17. ut alios multos omittam, qui tametſi ejuſdem omninò generis ſunt, tamen eorum vera ſententia non ita omnibus patet, & compluribus fortaſſe dubij videri poſſunt.

Tertia ratio, cur in illis Johannis verbis Peccandi verbum non ad unum aliquem peccandi actum, ſed omninò ad plures referri debeat, eſt, quòd manifeſtè Apoſtolus ibidem id quod *peccare* vocat, *peccatum etiam facere* nominat, ut apparet, ſi quis legat Ep. 1. cap. 3. a. v. 6, uſque ad v. 10. Atqui *peccatum facere*, non poteſt ſignificare aliquod peccatum committere, ſed neceſſe eſt, ut ſæpiùs peccare ſignificet. Patet hoc ex oppoſito ibidem loquendi modo *Juſtitiam facere*. Neque enim juſtitiam facere is dicendus eſt, qui aliquod juſtum opus faciat ſed cujus utplurimū juſta ſunt facta: alioqui, ſi

quis juſtum aliquod opus faceret, is continuò juſtus appellari poſſit, quod tamen manifeſtè
v. 7. falſum eſt. Dicitur enim ibi, eum qui juſtitiam faciat, juſtum eſſe. Quemadmodum igitur *juſtitiam facere*, nihil aliud ſignificat, quàm juſtitiæ operibus reipsà addictum eſſe: ſic etiam *peccatum facere*, & porrò *peccare*, quod, ut diximus, apud Johannem idem eſt, nihil aliud ſignificare poteſt, quàm peccatis reipsà eſſe addictum, & ſic frequenter peccare, ſive in aliquo peccati genere hærere, eoque implicitum eſſe. Et ſanè non leviter deteſtanda videtur Novatianorum ſeu Catharorum ſententia, qui ex illis Johannis verbis, & paucis aliis quibuſdam apud alios novi Fœderis ſcriptores oſcitanter lectis, aut certè non admodùm diligenter perpenſis, eum Chriſtianum eſſe negárunt, qui undique perfectus non eſſet, quivé adverſus Chriſti præcepta vel minimum delictum admitteret. Etenim ſententia iſta homines verè piòs atque ex animo Deum Chriſtumque colentes indigniſſimè à Chriſti regno & conſortio excludit, & plurimos vel ad deſperationem adducit, vel, peccatis licèt onuſtos, de perfectione ſeſe jactantes efficit; quippe qui, ut ſibi ipſis id quod maximè cupiunt perſuadere poſſint, ſe ſcilicet perfectos eſſe, (quando ſine perfectione nemini ſalutem per Chriſtum contingere poſſe conſtituunt) ea pro peccatis non agnoſcunt, quæ peccata ſunt, & quidem gravia; imò vitia nonnunquam virtutes eſſe interpretantur, ſibique miſeri in mediis peccatis egregiè blandiuntur, quemad-

modum

modum experientia ſæpiùs nos docuit. At verò non minùs, imò certè magis culpandi ſunt, qui, univerſo novo Teſtamento reclamante, eos Chriſtianos eſſe ſtatuunt, qui ſtudio Chriſti præceptis obtemperandi ſint præditi, licèt reverâ non obtemperent, imò adhuc carnales ſint, & venundati ſub peccatum, neque id faciunt bonum quod volunt, ſed malum quod nolunt, qui denique ejuſmodi ſint, qualem ſeipſum videtur deſcribere Paulus ad Rom. cap. 7. Neque enim inter cætera animadverterunt, ex ipſomet Pauli loco ſatis intelligi poſſe, Apoſtolum ſub perſona ſua non de ſeipſo tanquam Chriſti Spiritu prædito atque renato, ſed de eo homine, qui Dei gratiâ deſtitutus, ab ipſa lege totus pendeat, omninò loqui; ut rationes atque teſtimonia omittam aliunde, præſertim verò ex ejuſdem Apoſtoli ſcriptis, atq; adeo, idque potiſſimùm, ex eâdem epiſtolâ ad Rom. petita, quibus evincitur, fieri non poſſe, ut Paulus eo loco ſive de ſeipſo ſive de quovis alio renato per Chriſti Spiritum homine loquatur. Qua tota de re à nobis, in peculiari noſtra de interpretatione univerſi illius loci diſputatione, copiosè diſputatum atque explicatum eſt. Ubi interim oſtendimus, iſtorum ſententiam apprimè pernitioſam eſſe, omniq; conatu è mentibus noſtris evelli atque extirpari debere. Quin etiam ibidem non iſtos tantùm, ſed eos etiam errare docuimus, qui perfectionem illam, quam Cathari neceſſariam eſſe dixerunt, nullo prorſus modo in hoc mundo ulli hominum contingere poſſe conſtan-

 tiſſimè

tiſſimè aſſeverant, hoc eſt, negant fieri poſſe, ut quiſquam eò unquam perveniat in hac vita, ut nullum ampliùs peccatum admittat. Idque ea potiſſimùm ratione freti affirmavimus, quòd, ſi perfectio iſta nullo prorſus pacto donec hîc vivimus nobis contingere poteſt, neceſſariò ſequitur, neminem ex nobis conari debere, aut) ſi ita perſuaſum habuerit) conaturum eſſe, ut perfectus ſit, quod tamen fieri debere omnes uno ore confitentur. Quis enim id conetur, quod ſe facere poſſe planè deſperet? Ex quo conſequitur, peccata plurima, quæ à nobis committentur, non ab imbecillitate carnis noſtræ, ſed aſpontane à quâdam noſtra negligentia profectura eſſe. Ejuſmodi autem peccata Deum ignoſcere, ita ut pro Chriſti fratre ac membro agnoſcat eum qui ea commiſerit, ab ipſiſque per totam vitam nunquam abſtinuerit, nemo (arbitror) ſanæ mentis dixerit. Jam verò ex iis quæ dicta ſunt ſatis intelligi poteſt, qualis, quod ad vitæ ſanctimoniam Chriſtique præceptorum obedientiam, attinet is eſſe debeat, qui Chriſtianus meritò appellari poſſit; nempe talis, qui nullo graviore peccati genere implicitus ſit. Namque, ut anteà dictum eſt, id vel ex eo patet, quòd, Paulo teſte, oportet iſtum non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum ambulare. Quis enim ſecundùm Spiritum eum ambulare dicat, qui graviore aliquo peccati genere ſit implicitus, nedum ejuſmodi peccata ex corde ſuo eradicaverit? Atqui legantur quæ ſcribit Paulus ad Gal. cap. 5. a v. 18. ad finem uſq; capitis, &

quàm

quàm neceſſe ſit, ut qui ſecundùm Spiritum vivat, omnium ſcelerum radices ex animo ſuo extirpaverit, manifeſtò deprehendetur. Certũ igitur (ut jam tandẽ ad propoſitũ revertamur) eſſe poteſt, Chriſti ſacrificiũ, non perinde priore illo expiandi genere incogitantias & ipſas leviores fragilitates expiare, ut graviora peccata & ſcelera expiat, cùm videamus Chriſtianum hominẽ, & ſic Chriſti ſacrificii, participẽ, adhuc errare & labi poſſe, graviore autem aliquo peccato implicitũ eſſe non poſſe. Nunc de altero expiationis genere videndum eſt, atque oſtendendum, non ita propriè Chriſti ſacrificium nos à leviorum peccatorum, de quibus dictum eſt, pœna liberare, quemadmodum à graviorum. Nam, cum leviorem illorum delictorum plenam veniam conſequendi modus & ratio in ipſa Moſis lege propoſita populo in perpetuum fuiſſet, non ipſorum, ſed graviorum, quibus in lege nulla venia dabatur, Chriſtum propriè veniam attuliſſe, eaque ratione ſacrificio ſuiipſius interveniente illa expiâſſe jure optimo dicere poſſumus. Hinc Paulus Act. 13. 38. Judæis Antiochenſibus Piſidianis ea verba dixit: *Notum igitur ſit vobis, viri fratres, quia per hunc [Jeſum] vobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari, in hoc omnis qui credit juſtificatur.* Hîc ſatis apertè explicat Apoſtolus, quodnàm proprium Chriſti munus ſit in peccatis expiandis, id eſt, ipſorum reatu tollendo: nimirum ab iis peccatis expiare quibus in lege expiatio non

concedebatur, & quæ adhuc ſub vetere Fœdere erant, unde Fœdus per quod expiata fuerunt meritò Novum appellatum fuit, quod ex iis ſatis intelligi poteſt quæ ſcripta ſunt Heb. 9. 15. idque prædictum à Hierem. fuerat, cap. 31. ad finem. Sed dicet aliquis, Nunquid ante Chriſti adventum graviora peccata non expiabantur? Expiabantur quidem, idque non rarò. Verùm non ratione aliqua in ipſa lege ipſoque antiquo Fœdere omnibus in perpetuum pro poſita, ſed Dei gratiâ ac benignitate, cujus identidem populus admonebatur, & cujus complura manifeſta argumenta atque ſpecimina ab ipſo orbe condito unuſquiſque animadvertiſſe poterat. Quâ de re non nihil à nobis explicatiùs dictum eſt, cum oſtendimus Deum in ſalute quam nobis Chriſtus peperit, peccata noſtra, nulla vera pro ipſis à quoquam ſatisfactione accepta, nobis ignoſcere voluiſſe. At verò per Chriſtum univerſali ac perpetuò Fœdere, omnibns pœnitentiam ex ipſius Chriſti præſcripto agentibus, quorumcunque delictorum etiam graviſſimorum veniam obtulit, & daturum ſe verbo ſuo aliiſque prætereà modis apertè confirmavit. *Habuit igitur*, ut inquit Apoſtolus ad Heb. 10. 1. *Lex umbram futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum.* Nam, quid erat (obſecro) à levioribus illis delictis per pecudum immolationem expiari poſſe, ſi graviorum interim pœnas dare ex legis præſcripto neceſſe erat? Annon hæc umbra tantùm fuit illius verè divinæ benignitatis imaginis, quam

in

in Chriſto conſpeximus, per quem, ejus morte & oblatione ſuiipſius Deo facta interveniente, ab omnium ſcelerum pœna, hoc eſt, ab ipſa morte in perpetuum vindicamur? Nec verò objiciat quiſpiam, ſub vetere Teſtamento iis qui recens ad Dei populum aggregabantur, quique circumcidebantur, quæcunque gravia antecedentia ſcelera (ut quidem veriſimile eſt, & nos facilè concedimus) condonata fuiſſe, non minùs quàm ſub novo Teſtamento iis qui recens Chriſto nomen dabant, eaque ratione ad ejus eccleſiam aggregabantur. Nam in eo adhuc ingens inter utrumque Fœdus differentia eſt, quòd qui ſub priore naſcebantur, ſi grave aliquod delictum admiſiſſent, ſtatim puniebantur, nec ad pœnam evitandam aliquid (quod ad ipſum Fœdus & Legem attinet) pœnitentia prodeſſet. Sed qui ſub poſteriore naſcuntur, id eſt, ab ipſis incunabulis Chriſtum tanquam Servatorem ſuum in ore habent, in quæcunque licèt graviſſima delicta inciderint; ſi pœnitentiam agant; ab omnium reatu liberantur. Adde, quòd in adultis Chriſti nomen poſtquàm adoleverunt primùm profitentibus, & pœnitentiam agentibus, non omninò ex ipſo novo Fœdere ſecundæ pœnitentiæ locus negatur, & per eam in Dei gratiam receptio ac peccatorum condonatio, quæ in adultis ad Judaiſmum converſis nullum locum ex ipſo antiquo Fœdere inveniebat. Ut autem apertiùs conſtet, ſub Chriſto ſecundæ pœnitentiæ locum eſſe, aliquid nobis dicendum eſt de duobus locis inſignibus epiſtolę ad

Hebræos

Hebræos cap. 6. 4. 5. 6. &c. & cap. 10. 26. 27. &c. Ex quibus locis non ſecunda modò pœnitentia ſub Chriſto excludi videtur, ſed vel unius tantùm peccati poſt agnitam veritatem admiſſi condonatio. Quod igitur ad priorem locum attinet, ibi dicitur, Impoſſibile eſſe, ut qui Spiritus ſancti participes fuerint facti, ſi prolapſi fuerint, iterum renoventur per pœnitentiam. Hîc primùm animadvertendum eſt, *Prolapſum eſſe*, non ſignificare aliquod delictum admiſiſſe, ſed à recta via defeciſſe; & ad priſtinam vitæ rationem reverſum fuiſſe, id eſt, peccatis ſe denuò implicuiſſe, & tanquam terram inutilem ſpinas & tribulos proferre, ut patet ex iis quæ poſteà dicuntur v. 8. Deinde conſiderandum eſt impoſſibile hîc illud dici, quod admodùm difficile eſt, & apud homines eſt impoſſibile, non autem apud Deum, quâ ratione ſimiliter Chriſto ipſo teſte dici poteſt, divitem non poſſe ſervari. Matth. 19. 26. Idque ex ipſis Apoſtoli verbis patet, quæ proximè antecedunt.
Hebr. 6. 3. *Et hoc faciemus ſiquidem permiſerit Deus.* Nam cum anteà meminiſſet Apoſtolus v. 1. 2. non eſſe denuò jaciendum fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, ſubjungit poſteà, quamvis maximè id facere quis velit, ut ſcilicet fundamentum denuò jaceret &c, non tamen id in noſtra poteſtate eſſe, & proptereà rationem ſui dicti reddens, addit v. 4. *Impoſſibile eſt enim* &c. Ex quo apparet iſtam (ut ita dicam) impoſſibilitatem, non ſimpliciter, ut ajunt, ſed ſecundùm quid intelligendam eſſe.

Porrò,

Porrò, quod attinet ad poſteriorem locum, ſciendum eſt, pro eo quod in Latino codice eſt *voluntariè*, in Græco eſſe ἑκουσίως, quod ſpontaneam voluntatem ſignificat. Verbum autem *peccantibus*, non de iis qui aliquod delictum admittunt, intelligendum eſt, ſed de iis qui peccato ſe mancipant: hæc enim, ut ante diximus, vis verbi Peccandi in ſacris literis eſſe ſolet. Loquitur igitur ibi Apoſtolus de iis, qui ſuâ ſponte veritatis agnitione deſerta, Chriſtique eccleſiâ valedictâ, peccatis ſe totos addicunt, quemadmodum ex antecedentibus & conſequentibus verbis patet, atque pro iſtis expiationem pro peccatis ſupereſſe negat. Sed nos de iis loquimur, qui tantùm nova vitæ emendatione indigent. Heb. 16.26. 27. &c.

Refut. Cap. XXVI.

Quid ex eo ipſo, quod Chriſti corporis ſacrificium in victimis Legalibus adumbratum fuerit, de eodem ſacrificio in abolendis peccatis noſtris ſtatui atque affirmari poſſit.

HOc capite duo imprimis agit Prælector. Primo occupatur in deſcriptione ſtatus regenitorum, quis qualis ille ſit, & quouſque in obedientiâ legis & mandatorum Dei progrediatur. Secundò tractat, qualis & quanta ſit gratia remiſſionis peccatorum ſub N. Fœdere, ſimulque de Dei erga relapſos gratiâ cum ejuſdem gratiæ diſpenſatione ſub V. Fœdere comparata: hæc quamquam alterius potius loci,

loci, & non ad ipſam mortem Chriſti propriè pertineant, utpote non ipsâ morte peracta, ſed beneficia ſint ex morte promanantia, quibus id quod morte peractum eſt Chriſti membris applicatur, hoc tamen iter pergemus, veſtigia prælegentis ſequentes. Miſſam facio *ἀκρόασιν* (auditionem) illam adumbrantis & adumbrati, peccatorum per victimas expiatorum, alias.

Primò occurrit nulli dubium eſſe poſſe, *quin per Chriſti ſacrificium non perinde leviora illa peccata, ut graviora expientur*. In Acroamaticâ ſacræ Scr. diſciplinâ ſic non prælegitur, ibi incognita diſtinctio hæc expiationis peccatorum; nullo facto diſcrimine pronuntiatur Chriſtum æternam redemtionem nactum eſſe; nos eſſe ſanctificatos unicâ oblatione atque unâ in perpetuum victimâ conſecratos; ſcripturæ ergo de ipsâ Chriſti morte loquentes diſtinguere non ſolent, cum de regeneratione noſtrâ & de vivificatione novi hominis loquuntur talem nobis deſcribunt, quæ non ipſum peccatum prorſus tollat, ſed peccati dominatum & vires frangat, quo fit ut omni ſtudio & conatu peccatum quodvis evitent, ita tamen ut nonnunquam per gravem aliquam ebullientis carnis tentationem, obnubilato rectæ mentis judicio, & illuſtratæ conſcientiæ dictamine, in grave etiam peccatum incurrant, ut conſcientia de ſtatione tranquillitatis ſuæ deturbetur, ſicut hoc triſtiſſimi ſanctorum lapſus comprobarunt, ita tamen ut poſt exorbitationem in viam redeant. Hanc verò Chriſtianæ ſanctimoniæ & novæ vitæ gratiam, ne mediocrem quidem

quidem ſive imperſectum ullius pravitatis habitum ferre ut hic affirmat Socinus ſine diſtinctione non eſt admittendum. Si intelligatur hominem habitum vitioſum habere ita ut aut foveat, aut ei voluntario conſenſu indulgeat, ſtudiumque & conatus ei deſit habitum illum mortificandi, idque non in actu aliquo ſed continuato curſu, ille ſane in novum hominem nondum renovatus. *In iis qui ſub gratiâ ſunt peccatum non dominatur* Rom. 6. 14. *Qui Chriſti ſunt carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentiis*. Hoc verò dictum adverſarii ſi ita accipiamus, ut intelligat nullum vitioſum habitum fractum & imminutum renato inhærere, verè renatos à Chriſti communione excluderet, Regenerati peccatum mortificârunt & de peccato mortificando cogitare debent juxta illud *mortificate membra veſtra terreſtria* col. 3. com. 5. quo non ut Chriſtiani fiant coloſſenſibus mandatur, ſed Chriſtianis jam factis faciendum aliquid imponitur. Pró vero Chriſtiſtiano & novo homine agnoſci poſſe eum, in quo inhærens peccati habitus fractus tantùm & imminutus non prorſus extirpatus eſt, docuit Proſper Dyſid. in 7. caput ad Rom. *Primus id eſt infimus inquit renatorum gradus eſt eorum qui cognitione ac ſpe divinorum in Chriſto promiſſionum mentem reformatam habentes, ex quo etiam Renatorum ſeu Regeneratorum nomen illis Scripturâ ipsâ teſte rectè poteſt accommodari, ſic ſeipſos ad præceptorum Chriſti normam conformant, ut jure optimo dici poſſint, non ſecundum carnem ſed ſecundum ſpiritum ambulare, quamvis*

tanquam

tanquam ij, qui nondum Chriſtianarum virtutum habitus ſunt adepti, non parum difficultatis adhuc atque laboris in bene agendo experiantur, carne nimirum nondum bene domitâ, & idcirco Spiritui identidem repugnante. Hanc carnis ſpiritui reluctantis vim, cum non quidam tantùm, ſed omnes renati, quamvis renatorum gradus conſtitui poſſint, ſecundum majores aut minores quos fecerunt progreſſus, in ſe experiantur, merito dicendum eſt, non leviori alicui fragilitati aliquâ ex parte obnoxios eſſe, quaſi leve ſit quod reſtet, ſed peccati ipſius vi, quamquam per ſpiritum regenerationis multùm enervatâ ex parte adhuc obnoxios eſſe, quæ peccati vis non nomine levioris alicujus fragilitatis, à Paulo inſignitur, ſed *concupiſcentiæ & peccati nomine* Jacob. 1. 14. *carnis adverſus Spiritum concupiſcentis* Gal. 5. 17. Huic malo quo obnoxii tenentur renati accommodat Paulus nomen *terreſtrium membrorum quæ mortificanda ſunt.* Col. 3. 5.

His ita animadverſis tranſmitto ea quæ à Socino adferuntur ad deſcriptionẽ ſtatus hominum regenitorum, quæ talia ſunt ut rectè intellecta probari poſſint. Non immeritò carbone notat Novationorum ſententiam, qui Chriſtianum negaverunt eſſe, qui non eſſet
ſine peccato omnibus numeris perfectus & ἀναμάρτητος. Fuerunt inquit D. Calvinus lib. 4. inſtitut. cap. 1. ſect. 13. *ſemper qui falsâ abſolutæ ſanctimoniæ perſuaſione imbuti, tanquam aerii quidam dæmones jam facti eſſent, omnium hominum conſortium aſpernarentur, in quibus humanum adhuc aliquid*

ſubeſſe

d by Google

ſubeſſe cernerent. Tales olim erant cathari & qui ad eorum veſaniam accedebant donatiſtæ. Tales hodie ſunt ex Anabaptiſtis nonnulli, qui ſupra alios videri volunt profeciſſe. Graviori cenſura perſtringit eos, qui Chriſtianos eſſe ſtatuunt, qui ſtudio Chriſti præceptis obtemperandi ſunt præditi, licet revera non obtemperent, imò adhuc carnales ſint, & venundati ſub peccatum, neque id faciunt bonum quod volunt, ſed malum quod nolunt; qui denique ejuſmodi ſunt, *qualem ſeipſum videtur deſcribere* Paulus ad Rom 7. In quâ iniquâ cenſurâ à Sycophantia ſibi non temperavit. Nam qui poſteriora illa. 7. cap. ad Rom. de homine regenito & ſub gratiâ conſtituto exponunt, ſanctimoniam hominis Chriſtiani non ſolo ſtudio ſed ipſo etiam actu & opere definiunt, quamvis ex iſto loco Pauli, pro imperfectione hominum regenitorum in hac vitâ pertendant. Queritur Apoſtolus ſe non poſſe eâ quâ decet perfectione & bonum facere & malum vetitum omittere, & non tantum eſſe perfectionem operis quantam quidem bona ſanctorum voluntas in votis habet. Rectè cyprianus in lib. de opere & Eleemoſynâ, *ſine conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus.* Idem in expoſitione orationis dominicæ 9. *opus eſt nobis quotidianâ ſanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta noſtra ſanctificatione aſſiduâ repurgemus* Macar. Homil. 16. *Nobis vitium adjacet, eo quod habitet in corde, ubi vim ſuam exercet, ſuggerens improbas & obſcœnas cogitationes, non ſinens puras preces effundere, ſed captivam ducens mentē per hoc ſeculum.*

Auguſt. contra Julianum l. 2. *intra nosmetipſos propriјs vitiјs impugnamur.* Sed ut ad noſtrum propoſitum revertamur, non pauci eruditi viri demonſtrârunt, Apoſtolum Paulum tam gravem querelam de ſe regenito inſtituiſſe ad communem ſanctorum ſortem in hac vitâ exprimendam, & argumenta in contrarium confutârunt. Fruſtra verò putat ſic cenſor argumenta pro contrario ſubminiſtrari ex teſtimoniis cum aliunde petitis, tum ex ejuſdem Apoſtoli ſcriptis atq; adeo ex eâdē ad Rom. Epiſtolâ, nam cū ex iis omnibus confici non poſſit ſimplex & abſoluta perfectio earum rerum quæ regeneratis tribuuntur, nihil etiam ex iis effici poteſt adverſus eam ſententiam, quæ de regenito hunc locum intelligit. Pro ſententiâ, quod hîc homo regenitus, ſolet afferri, quicquid boni in textu Apoſtoli de illo prædicatur; pro ſententia oppoſita omne malum quod de eodem prædicatur. Jam verò poſterius argumenti genus non æquè concludit hunc hominem irregenitum eſſe, quemadmodum prius argumenti genus regenitum eſſe, Regenitus quia non eſt perfectè renovatus, habet ſibi adjacens de vitio peccati, eſt ex utroque mixtus, non mirum igitur utrumque de eo prædicari: at irregenitus non conſtat ex utroque in eo nihil verò bonum reperitur. Mortuus in peccatis, non eſt per Spiritus gratiam vivificatus, at mortuus peccato, & Spiritu vivificatus de vetere homine adhuc in ſe habet. Multum ergo diſſimilitudinis eſt in hoc argumenti genere. Hic homo cum regno peccati ſanctam exercet

ercet hoſtilitatem; non indulget peccato, deplorat & invitus perpetrat peccatum; non fit hîc mentio ceſſionis ſpontaneæ aut ceſſationis à pugnâ; non ſiſtit membra ſuâ arma injuſtitiæ peccato, ut de irregenitis dixit Apoſt. ad Rom. 6. com. 13.

Ait *de eo agi homine, qui Dei gratiâ deſtitutus, ab ipsâ lege totus pendeat ac propterea à dominio peccati libereſſe non poſſit, etſi hoc unice exoptet, viribus tamen ad obediendum deſtitui.* Cauſa hujus imbecillitatis legis, cum per eã regeneratio & liberatio à dominio peccati non fit, ponitur in eo quod in lege ut volunt vitæ æternæ & immortalis promiſſio non fit. Proſper Dyſidæus in 7. cap. ad Rom. *hanc gratiam nobis in Chriſto revelatam eſſe per quam ſpes nobis facta magni boni nimirum immortalis & beata vita.* Crel. contra Grot. pap. 513. *Hanc eandem legis imbecillitatem* arguit Paulus Rom. 7. *præſertim ibi, ubi ſub ſuâ perſonâ, de homine ſub lege adhuc conſtituto loquitur. Non præſtabat autem id lex quod diximus, quia ſpe illâ meliore, quæ in Euangelio continetur, carebat, ex quâ vera ſanctitas conſequitur. Unde Paulus felicitatem Chriſtianorum miſeriæ eorum qui ſub lege fuerunt opponens ait: Lex ſpiritus vitæ (nempe immortalis) in Chriſto Jeſu liberavit me à lege peccati & mortis. Spes enim immortalis vitæ certa ac firma, homines primum à peccato, tum à morte liberat, & ſic id quod legi erat impoſſibile, præſtat. Dum enim efficit, ut homines non ſecundum carnem ambulent ſed ſecundum ſpiritum, eo ipſo etiam facit, ut juſtificationem, quàm lex occultè promittebat, ſed præſtare*

re ob carnis noſtræ vim non poterat , ex Dei promiſſo conſequatur. Primo adhæc animadverti poteſt non fuiſſe ſub lege liberum arbitrium: liberatio à dominio peccati iis qui ſub lege ſunt contingere non potuit, contra quā ſcripſit 5to Prælection. ſect. im. *opem autem ſuam nemini eorum denegat Deus, quibus legem tulit, alioquin legem ſuam non ſervantes , nullâ ratione repredendere vel punire poßet , & tamen utrumque facit.* 2. Aut hoc dogma de regeneratione per promiſſionem æternæ vitæ falſum eſt , aut ii qui ſub lege omnes irregeniti fuerunt, neque à peccati dominio liberati, quia ſpe illâ meliore, quæ Euangelio contineatur caruerunt , quod conſequens quam ſit abſurdum nemo non videt. 3. ubi quæſo ullibi in lege ſcriptum eſt, promiſſiones illas legales non ſatis dignas, aut ſuaſiones inde ſumtas non ſatis efficaces fuiſſe, propter quas homo præceptis divinis obediret, & peccati jugum excuteret. Non ſatis verò dignæ & efficaces fuerunt, ſi iis homini divinæ legis obedientia perſuaderi non potuit, quo nō levis injuria legiſlatori Deo irrogatur. Dices moveri quidem ad pietatem & præſtandam obedientiam , bonis legem ſervantibus promiſſis debuiſſe, at non potuiſſe. At ſi iſtis bonis moveri æquum fuit, & ex rectæ rationis dictamine convicti fuerint , aut convicti eſſe potuerint, divinis mandatis præſtandam obedientiam propter bona lege promiſſa , cauſa non erit non præſtitæ obedientiæ, quod bonis iſtis ad obedientiam adduci non potuerint, ſed quod noluerint. Porro quando bonum aliquod

quod non ſatis magnum & excellens, propter quod homo vim ſibi faciat in re aliquâ præſtandâ, tum non tantum rem illam non pręſtat, ſed ſimul voluntatem & deſiderium ejus rei præſtandæ non habet; neq; ullum illi in re illi præſtandâ oblectamentum, nec ſe miſerum exclamabit, quod illam facere negligat, quemadmodum homo ille qui nobis ab Apoſtolo deſcribitur. Neque queritur ille ſe ideo carnalem; bonum non facere, captivari à lege peccati, quia legem Dei ſervantibus, nihil magni promittitur, ſe alioqui fuiſſe ſervaturum legem, ſi in lege ſpes vitæ melioris facta eſſet, & per obodientiam legis ad reſurrectionem ex mortuis & beatam immortalitatem perveniri potuiſſet. Quia Judęos ad terreſtem tantùm vitam ſaginabat lex, & nihil ſublimius vitæ melioris promittebat, vitam peccati præ vitâ juſtitiæ elegerunt, quandoquidem ex lege nihil aliud conſtabat, quàm animam hominibus pro ſale datam eſſe, ut Chryſippus dicere ſolebat. Hæc & ſimilia non eruuntur ex Apoſtolo. Spiritus regenerans non eſt ipſum externum Euangelium, non promiſſio æternæ vitæ. Secundum ſpiritum ambulare, non eſt ſecundum promiſſionem æternæ vitæ ambulare: aut Spiritum Chriſti habere, ſpem æternæ vitæ habere: Spiritum ejus in nobis habitare, vitam æternam in nobis eſſe, alioqui vita æterna eſſet ſpiritus Dei, & corpora noſtra mortalia vivificarentur per inhabitantem in nobis ſpiritum Dei, id eſt ſpem æternæ vitæ, atque ita corpora noſtra reſurgerent per ſpem reſur-

 rectionis.

quod vel caveri vel impleri non poßet. Et quomodo negabimus poſſe eſſe hominem ſine peccato, cum confiteri neceſſe ſit, eum tam omnia illa quæ vetantur poße cavere, quâm quæ imperantur, efficere. ration. 2. *Iterum ait quærendum eſt peccatum voluntatis, an neceſſitatis eſt? Si neceſſitatis eſt, peccatum non eſt; ſi voluntatis eſt, vitari poteſt.* Reſpondet Auguſtin. in reſp. ad ratiocin. 7. *fieri quod vult Deus in credentibus & proficientibus renovatione interioris hominis de die in diem, donec fiat perfecta juſtitia.* Plenius reſp. ad ration. 8. *jam ſuperius reſponſum eſt, ſed addendum video, quod ſpe ſalvi facti ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? ſi autem quod non videmus ſperamus, per patientiam expectamûs. Tunc ergo erit plena juſtitia, quando plena ſanitas: tunc plena ſanitas, quando plena charitas. Plenitudo enim legis charitas. Tunc autem plena charitas, quando videbimûs eum ſicut eſt. Neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad viſionem.* Similiter reſp. ad rationem. 14. ait, *charitatem plenam & perfectam fore, cum videbimus facie ad faciem.* Sed quam vim rationatio Socini habeat proprius videamus. Major eſt ſi perfectio impoſſibilis in hac vitâ, nemo ex nobis ad eam conari debet. Diſtinguo, ſi intelligas neminem jure ad hoc obligatum eſſe, falſa eſt propoſitio: Sin accipias neminem actu & reipsâ conari debere, ut omnimodo perfectam præſtet obedientiam, conceditur. Hoc ſenſu poſteriori falſa minor eſt, conari nos debere ut in hac vitâ ſine omni peccato ſimus, in quo ſenſu

procul dubio intellexit Prælector, nos conari debere ut perfecti ſimus. Oportet conatus ſanctorum dirigi ſecundum ſcientiam veritatis: hic conatus non eſt directus ſecundum normam veritatis. Veritas eſt non poſſe perfectè ſervari legem in hac vitâ, qui ergo conaretur ad obſervationem legis, ex eâ perſuaſione ac ſi lex perfectè præſtabilis eſſet, ille conatus non eſſet laudandus, quatenus ex falsâ perſuaſione ortus. Vera pietas non mendacij, ſed veritatis filia eſt. Dices mihi ſi non conandum hoc pacto ad perfectiſſimam omnibus numeris legis obedientiam, ſocordia inducitur. Id verò nego, etſi ad extremam perfectionis lineam in hac vitâ non pervenitur, magis magiſque tamen ad perfectionem accedi poteſt: hoc verò per gratiam Dei datur ſanctis, quapropter etiam omni conatu contendunt, ut magis ac magis ad metam perfectionis propius accedant, atq; hoc ſenſu conari debent, & conantur ut perfecti ſint, non tamen eâ perſuaſione imbuti quod abſolutam obedientiæ perfectionem poſſibilem in hac vitâ exiſtimant. Ex hoc ſyllogiſmo ſuo, ac ſi firma eſſet ratiocinatio, colligit peccata plurima quæ à nobis committentur, non ab imbecillitate carnis noſtræ, ſed à ſpontaneâ quadam negligentiâ profectura eſſe; rectius dixiſſet omnia ſpontaneæ negligentiæ eſſe; cum homo Chriſtianus perfectè vivere poſſet, negligentiæ crimen eſt, quod non perfectè vivat, unde videbitur fragilitatibus, ignorantiis & incogitantiis locum in Chriſtianis non relinqui; neque pro

pro Chriſtianis agnoſcendos eſſe,niſi minimis quibuſque nœvis puros. Porro quomodo homini Chriſtiano ſecundum ſpiritum ambulare neceſſarium ſit,ad hoc ut verus Chriſtianus ſit & haberi poſſit, de quo hîc iterum monet citato Pauli ad Gal. 5. teſtimonio ad v. 18, dictum & oſtenſum jam, non repetam.

Concluſionem faciens ejus, quod primo hoc cap. tractandum ſuſceperat, ait *certum eſſe poſſe, Chriſti ſacrificium non perinde priore illo expiandi genere incogitantias & ipſas leviores fragilitates expiare,ut graviora peccata & ſcelera expiat, cum videamus Chriſtianum hominem, & ſic Chriſti ſacrificij participem, adhuc errare & labi poſſe, graviore autem aliquo peccato implicitum eſſe non poſſe*.Peccata quidem alia aliis leviora, nullum tamen revera leve. Sed eo omiſſo,quæ cauſa, ut cum Prælectore loquar, cur Chriſti ſacrificium non expiet fragilitates & incogitantias ut graviora vitia, id eſt quæ cauſa cur non faciat, tam ab iis quam à gravioribus ceſſare,cauſa in ipſo ſacrificio Chriſti, ni fallor ex mente Prælectoris eſſe non poteſt: ex Chriſti ſacrificio promanat ſanctificatio, quia per id certa facta eſt confirmatio beatæ immortalitatis. beata immortalitas ſanctificat, quia ejus obtinendæ gratiâ,præſtat homo obedientiam, poteſt verò obtinendæ immortalitatis ergo; non tantum â gravibus, ſed & à levibus abſtinere homo; cujus vitæ cum Chriſti ſacrificium ex ejus ſuppoſitione certa ſit confirmatio, ejus etiam beneficio perfectus Chriſtianus quilibet evadere poterit. Neque enim exiſtimem So-

cinum, cum perfectionem in hac vitâ contingere poſſe arbitretur, ſenſiſſe ſine vi ſacrificii Chriſti obtineri poſſe. Jam verò ſi ſacrificio Chriſti homo poteſt à quibuſlibet peccatis liberari, quod fragilitatibus & aliis quibuſdam obnoxius maneat, ejus cauſa à ſacrificio & promiſſione æternę vitę non eſt petenda, à quâ omnem ſanctificandi vim derivat perpetuò Socinus in totâ hac de ſacrificiis diſputatione, latet ergo in liberi arbitrii ſocordia, quapropter dicendum potius videtur Socino quod à gravioribus ceſſetur à levioribus non item, arbitrii culpá fieri. Nunc ad alterum membrum cap. accedo; ubi primò de liberatione à pœnâ peccatorum. Scripſit ſuperius duplicem fuiſſe cauſã vitij repetitionis propter quod abrogari debuerint. *Una quod ſacrificia illa, pro præteritis tantum peccatis offerebantur: altera quòd à peccatis retrahendi nullam vim habebant*. Ubi obſervavi cauſam illam priorem, non cauſam abrogationis eſſe, poſito, quod ſacrificia illa verè expiarent præteritorum reatum, quia populus peccatis ſuis paratum ſemper habebat præſentiſſimum expiationis remedium, id hic jam confitetur noſter aliquatenus, dicens, cum leviorum illorum delictorum plenam veniam conſequendi modus & ratio in ipsâ Moſis lege propoſita populo in perpetuum fuiſſet; non ipſorum ſed graviorum, quibus in lege nulla venia dabatur, Chriſtum propriè veniam attuliſſe. Conſequenter ſententiæ ſuæ, at ſecundum proprium intellectum ſpeculatur, cum ait Paulum verbis illis Act. 13. 38. *Notum igitur*

ſit

ſit vobis viri fratres, quia per hunc Jeſum vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus à quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari, in hoc omnis qui credit juſtificatur, explicatum dediſſe nobis, proprium Chriſti munus fuiſſe graviora peccata expiare. Quid ergo, improprium Chriſti munus eſt, peccatum quodlibet expiare. Nititur collectio Socini ſuppoſitione falsâ, ac ſi illud ab omnibus, à quibus non potuiſtis in lege Moſis juſtificari, quædam tantum peccata, non quælibet comprehenderet. Si id διακριτικὸν eſſet, quemadmodum noſter diſcretivum putat; poſſem rejecta ejus proprii & improprii diſtinctione dicere, nos tantum à gravioribus peccatis per Chriſtum juſtificari, quæ mea aſſertio ſe ipſis Apoſtoli verbis tueretur. Dixi de hoc loco ſupra etiam cap. XXIII. citat etiam in rem ſuam teſtimonium Heb. 9. 15. de quo vide ſis cap. 17. Prælection.

Ad id quod ſequitur de expiatis ante adventum etiam Chriſti gravioribus peccatis, & ea quæ ad eam rem ab ipſo dicuntur, videantur dicta ad illud de agno, ubi de variis tollendi modis. Tribus verbis id tantum dicam, cum graviſſimorũ delictorum venia omnibus pœnitentibus jam inde ab orbe condito contigerit, neque in futuram per Chriſtum expiationem ſatisfactoriam, ſi Socinum audias reſpexerit, vides nullam fuiſſe neceſſitatem ſacrificii Chriſti, pro ultimorum temporum ſucceſſionibus, ad obtinendam remiſſionem peccatorum, cum priſca illa expiatio veniæ pœnitentibus concedendę æternâ ſanctione potuerit perennis

rennis fieri; & ultimorum temporum homines potuiſſent non minus à peccatis ceſſare, pœnitentiam agere, & ipſam remiſſionem quorumvis peccatorum non minus conſequi, quam anteactorum temporum homines. Tranſeo quæ hic ingerit de umbratilibus legis expiationibus, quæ noſtra ſatis vexavit diſputatio.

Poſt hæc gradum effert, ad collationem gratiæ, quæ ſub. N. Fædere, cum diſpenſatione gratiæ quæ ſub V. *Primum diſcrimen, quod in eo collocat, quod qui ſub priore Fœdere naſcebantur, ſi graue aliquod delictum admiſiſſent ſtatim puniebantur, nec ad pœnam evitandam aliquid pœnitentia proderat*; quod ſub poſteriore, *qui pœnitentiam agant, ab omnium reatu liberentur.* Hoc revera non magnum eſt, pilus in medio; etſi pœnitentia ſub V. Teſtam. non proderat ad evitandam pœnam politicam, proderat tamen ad pœnam æternam evitandam, quæ rebus iſtis carnalibus ſignificabatur, ita quoque pænitentes ſub N. Fœdere pœnas politicas gravibus delictis incurrunt, & quoad pœnas poſthumas liberantur. Addit *adultis Chriſti nomen poſtquam adoleverunt primum profitentibus, & pœnitentiam agentibus, non omnino ex N. Fœdere ſecundæ pœnitentiæ locus negatur. In adultis ad Iudaiſmum converſis* inquit, *nullum locum ex ipſo antiquo Fœdere inveniebat*, quod verum quidem de antiquo Fœdere, quatenus Deus per Moſem, cum populo Judaico pepigit, non verò probatur de pacto promiſſionis, quod pactum ſub v. Teſtam. nomine latè ſumto etiam comprehenditur. Quia verò ſententiæ iſti

de

de ſecundâ pęnitentiâ videri poſſet obſtare illud ad Hebr. 6. com. 4. & ad Heb. 10. 26. ſibi aliquid dicendnm de illis locis propoſuit.

Ponit impoſſibile dici ad Heb. loco, *quod admodum difficile & apud homines impoſſibile eſt, non autem apud Deum.* Malim intelligi impoſſibile ſimpliciter à quo ſenſu ſtat verborum proprietas. Chriſtus Mat. 19. quod difficile eſt *impoſſibile dixit apud homines, addito apud Deum omnia poſſibilia eſſe,* diſertè expreſſit impoſſibilitatem illam eſſe reſpectu hominum, non vero ratione omnipotentis Dei: hoc loco Apoſtolus ſic non diſtinguit, neque diſtinctionis illius hoc loco faciendæ, fundamentum in illis verbis eſt Heb. 6. 3. *& hoc faciemus ſiquidem permiſerit Deus.* Dupliciter hæc verba exponi poſſunt, primum ita ut non referantur ad id quod immediatè præceſſerit, ſed ad illa quæ initio cap. leguntur. *Quapropter omiſſo, qui in Chriſto rudes inchoat ſermone ad perfectionem feramur.* Secundum hanc expoſitionem ſenſus eſt, ad perfectionem feremur ſiquidem permiſert Deus, non jacientes rurſum fundamentum reſipiſcentiæ à mortuis operibus, impoſſibile enim eſt prolabentes renovari. Secundò hæc verba referri poſſunt, ad id quod immediatè antecedit, ut ſit ſenſus ad elementariam illam inſtitutionem de pœnitentiâ, ab operibus mortuis recurram & vos commonefaciam ut in iſto pœnitentiæ curſu conſtanter pergatis, quod magnopere neceſſarium eſt, cum prolabentibus per pænitentiam regreſſus non obtingat, atq; ita ſeipſum quaſi corrigens

hoc

hoc dicit, quia paulo ante dixerat, *non jacientes rurſum fundamentum* &c Manifeſtum eſt ex orationis contextu, cum agitur de jaciendo reſipiſcentiæ fundamento, & cum poſtea dicitur *hoc faciemus*, non intelligi actum hominis reſipiſcentiâ novum fundamentum jacientis; ſed actum doctoris operam ſuam docendo in eo conſumentis, quare aliena eſt Socini interpretatio, quæ ita hæc verba & *hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus* accipit, ac ſi actio prolapſorum, non actio Doctorum deſignaretur. Poteſt verò fundamentum denuo poni, non tantùm priore per apoſtaſiam everſo, verùm etiam elementariæ doctrinæ repetitione, quæ ſuos habet uſus apud eos qui fundamento manſerunt ſuperſtructi: unde illud de jaciendo rurſum fundamento & quod ſequitur *hoc faciemus*, non exigit neceſſariò expoſitionem illam, de iterandâ prolabentium pænitentiâ. Nihil ergo ex illis verbis, *& hoc faciemus ſiquidem permiſerit Deus*, eruitur pro ſententiâ illa Socini, quod prolapſorum pœnitentia apud Deum poſſibilis. Id cum dico, ſimul monitum volo, me nequaquam Novatianorum errori accedere, qui lapſis pœnitentiam negabant, neque hęc eo fine dicere, quod negem in univerſum ſecundæ pœnitentiæ locum eſſe; de tali prolapſu & apoſtaſiâ hîc agitur, à quo non datur reſurgere per pœnitentiam, quare hic locus cum iis conferendus, qui de peccato in Sp. S. mentionem faciunt. Dices quid ergo, an apoſtata per Dei potentiam non poteſt erigi. Poteſt, ſi abſolutam Dei potentiam reſpexeris,

xeris,non poteſt ſi Dei judicis juſtam & ſeveram ultionẽ reſpexeris. Relatè ergo ad Deum impoſſibile ex neceſſitate hypotheticâ. Ejuſdem argumenti locus alter ad Hebr.10.Porro obſervet obiter lector præligi hîc nobis,ſecundam pœnitentiam non eſſe in arbitrij poteſtate poſitam. Quid ergo non peccat prolapſus poſt factam apoſtaſiam ? non ultra meretur pœnam? non punitur juſtè ob ea:quæ poſt defectionem committit, quia neceſſitatis vinculis eſt illaqueatus. Hæc & ſimilia ſunt arma illa, quibus tantopere fidunt liberi arbitrij patroni, deſino, & manum tollo.

CAP. XXVII.

Ex eo, quod Ieſus ipſe Chriſtus in legalis Pontificis perſona adumbratus fuerit, nullo modo colligi poſſe, Chriſtum morte ſua, vel alia quâvis ratione, pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe, & quid inde colligi debeat.

D*emonſtratum* fuit à nobis, ut arbitror, ex adumbratione mortis Chriſti in antiquis ſacrificiis, ſive per collationem, ſive ex vi ipſius adumbrationis, nihil colligi poſſe,quod Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe doceat,& quid inde colligi & poſſit & debeat non indiligenter explicatum: Quare ad alteram hujus de ſacrificiis tractationis partem accedendum eſt, & de adumbratione ipſius Chriſti in legalis Pontificis perſona agendum. Atque hîc quoque, primùm de colla-

collatione, quæ adumbrationi adjuncta ſit: deinde de ipſa adumbratione per ſe conſiderata, videndum eſt. Quod igitur ad collationem ſeu comparationem attinet, cùm jam & ratione, & Theologorum teſtimonio comprobatum fuerit, victimas illas antiquas, nullam vim ſatisfaciendi pro peccatis illis, pro quibus offerebantur, habere potuiſſe, omninò concludendum videtur, multò minùs Sacerdotis perſonam ullam ſatisfaciendi pro iiſdem peccatis vim habuiſſe. Neque enim Sacerdos ipſe Deo offerebatur, ſed victima tantùm. Nec verò dicendum eſt, ex Sacerdotis perſonæ dignitate vim ſatisfaciendi victimas illas ſumpſiſſe. Nam neque ea de re quidquam uſquam apparet, ut ſatis intelligi poteſt id neutiquam fieri potuiſſe. Vt enim, ſi creditori cuipiam ſatisfaciendum ſit, cui centum nummorum ſummam quis debet, nunquam quinquaginta tantùm perſolutis, verè illi ſatisfaciet, quiſcunque is tandem ſit, qui pecuniam illam perſolverit: ſic non poteſt Sacerdotis perſona, quantumvis digna, efficere, ut victimâ offerendâ quæ per ſe vim ſatisfaciendi non habeat Deo cui offertur reverâ ſatisfiat. Quod ſi creditor ille, propter perſonæ qualitatem quæ ſolutionem fecerit, minore licèt ſumma quàm ea erat quæ ſibi debebatur accepta, ſatisfactum ſibi eſſe dicat, nec ampliùs ſe à debitore ſuo vel exigere, vel etiam petere poſſe omninò velit, non vera erit ſatisfactio, de qua quærimus, cùm manifeſtum ſit, creditorem iſtum, multum de eo quod ſibi debebatur

bebatur remiſiſſe, neque id omne quod ſuum erat recepiſſe. Apparet igitur, eum qui ſolutionem iſtam fecit, dignitate perſonæ ſuæ non quidem vim aliquam ſatisfaciendi pecuniæ à ſe ſolutæ tribuiſſe, ſed tantum eò creditorem adduxiſſe, ut debiti partem condonare voluerit, nec minùs contentus eſſe, parte debitæ ſibi ſummæ accepta, quàm ſi integram ſummam accepiſſet. Atque ex hac ſimilitudine argumentum (quod vocant) à minore ad majus rectè in propoſito noſtro ducere poſſumus. Nam, ſi ubi bona pars ejus quod debetur ſolvitur, niſi totum ſolvatur, perſonæ ſolventis dignitas, quod ad veram ſatisfactionem attinet, nihil efficit: multò magis dicendum eſt, id evenire, ubi reverâ ne pars quidem ulla ſolvitur ejus quod debetur, quemadmodum in victimis illis legalibus offerendis factum fuiſſe quilibet intelligere poteſt. Adde, quod perſonæ ipſius ſolventis dignitas, per ſe nihil omninò in liberando debitore præſtare aut ſolet, aut etiam valet, niſi vel preces adjungantur, vel deſiderii ſaltem ſignificatio, ut creditor, quamvis minùs accipiat quàm ſibi debetur, debitorem tamen liberare velit, hacque ratione antiqui Sacerdotis perſonam vim aliquam in peccatis expiandis habuiſſe, quiſpiam fortaſſe dixerit, expiationem videlicet precibus à Deo impetrando, unde per collationem, Chriſtum quoque precibus nobis à Deo expiationem peccatorũ noſtrorum impetrâſſe, concludendum videatur. Verùm, nec concedendum eſt, Sacerdotem illum antiquum

precibus expiationem à Deo impetrâſſe, nec, ſi id maximè concedendum eſſet, ad propoſitum faceret, cùm longè aliud ſit ſatisfacere, & precibus aliquid impetrare. Qua de re poſteà agemus.

Sequitur, ut de vi ipſius adumbrationis videamus, utrum videlicet aliquid verbotenus tantùm legali Pontifici tanquam rei adumbranti, tributum fuerit, quod ſatisfactionem iſtam, de qua quærimus, indicet, quodque in Chriſto, tanquam in re adumbrata, reipsâ ininveniri ſtatuendum ſit. Quamvis enim, ex iis quæ ſupra in initio ferè hujus de ſacrificiis tractationis diſputavimus, id fieri non poſſe appareat, cùm, ut ibi dictum fuit, neceſſe ſit, ut ea quæ adumbrantur, non verbotenus tantùm, ſed reipsâ quoque aliqua ratione in re adumbrante reperiantur, tamen, ut nulla prorſus de ſatisfactione iſta ſuſpicio eſſe poſſit, rectè eſt ut hac de re accuratè explicemus. Dico igitur, ea quæ à Moſe de legali Pontifice, quod ad expianda peccata attinet, dicuntur, omnia uno verbo *Chaphar* contineri, de quo ſupra, cum de ipſis victimis ageremus, diſputatum eſt, & oſtenſum, illud à ſatisfactionis ſignificatione quàm longiſſimè abeſſe. Itaque ſtatuendum eſt, id, cum Sacerdoti ſacrificanti accommodatur, aliquid omninò à ſatisfactione diverſum ſignificare. Vetus quidem Interpres, ni fallor, ubique ferè *Rogare*, ſive *Orare* ejus loco repoſuit, quod alicubi alij quoque interpretes fecerunt. Verùm tamen affirmare ego nihilominùs auſim, verbum illud nuſquam orandi

orandi ſeu rogandi vim obtinere,ſed, quod ad propoſitum noſtrum attinet, ſemper expiandi ſeu removendi reatum & pœnam peccati, ſignificationem habere, ſive id fiat orando,ſive offerendo, ſive condonando, ſive quacunque alia ratione. Atque hoc ſenſu in recentioribus Latinis editionibus, plerunque verbum illud, etiam cum de ſummo Sacerdote ſacrificante agitur, redditum fuiſſe animadvertimus, & dictum *Et expiabit eum Sacerdos &c.* Quid autem hoc ſibi velit, ex iis quæ ante diſſeruimus ſatis intelligi poteſt, nempe, Sacerdotem peracto illo ſacrificio liberaturum eſſe illum pro quo ſacrificabat ab admiſſi peccati reatu, non quidem Deo ejuſué juſtitiæ ſatisfaciendo, ſed id peragendo, quod peragi voluit Deus, ſi is qui deliquerat delicti ſui veniam conſequi vellet. Unde factum videmus, ut in multis ejuſmodi locis verbum *Chaphar* vel *Chipper* à doctiſſimis viris nihil aliud ſignificare dictum ſit, quàm *Expiatum ſeu mundum declarare*, ut in annotationibus magnorum Bibliorum Roberti Stephani ſcriptum eſt, Lev. 5. 10. 16, & 6. 7. & 15. 15. Idemque annotat Franciſcus Vatablus cap. 15. ejuſdem libri, verſ. 30. & cap. 16. 30. hoc autem ubique fieri poſſe videtur, præſertim verò toto capite quarto ejuſdem libri: ubi pro confirmatione hujus explicationis animadvertendum eſt, non addi ea verba, *Et expiabit, &c*, tunc cum de oblatione pro peccato ipſius Sacerdotis eſt ſermo. Ex quo colligere licet, verbum Expiandi in illis aliquid ſignificare, quod non ita ſacrificio pro peccatis

Sacerdotis accommodari poſſit, ut pro aliorum. Id autem nihil aliud videtur eſſe poſſe, quàm *Expiatum ſeu mundum pronuntiare & declarare*. Neque enim ſeipſum mundum declarare perinde ac cæteros aut poterat aut debebat Sacerdos. Adde, quòd alicubi verbum illud hanc ſignificationem habere prorſus neceſſarium eſt, ut Levit. cap.10.17, ubi legitur: *Cur non comediſtis oblationem pro peccato in loco ſanctitatis? Eſt enim ſanctitas ſanctitatum, cùm illam dederit vobis ad portandum iniquitatem congregationis, & ad expiandum eos coram Jehova.* Cum enim jam ſacrificium peractum fuiſſet, certiſſimum eſſe poteſt comeſtione illa non potuiſſe peccatum expiari, ſed tantummodò expiatum declarari. In quibus verbis illud etiam obiter notandum eſt, phraſim illam *Portare iniquitates ſeu peccata*, de qua ſupra alibi egimus, adeò (ut ibi diximus) ſignificare ſolere *auferre iniquitates ſeu peccata*, ut inde factum ſit, ut ablata ea fuiſſe declarare ſignificare poſſit. Ex his ſatis conſtare arbitror, nuſquam cap. 4. 5, & 6. Levit. ubi potiſſimùm ſacrificia inſtituuntur, attributum ſummo Sacerdoti fuiſſe, quòd pro peccatis ſatisfaceret, licèt ibi ſæpiùs repetitum ſit, *Et expiabit eum Sacerdos &c.* Id quod ex eo prærereà intelligi par eſt, quòd ubique additur, *& remittetur ei*. Remiſſionem enim & plenam ſatisfactionem, (nam de hac loquimur) non ſolùm ab ipſo reo ſeu debitore, ſed à quocunque pro eo exhibitam, ſimul ſtare non poſſe, ſupra (ni fallor) apertè demonſtratum eſt. Sed jam de iis locis videamus, qui magis

magis propriè ad quæſtionem noſtram pertinent, & ſunt Levit, cap.6.ubi de anniverſario illo ſacrificio agitur, in quo Chriſti ſacrificium præcipuè adumbratum fuiſſe ante docuimus; & cap. 9. ejuſdem libri, ubi de prima oblatione agitur, quam pro ſe & populo Aharon fecit, quæ cùm univerſalis fuerit, Chriſti ſacrificium adumbrâſſe aliqua ratione dici poteſt. In illis autem verbum *Chipper* orandi ſeu peccandi ſignificationem habere, à doctiſſimis viris annotatum fuit. Quod non ob aliam cauſam ab ipſis factum eſſe arbitror, niſi quia ab omnibus verbum illud cum præpoſitione *bead* conſtruitur, cùm in ſuperioribus locis ubi expiandi ſeu expiatum declarandi ſignificationem illud retinere dixerunt, cum præpoſitione *al* conſtruatur. Verùm hoc, ut mihi quidem videtur, nullam ſignificationis differentiam inter utroſq; locos conſtituere debet. Siquidem *al* non minùs quàm *bead*, & *ſuper* & *pro* ſignificare poteſt, ut nihil aliud eſſe queat *vechipper baado*, quàm *vechipper alav*; nec illud aliquid ſignificare, quod hoc pariter non ſignificet. Quocirca, cùm manifeſtum ex ipſorum ſententia ſit, *vechipper alav* nihil aliud eſſe quàm *Expiabit eum*, ſive *Expiatum illum declarabit*, cur *vechipper baado* ipſis auctoribus *Orabit pro eo* interpretabimur? Certè verbum cum præpoſitione *bead* conſtructum, expiandi ſignificationem retinere perſpicuum eſt ex cap. 30. lib. 2. Paral. v. 17. 18. quem locum, ſi quis ea de re dubitet, conſulere poterit. Non eſt igitur in his locis etiã ab uſitata verbi *Chipper*

ſignificatione recedendum, & concludendum omninò eſt, ubicunque de legali Sacerdote ſacrificante agitur, nihil illi majus attribui, quàm quòd id faceret, quo peracto is pro quo ſacrificabâtur divina benignitate à peccati ſui reatu & pœna liberaretur, vel quòd liberatum eſſe declararet ſeu pronuntiaret. Ex quo efficitur, per adumbrationem Chriſti in ſummi illius Sacerdotis perſona, ex ipſius adumbrationis vi nullo modo colligi poſſe, Chriſtum pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe.

Reſtat ut nos, quid ex hac adumbratione, tùm adumbratam rem cum adumbrante conferendo, tùm adumbrationem ipſam per ſe perpendendo, colligi & poſſit & debeat, conſideremus. Et primùm cum antiquo Pontifice Chriſtum conferamus, non ſimpliciter quidem, ſed quatenus ad populi expianda peccata is à Deo Pontifex conſtitutus fuerat, & præſertim, quatenus ſemel in anno, in Sancta ſanctorum ingrediens, id universè peragebat. Sic enim & collationem ipſam meliùs perſequemur; & quæ hac de re in epiſtola ad Hebræos ſcripta ſunt, rectiùs intelligemus.

Cùm igitur (ut hinc hujus collationis initium ſumamus) certum ſit, antiquum illum Pontificem non ea ratione populi peccata expiâſſe, quòd pro illis ſatisfaceret, ſed quòd ea faceret, quibus peractis ex divina benignitate expiatio ante promiſſa reipsâ conſequebatur, vel etiam quòd expiationem prædicto modo conſecutam eſſe declararet, ac pronuntiaret: certum quoque eſſe debet, Chriſtum non idcircò noſtra

noſtra peccata expiâſſe, quòd pro illis divinæ juſtitiæ ſatisfecerit: ſed quòd ea fecerit, quibus peractis peccatorum noſtrorum expiatio, anteà nobis divina benignitate promiſſa, conſecuta reipsâ fuerit, vel etiam, quòd nos eadẽ benignitate divina jam expiatos eſſe pronuntiaverit ac declaraverit. Utrumq; autem quomodo Chriſtus, ſepſum crucis morti tradendo, ſuumque ſanguinem pro nobis fundendo, effecerit, ſupra, cùm victimas illas antiquas cum ipſius ſacrificio cõtulimus, abundè à nobis demonſtratum eſt. Porrò de utroq; loquitur auctor ad Heb. cap. 1. 3. ubi de Dei filio ſic loquitur: *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius, portetque omnia verbo potentiæ ſuæ, per ſemetipſum purgatione facta peccatorum noſtrorum, conſedit ad dextram majeſtatis in excelſis.* Ait igitur diviniſſimus hic ſcriptor, Chriſtum ſplendorem eſſe glorioſum, & expreſſam imaginem ſubſtantiæ Dei, hoc eſt, per ipſum nobis gloriam & Majeſtatem Dei inſigniter admodùm apparuiſſe, adeò, ut ipſummet Deum in ipſo conſpicere ac contemplari licuerit. Quod aliud non eſt, quàm Deum ejuſque voluntatem, quatenus hæc notia nobis ſalutaris eſt, per Chriſtum penitùs cognoviſſe & perſpexiſſe. Ait inſuper, Chriſtum portare, id eſt, moderari cuncta, verbo, id eſt, juſſu potenti ſuo, quod idem eſt cum eo, quod alibi ſcriptum eſt, habere illum omnem poteſtatem in cœlo & in terra, & infernum quoque ei genua flectere. Matth. 28. 18. Phil. 2. 9. 10. 11. Hæc igitur cùm de Chriſto Apoſtolus dixiſſet,

conſequenter ac rectè ſubjunxit, eum per ſemetipſum peccatorum noſtrorum purgationẽ feciſſe. Ex quo apparet, quàm ſint omnia ſupra citata ejus verba inter ſe apertè cohærentia. Id quod pauci, ut arbitror, vel animadverterunt, vel convenienter explicârunt. Atq; inde apparet, utraque illa ratione, de qua dicebamus, Chriſtum ad exemplum antiqui Pontificis noſtra peccata expiâſſe. Quatenus enim Dei erga nos voluntatem omnem in ipſo expreſſam vidimus, declaratum nobis apertiſſimè eſt, remiſſa & deleta eſſe peccata noſtra. Duplici autem ratione in Chriſto Dei erga nos voluntatem expreſſam vidimus. Primùm, quia is eam nobis prædicatione ſua patefecit, idque multis modis, præſertim verò crucis mortem obeundo, ſanguinemque ſuum fundendo, confirmavit. Deinde, quia in ipſo id jam re impletum ſcimus, quod Deus nobis per eum eſt pollicitus, & jam in ipſo certiſſimum pignus divinæ bonitatis nobis patefactę habemus. Quatenus verò Chriſtus omnia potenti juſſu ſuo moderatur & regit, jam effectus ipſe expiationis, quam Deus pro ſingulari & pura ſua clementia ac liberalitate nobis deſtinaverat, conſecutus eſſe dici poteſt. Nam ſi Chriſtus, cujus membra nos ſumus, non ſolùm ad ſempiternam beatitatem perductus eſt, ſed omnia etiam in cœlis, degens in manu habet, nonné & nos unà cum eo in cœlis verſamur? nonne mors atque infernus, quod ad nos attinet, vim ſuam prorſus amiſerunt? Nulla igitur ſupereſſe ampliùs poteſt pro peccatis noſtris

pœna. Itaq; apparet, ſuprema illa Chriſti poteſtate expiata reverâ eſſe peccata noſtra, quod quidem morte ejus interveniente factum eſt, per quam ipſe ad omnium moderationem & ſummum illud imperium pervenit. Nos Chriſtus (ut inquit idem auctor ad Heb. cap. 13. 12) per proprium ſanguinem ſanctificavit, non quidem, ut Pontifex Aharonicus, qui victimarum ſanguine fuſo, populum propter ſolum Dei decretum expiabat, & expiatum eſſe pronuntiabat, ſed ipſius ſanguinis fuſione interveniente, mortem peccatorum pœnam pro nobis extinguens, & divinæ voluntatis certiſſimam fidem nobis perpetuò faciens. Qua ratione qui ſemel ſanctificatus fuit, & poſteà tantam ſanctificationem aſpernatur & rejicit, is graviſſimis pœnis digniſſimus eſt, quippe, qui ipſum Dei filium conculcet, & ejus admirabilem charitatem contemnat, ac ſanguinem, quē, eadem charitate impellente, ut ſanctificatio hæc conſequeretur, fundere non dubitavit, & ob eam rem ſanctiſſimus cenſeri debet, tanquam rem prophanam ducat, ut ait idem Apoſtolos cap. 10. 29. Ex quo loco apertè conſtat, Chriſti ſanguine ſanctificari, ſignificare potiſſimùm, per Chriſti ſanguinem ad veritatis cognitionem, id eſt, divinæ voluntatis de peccatorum remiſſione pœnitentibus danda, quâ æterna vita continetur, notitiam pervenire. Dixerat enim priùs verſ. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt notitiam veritatis, &c.* Quam ſententiam deinde, ut manifeſtum eſt, latiùs explicat, & verba

Heb. 10. 29.

quæ modò recitavi ſic uberiùs exponit, v. 29. *Qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Fœderis, per quem fuerat ſanctificatus, prophanum duxerit & Spiritum gratiæ contumeliâ affecerit?* Ubi nemo eſt, qui negare poſſit, ſanctificationem iſtam & Spiritum gratiæ, acceptæ veritatis notitiæ in ſuperioribus verbis reſpondere. Quod ita eſſe id plurimùm confirmat, quòd non ſanguinem ſimpliciter dixit Apoſtolus, ſed *ſanguinem fœderis*, ut idcircò ſanctificatum iſtum per Chriſti ſanguinem ſignificet, quia Chriſti ſanguinis fuſione divinæ promiſſiones ſancitæ & confirmatæ fuerint, atque ob eam cauſam ab ipſo pro veris agnitæ, undè omnis ſanctificatio iſta, quæ nihil aliud quàm peccatorum expiatio eſt, pendet ac derivatur. Ad hanc divinæ voluntatis patefactionem, unde fit, ut à peccatis, id eſt, ab eorum reatu expiemur, pertinent fortaſſe, non minùs quàm ad ablutionem à peccatis ipſis, ea verba Johannis, Apoc. 1. 5. *Qui lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*, id eſt, nos ablutos eſſe declaravit. nam etiam paulò ante eum teſtem fidelem appellaverat. Si modò verba illa, *Qui lavit &c.* ad JeſumChriſtum referenda ſunt, ut ego quidem cum cæteris arbitror. Quamvis non defuerint, ut Eraſmus teſtatur, qui ad Deum, cui Jeſus Chriſtus fidus teſtis fuiſſet, ea referri volebant, & non *ſanguine ſuo*, ſed *ſanguine ejus* legebant. Cùm de redemptione per Chriſtum facta diſſereremus, quæ ejus ſanguine interveniente peracta fuit, obſervavimus, ubicunq; ferè de ea agunt Scriptores ſacri, patefactionis

nis voluntatis divinæ mentionem fieri. Idem videmus plerumque contingere, cùm de peccatorum expiatione eadem ratione facta agitur. Nimirum ut intelligatur, Dei voluntatem à Chriſto, dum ſanguine ſuo interveniente peccata expiat, non conciliatam nobis, ſed patefactam fuiſſe, & verbi Expiandi ac ſimilium ſignificationem illam declarationis, non minùs Chriſto quàm legali Sacerdoti convenire.

Refut. Cap. XXVII.

Ex eo, quod Ieſus Chriſtus in legalis Pontificis perſonâ adumbratus fuerit, nullo modo colligi poſſit, Chriſtum morte ſuâ vel aliâ quavis ratione, pro peccatis noſtris Deo ſatisfeciſſe, & quid inde colligi debeat.

CUm hanc de ſacrificiis tractationem aggrederetur Socinus cap. 22. duas ejus partes fecit. Prior de morte Chriſti in victimis antiquis ſic fuit. 2. Nunc alteram aggreditur, de adumbratione ipſius Chriſti in perſona legalis Pontificis. Ejus partis tractatio bimembris eſt. Prior eſt ἀνασκευαστικὴ altera κατασκευαστικὴ. Illa duplex eſt, prior de collatione, quæ adumbrationi adjuncta. Altera de ipsâ adumbratione in ſe conſiderata. Quod ad priorem illam fatemur, dignitatem perſonæ ſummi Sacerdotis, nullam vim ſatisfaciendi contuliſſe; neque ullam inde victimàs ſatisfaciendi valorem traxiſſe, ſi quis tamen ex eo colligere vellet, eandem eſſe rationem perſonæ ſummi noſtri

refutans
confirmans

ſtri ſacerdotis, argumentum non rectè procederet, neque illa ſimilitudo de creditore magnæ dignitatis, partem aut dimidium debiti ſolventis, juſtam habet applicationem, ad ſolutionem à ſummo noſtro ſacerdote prçſtitam, ac ſi nihil efficeret perſonæ ſolventis dignitas, ad veram ſatisfactionem; quia dignitas perſonæ ſolventis debitum pecuniarium nihil ad hoc efficit: non ea ratio debiti eſt, quod ſolvit ſacerdos noſter, quæ debiti pecuniarii; ejus debitum eſt debitum pœnæ & obedientiæ; perſonæ verò dignitatem in humanis etiam valere, cum infliguntur pœnæ, aut aliquid præclarè & ex præſcripto inſignis alicujus virtutis fit, manifeſtum eſſe poteſt per ea quæ ad cap. 18. Prælectionum diſputata ſunt.

recurſus Altera ἀνασκευαστικῆς pars eſt, de vi ipſius adumbrationis. Repetit illud tritum, *quæ adumbrantur in re adumbrante reperiri*. Hoc cum hic non ſit collectionem ab adumbratione ad ſatisfactionem nullam eſſe. Ne actum agam palim dromeſiat ſi lubet ad cap. 22. Eodem cap. habetur de voce Caphar. Vetus interpres, *Verbum rogandi ſive orandi ejus loco repoſuit*, cujus rei nomine hic à Socino perſtringitur. Verum id potuit ab eo eſſe factum, quia caſtus illi oblationum, erant veluti vota & preces quædam, quibus remiſſio peccatorum quærebatur, quomodo fortaſſis accipi poteſt illud Levit. 5. com. 16. ἐξιλάσεται περὶ αὐτοῦ ἐν τῷ κριῷ vulgata habet, rogabit pro eo offerens arietem vel quia oblationibus iſtis effectus idem quærebatur, qui precibus, quæ ad placandum numen

men adhibentur. Preces etiam oblationibus conjunctæ eſſe potuerunt; quamquam de eo quod ſciam, nihil expreſsè in lege Moſaicâ legatur, quod ſacerdotes ſundere debuerint, cum expiarent peccata. Cur verò ſacerdos expiare dicatur. Cauſas adſert duas, eaſdem illas, quas attulit, cum de ſacrificiis diſſereret, quare ad antecedentes diſputationes lectorem remittimus. Verbum expiandi in notione declarationis ſumi poſſe, quod nos de antiquis victimis non negamus, imò ſic debere accipi contendit, eo argumento motus *quod illa verba, & expiabit* non legantur tunc, cum de oblatione pro peccatis ſacerdotis ſermo eſt. Colligit ex eo, verbum expiandi, in illis aliquid ſignificare, quod non ita ſacrificio pro peccatis ſacerdotis accommodari poſſit, ut pro aliorum, id inquit nihil aliud videtur eſſe poſſe, *quam expiatum ſeu mundum pronuntiare & declarare. Neque enim ſeipſum mundum declarare, perinde ac cæteros aut poterat aut debebat Sacerdos.* Hoc argumentum parum efficax videtur; verba quidẽ illa, oblationi pro peccatis Sacerdotis non adjunguntur: at non eſt evidens, neque certum, verbum expiandi in notione declarationis, oblationi Sacerdotis tribui non poſſe, cur Sacerdoti cũ pro ſeipſo offerre poſſit, effectus etiam oblationis tribui non poſſit. Certè de Sacerdote anniverſarium ſacrificium facturo dicitur, *quod expiationem faciet pro ſe & familia ſua* Levit. 16. com. 6. 11. Sine causâ autem exciperetur ſignificatum declarandi hic ferri non poſſe. Secundò dato *vocem expiandi,*

andi, in ſenſu declarandi, Sacerdoti pro ſeipſo offerenti accommodari non potuiſſe, non propterea conſequitur, verba illa *& expiabit* non eſſe addita, narrationi Sacerdotis pro ſeipſo offerentis, potuit verbum expiationis in alio ſenſu tribui Sacerdoti, quia nimirum oblatio ejus interveniebat ad remiſſionem conſequendam. Verbum illud alterum, quod voci expiationis adjungi ſolet, & remittetur ei, etiam eſt omiſſum, cujus ſignificatio oblationis Sacerdotis accommodari potuit; tam enim ille remiſſionem à Deo conſequebatur, cum pro ſuis, quam cum pro populi peccatis offerret. Deinde, conceſſo, eam ob cauſam, quod notio declarandi Sacerdoti pro ſe offerenti competere non poterat. Sp. S. vocem expiandi hic reticuiſſe, ac propterea in locis aliis ubi hæc vox adjicitur, in notione declarandi intelligi debere, nihil in causâ principali adverſus nos concludetur, ſtabit nihilominus argumentum ab adumbratione pro ſatisfactione deſumtum. Amplius contendit ſignificationem hanc prorſus neceſſariam, Levit. 10. com. 17. ubi habetur. *Cur non comediſtis oblationem pro peccato in loco ſanctitatis? eſt enim ſanctitas ſanctitatum, cum illam dederit vobis ad portandum iniquitatem congregationis, & ad expiandum eos coram Jehova.* At verò hæc verba ita exponi poſſunt, ut non intelligatur comeſtione factam expiationem, ſed ſacrificio peracto. Dici enim poteſt Deum dediſſe hoſtias comedendas, ut diligenter vacarent auferendis & expiandis peccatis populi. Nihil etiam ad rem præcipuam, quod

quod portare iniquitates poſſit eſſe remiſſas declarare,ut Vatablus annotat. Transferri etiam poſſet locus, auferre ut Helleniſtræ tranſtulerunt; quamquam enim ut jam non ſemel dictum eſt, Sacerdos legalis ſacrificans non ſatisfecerit, per hoc non infirmatur argumentum quod ab adumbratione ducitur pro ſatisfactione Chriſti.

Pars κατασκευαστικὴ ſequitur. Eam duplicem facit,ut ſupra cũ de ſacrificiis diſputaret.Prior in collatione rei adumbrantis & adumbratæ occupatur. Poſterior ipſam adumbrationem ſpectat. Potuiſſet Socinus multo majori compendio, rem totam conficere. Eadem enim mutatis mutandis ſubinde recurrunt. Id ipſe facile vidit,quapropter à ſupervacaneo labore ſuperſedens, alteram hujus κατασκευαστικῆς partem planè omiſit. Sic enim finem operi imponens ſcribit. Supereſt ut de ipsâ adumbratione per ſe conſideratâ agamus,&quid inde colligi poſſit explicemus. Verùm id ſatis explicatum eſt cum de victimis ipſis ageremus; nec aliquid alicujus momenti ex ſola Sacerdotis perſonâ colligi poteſt. Inde igitur quæ ad hanc partem attinet ſunt petenda. Tranſeo etiam quæ prioris hujus partis,quia aliunde peti poſſunt quæ & hîc ex uſu. Dixit interveniente ſacrificio Sacerdotis conſecutam expiationem, & peracto ſacrificio declaratã: nunc verò hoc duplici ſenſu accipit teſtimonium illud inſigne ad Heb. 1. com. 3, Quid reponendum ſit, & ubi reperiatur, indice conſulto perſpici poterit. Omnia in hoc inſigni teſtimonio commi-

ſcet

ſcet *Chriſtum effulgentiam gloriæ Dei eſſe & characterem hypoſtaſios divinæ eſſe* Socino interpretante eſt, Chriſtum prædicatione ſuâ nobis apertiſſimè declarâſſe remiſſa & deleta eſſe peccata, cũ ipſa verba nihil tale præ ſe ferant. De deletione peccatorum loquens Scriptor ille, claris id egit verbis: malim fidem meam ſenſus ſequi, quos loci in fronte gerunt, quàm neſcio ad quos ænigmaticos ſenſus recurrere, Rurſus quod *cuncta verbo ſuo ſuſtineat* confundit cum purgatione peccatorum,&ſeſſione ad dextram Dei. Quis non videt me tacente, articulos diſtinctos à Paulo ſuggeri? Tranſmitto reliqua ad hunc locum ab ipſo allata, ut & ea, quæ commemorat ad teſtimonium Heb. 13. Imprimus attendamus ad id quod de novo adfert. Ait ad Heb.10.com.29. *ſanguine ſanctificari*, ſignificare potiſſimum, per Chriſti ſanguinem,ad veritatis cognitionem pervenire. Nõ reluctor Quod verò hic effectus ſanguini tribuatur, eo quod promiſſionis divino iſto ſanguine ſancitæ & confirmatæ, de eo nullum verbum apud Apoſtolum. Neque id probat verbum *Fœderis* ſanguini adjectum. Locum illum Apocalypſios rectè ad Filium refert. De Filio agunt antecedentia: neque quicquam eſt quod occaſionem præbeat cogitandi, in iſtis, *qui delixit nos & lavit* mutationem perſonæ fieri. Inſequentia ſimiliter verba de Filio agunt, cum copulativè mox adjiciatur, & fecit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri ſuo.

CAP. XXVIII.

De aliis ſimilitudinibus inter legalem Sacerdotem & Chriſtum, ex quibus intelligi poteſt, Christum alia ratione quam per ſatisfactionem peccata noſtra expiâſſe.

ESt prætereà in hac Chriſti & ſummi legalis Sacerdotis collatione conſiderandũ, quod quemadmodum Pontifex ille antiquus hoſtias quidem in anniverſario illo ſacrificio extra Sancta ſanctorum mactare debebat, nec antequàm eas mactâſſet illuc ingredi poterat: hoſtiarum tamen ipſarum ante mactatarũ ſanguinem in ipſa Sancta ſanctorum debebat inferre ibique expiationem iis hoſtiis faciendam peragere: Sic Chriſtus hoſtiam quidem pro peccatis noſtris ſeipſum mactandum tradere debuit, antequàm in cœlum ingrederetur: Cæterum ſeipſum ſimiliter poſtmodùm in ipſum cœlum debuit inferre, ibique coram Deo pro nobis ſiſtere & peccatorum noſtrorum expiationem peragere. Ex quo perſpicuum eſt, alia prorſus ratione, quàm per ſatisfactionem, peccata noſtra à Chriſto expiata fuiſſe. Si enim per ſatisfactionem ea expiâſſet, quid opus fuiſſet, ad expiationem hanc peragendam, ſeipſum in cœlum inferre? Certè, ſi ſatisfactio ulla divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris à Chriſto fuiſſet exhibita, ea ante ipſius ingreſſum in cœlum, imò ante ipſam à mortuis reſurrectionem, ſtatim poſt ipſam mortem peracta fuiſ-

ſet. Non enim reſurrectione, non aſcenſu in cœlum, non denique ſeſſione ad Dei dextram ſed violenta morte & cruciatibus, quos pro nobis Chriſtus ſuſtinuit, eum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe (ſi modò eum ſatisfeciſſe verum eſſet) neceſſe foret. Id quòd uno ore omnes confirmant, qui ſatisfactionē iſtam aſſerunt, dum ad eam ſtabiliendam, nihil aliud quàm Chriſti mortem perpeſſionesque, & quid de illis in Sacris literis ſcriptum eſſe contendant, in medium afferunt. Verùm quia Chriſtus, ut ſuprà dictum eſt, non per ſatisfactionem divinæ juſtitiæ pro peccatis noſtris exhibitam illa expiavit, ſed per divinæ voluntatis patefactionem, perque vitæ æternæ ſupremæque illius poteſtatis adeptionem, propterea conſentaneum ſeu potiùs neceſſarium ad expiationem hanc peragendam fuit, ut ipſe in cœlum ingrederetur. Neque enim ante vel divinam voluntatem nobis plenè patefecit, vel ipſe æternam vitam ſupremamque illam poteſtatem reverâ eſt adeptus, quam à mortuis excitatus cœlos conſcendit, ibi perpetuò manſurus. Et ſic apparet, quomodo rectè conſtet inter Chriſtum & legalem Pontificem ſimilitudo ante expoſita, quàm idcircò plærique alij vel aſſecuti non ſunt, vel certè non ſatis perpenderunt, quia perſuaſiſſimum illis fuit, *expiare peccata*, idem eſſe, quòd pro illis divinæ juſtitiæ ſatisfacere; aut certè, ſine ſatisfactione iſta peccatorum noſtrorum expiationem conſiſtere non poſſe, omninò crediderunt. Itaque ſtatuerunt, in expiandis peccatis noſtris neceſſe eſſe, jure

quodam

quodam Deum ad illa nobis non imputanda quodammodo adigere, & ita expiationem, quatenus etiam ea ab ipſo Deo proficiſcitur, aliqua ratione nobis aliunde comparatam fuiſſe. Quod tamen longè aliter ſe habet, cùm ad expiationem peccatorum noſtrorum, quæ nihil aliud eſt, quàm ab ipſorum pœna & reatu liberatio, nobis concedendam nihil Deum movere jure poſſit, præter ipſius voluntatem ac puram liberalitatem. Nam quæ pro expiandis peccatis noſtris quocunque modo fiunt, ea non Deum ipſum, ſed nos reſpiciunt: vel quia nos ad divinam liberalitatem jam nobis oblatam amplectendam movent: vel quia inde fit, ut divinæ liberalitatis effectus ad nos manet, quemadmodum ex iis, quæ ſuprà diſputata ſunt, intelligi poteſt. Adeò autem verum eſt, peccata noſtra, antequàm Chriſtus in cœlum ingrederetur, ab ipſo expiata non fuiſſe, ut etiam, poſtquàm cœlum eſt ingreſſus, expiare adhuc, & quidem in perpetuum, noſtra peccata dicatur. Qua pariter in re, ſimilitudo inter ipſum & legalem Pontificem apparet. Siquidem is quoque, poſtquàm in Sancta ſanctorum ingreſſus fuerat, continenter ac perpetuò, dum ibi erat, populi peccata expiabat, in hoc tantùm Chriſto diſſimilis, quòd ipſe ad breviſſimum tempus in Sacrario illo manebat: Chriſtus verò per omne ævum in cœlis manſurus eſt. Jam verò Chriſtum, poſtquàm in cœlis eſt, expiare & quidem in perpetuum peccata noſtra, ex teſtimoniis, quæ mox afferentur, abundè conſtabit. Sed priùs explicandum eſt,

 quid

quid ſit iſta expiatio. Neq; enim Chriſtus in cœlis manens, ideò expiat peccata noſtra, quòd vis atque efficacitas expiationis ab ipſo in cruce (ut plærique credunt) peractæ perpetuò duret: Sed, quia is, ad Dei dextram in cœlis collocatus divinæ liberalitatis nos perpetuò admonet, ad eamq; amplectendam jugiter movet, & ſumma poteſtate ſibi à Deo in cœlo & in terra conceſſa, à divina ira, quæ de cœlo
Rom. 1.18. identidem adverſus impios & peccatores ex-
2. Theſ. 1. 8.9. eritur, & in die illa extrema adverſus omnes ſimul cumulatiſſimè exeretur, nos & ſervat & ſervaturus eſt. Leguntur apud auctorem epiſtolæ ad Hebræos hæc verba de Chriſto cap. 2. 17. 18. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret* (ſive eſſet) *& fidelis pontifex, in iis quæ apud Deum, ad expiandum peccata populi. Nam ex quo contingit tentatum eſſe, poteſt & iis qui tentantur, auxiliari.* Ex his verbis planiſſimum fit, Chriſtum, poſtquàm paſſus eſt, expiare peccata noſtra. Ideò enim paſſus fuiſſe dicitur, ut per ea, quæ paſſus eſt, fieret miſericors & fidelis in noſtris peccatis expiandis. Quod certè minimè dici potuit, ſi Chriſti expiatio, quæ adhuc durat, vis atque efficacitas eſt expiationis, quæ jam in cruce peracta fuerit. Qua enim obſecro Chriſti miſericordia aut fidelitate opus eſt, ad vim atque efficacitatem iſtam producendam aut nobis impertiendam? Nonné, ſi expiatio in cruce eſt peracta, ex eo ipſo perpetuò vis atque efficacia iſta per ſe manat? Nonné, ut eam nos participemus, nihil aliud requiri, iſti ipſi, cum

quibus

quibus nobis diſputatio eſt, confitentur, niſi ut illam eo modo, quo dictum eſt, peractam fuiſſe credamus? Igitur, ſi id credimus, jam iſtius expiationis effectum participamus, nec alia Chriſti ope ea ipſa in re præterea indigemus: ſin autem non credimus, nullum auxilium à Chriſto, in effectu iſtius expiationis conſequendo, ſperare poſſumus. At verò, Chriſtum eorum, qui ipſi confidunt adhuc peccata expiare, ex iis intelligi poteſt, quæ ab eodem auctore cap. 4. 14. 15. ſcripta ſunt in hunc modum: *Habentes ergò Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum filium Dei, teneamus confeſſionem. Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmatibus noſtris; tentatum autem per omnia juxta ſimilitudinem abſque peccato.* Hîc profectò, cùm Chriſtum tanquam Pontificem conſideret, qui confeſſionem tenentibus auxiliari poſſit, apertè docet, Chriſtum ſibi confidentium peccata expiare. Nam neque à Pontifice tanquam Pontifice aliud auxilium profiſcitur, quàm peccatorum expiatio; nec confeſſio illa in eo inveniri poteſt, qui Chriſto non confidat. Sed deinde ſubjungit, v. 16. *Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut conſequamur miſericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Ex quibus verbis ſatis intelligitur, quid ſit peccata noſtra à Chriſto etiamnùm expiari, nempe miſericordiam & gratiam ab ipſo vel per ipſum nos conſequi, ut opportuno auxilio non deſtituamur, id eſt, cum alij, qui fidem ipſi habere noluerint, meritas ſuæ contumaciæ pœnas dabunt,

 bunt,

bunt, nos ab omni pœna liberi ſimus. Hæc autem expiatio, quid, quæſo, cum ſatisfactione commune habet? Eſt autem obſervandum, hunc locum, in ſuperioribus illis verbis, v. 15. *Non enim habemus Pontificem* &c. eandem planè ſententiam continere, quam prior ex eadem epiſtola allatus locus continet, cap. 2. 17. 18. *Unde debuit per omnia* &c. Quamobrem, cùm ibi expreſsè de expiatione peccatorum agatur, hîc tacitè de eadem agi confitendum eſt. Rurſus, cùm hîc, quid ſit expiatio iſta, ſatis explicetur, eamque cum ſatisfactione nihil commune habere poſſe intelligatur, quid ſibi velint in ſuperiore loco verba illa, *Ad*

Hebr. 2. 17. *expiandum peccata populi*, atque in iis nihil de ſatisfactione dici, perſpicuè intelligi poteſt. Itaque vix dicere quiſquam poſſit, quàm turpiter erraverint illi, qui Italicè vel Gallicè ea verba interpretationibus ſuis novi Teſtamenti ita converterunt, ac ſi ad ſatisfaciendum pro peccatis populi ſcriptum eſſet. Sed ad rem redeundo, dico, de hac eadem, quæ in cœlis à Chriſto peragatur, peccatorum noſtrorum expiatione, locutum fuiſſe Joannem Apoſtolum, cum ait primæ epiſtolæ cap. 2. 1. 2. *Filioli, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Et ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem, Jeſum Chriſtum; & ipſe eſt expiatio pro peccatis noſtris; nec pro noſtris ſolùm, ſed etiam pro totius mundi.* Senſus enim Apoſtoli eſt, quòd, cum Jeſus Chriſtus, qui juſtus eſt, id eſt, fidelis & verax, in cœlo apud Patrem in dextera majeſtatis conſideat, ejus patrocinio ſuſtentamur

atque

atq; ſovemur,quicunq;tandē vel ad Euangelij prędicationē jam reſipuimus, vel reſipiſcemus unquam, &, quæ ille promiſit,nobis pręſtitum iri,certò ſtatuere poſſumus. Promiſit autem omnibus,ex ipſius præſcripto reſipiſcentibus, à peccarorum pœna perpetuam liberationē. Ergò nō eſt,ſi prædicta ratione reſipuerimus,cur peccata noſtra nobis imputatum iri vereamur, & ab ira Dei,quam ii,qui Euangelio non obediunt experientur,nobis unquam metuamus, à qua ipſe JeſusChriſtus potentia & auctoritate ſua nos perpetuò defendit & ita perpetuo noſtra peccata expiat. Hanc autem expiationem interpellationem quoq; apud Deum pro nobis nominârunt Sacri ſcriptores,ut ad Heb. 7.24.25. *Hic autem, eò quòd permaneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium: unde & ſervare ad plenum pòteſt accedentes per ipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro eis.* Quamvis enim Chriſtus, poſtquam in cœlum aſcendit, ſupremam poteſtatem habeat ſibi obedientes in perpetuum ſervandi: quia tamen illam à Deo accepit, quemadmodum, ut Dei prærogativam ſemper præ oculis habeamus, Sacerdotis munere in cœlis fungi dicitur, ſic Deum pro nobis,ut fidum & miſericordem Sacerdotem decet, præcari atq; orare eſt dictus. Sic etiam Paulus ad Romanos ſcribens ait, cap. 8. 33. 34. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat: Quis eſt qui condemnet? Chriſtus Jeſus qui eſt mortuus, imò qui & reſurrexit: qui etiam eſt ad dexteram Dei,qui etiam interpellat pro nobis.* Ex quibus Pauli verbis

 ſatis

ſatis conſtare videtur, Chriſti quidem mortem nobis ſpem facere ſalutis noſtræ, quatenus Chriſti ipſius charitatem erga nos ſummam oſtendit, qui futurus eſt omnium judex, & à quo ſalus nobis exſpectanda eſt; nec ſine ipſa Chriſti morte nobis abſolutionem à peccatis noſtris, quæ reipsâ nihil aliud quàm vita æterna eſt, contingere potuiſſe, non obſcurè docent: Cæterùm ipſius mortis vi, expiationem peccatorum noſtrorum peractam minimè fuiſſe, demonſtrant. Nam quid aliud nobis declarant ea verba, *imò qui & reſurrexit*, quàm, reſurrectione Chriſti non conſecuta, nihil nobis Chriſti mortem profuturam fuiſſe, ut alibi ex ejusdem Apoſtoli verbis apertè colligitur. 1. Cor. 15.14.17. quod tamen abſurdum planè eſſet, ſi per Chriſti mortem expiatio peracta fuiſſet. Sed nec reſerrexiſſe quidem Chriſtum ſatis futurum docent Apoſtoli verba: *Qui & eſt ad Dexteram Dei, &c.* Neceſſe enim fuit ad hoc, ne nos condemnaremur, (nam hac de re manifeſtè ait Paulus) quod idem eſt, atque ut noſtra peccata expiarentur, neceſſe fuit, inquam, ut Chriſtus poſtquàm reſurrexit, in cœlum transferretur, ibique ſupremam gloriam & poteſtatem adipiſceretur; ex quo conſequitur, eum pro nobis apud Deum continenter interpellare, id eſt, ut dictum fuit, auctoritate & potentiâ iſtâ à Deo traditâ nos à cunctis malis ſemper liberare, & ita peccatorum noſtrorum perpetuam expiationem facere. Aliis tamen in locis non paucis, Chriſti reſurrectionis nomine, ejus ſimul gloria & poteſtas illa ſumma intelligi-

telligitur, ut quando idem Paulus ait, Rom. 4-25. Chriſtum traditum eſſe propter peccata noſtra, & reſurrexiſſe propter juſtificationem noſtram. Unde etiam perſpicitur, juſtificationem noſtram, id eſt, abſolutionem à peccatis noſtris, ſive peccatorum noſtrorum expiationem, non a morte Chriſti reverâ, ſed ab ejus glorioſa reſurrectione proficiſci. Traditus eſt quidem Chriſtus propter peccata noſtra, id eſt, peccatorum noſtrorum causâ, niſi enim fuiſſent peccata noſtra, nihil opus fuiſſet eum crucis mortem ſubire, quâ ad peccata noſtra delenda via patefieret: ſed reſurrexit deinde, hoc eſt, à mortuis excitatus ad ſupremam gloriam & poteſtatem eſt perductus, propter noſtram juſtificationem, id eſt, ut nos vitâ æternâ ab ipſo donaremur, quâ vitâ peccatorum noſtrorum abſolutio & expiatio, juſtificationis noſtræ nomine, ut dictum eſt, ſignificata, planè continetur. Certiſſimum igitur eſſe poteſt, quemadmodum dictum eſt, ipſius Chriſti mortis vi non fuiſſe reverâ expiata peccata noſtra; quod tamen neceſſe eſſet, ſi per ſatisfactionem pro ipſis divinæ juſtitiæ exhibitam ea à Chriſto expiata fuiſſent. Imò certiſſimum eſſe debet, antequàm Chriſtus in cœlum poſt reſurrectionem ſuam ingrederetur, peccata noſtra non fuiſſe expiata; idque adeò verum eſt, ut Chriſtus in cœlis manens perpetuò reipsâ expiare peccata noſtra dicatur. Ex quo apparet, nihil dubitari poſſe, quin Chriſti oblatio in ipſo cœlo peracta fuerit, quemadmodum à nobis ſuprà diſputatum eſt. Ubi enim expiatio

 fit,

ſit, ibi oblationem quoque fieri planè neceſſarium eſt. Sed dicèt aliquis: Quomodo, ſi, ut affirmas, expiatio peccatorum noſtrorum adhuc à Chriſto fit, dictum eſt multis in locis, expiationem iſtam jam factam fuiſſe, & Chriſtum jam peccatorum noſtrorum purgationem per ſeipſum feciſſe? Heb. 1. 3. 10. 12. &c. Reſpondeo, ita ſcriptum eſſe, quia expiationis modus, jam inde ex eo, quòd Chriſtus ex mortuis reſurgens, in ſuam gloriam intravit, perfectus fuit, id eſt, id factum fuit, unde & nos ad oblatam à Deo delictorum noſtrorũ veniam amplectendam movemur; & Chriſtus nobis eam veniam reipsâ dandi, id eſt, nos ab omnibus pœnis peccatis noſtris debitis, liberandi poteſtatem habet. Ex quibus deinde perpetuò ipſa expiatio ad nos manat, & manatura eſt.

Refut. Cap. XXVIII.

De aliis ſimilitudinibus inter legalem Sacerdotem & Chriſtum, ex quibus intelligi poteſt Chriſtum aliâ ratione, quam per ſatisfactionem peccata noſtra expiaſſe.

QUemadmodum Pontifex antiquus hoſtiarum mactatarum ſanguinem ſacrario inferebat, ut oblationem & expiationem iis hoſtiis faciendam perageret, ita Chriſtus cum mactatâ & oblatâ ſuâ hoſtiâ, quâ peracta noſtra in terris expiatio (ubi enim oblatio fit, ibi quoque neceſſe eſt factam eſſe expiationem, cum ſit effectus ex oblatione immediatè reſultans)

tans)in cœlum ingredi debuit, ut ſe coram Deo pro nobis ſiſteret, & expiationem cruenta oblatione factam, perpetuâ interceſſione nobis applicaret, ut ſupra cap. 24. dixi, non Chriſti oblatio, reſpondet oblationi & expiationi Pontificis, quæ in ſacrario fiebat, ſed Chriſti interceſſio, quandoquidem Scriptor ad Hebr. ni fallor non dicit, oblationem Chriſti, aut factam eſſe, aut fieri in cœlis, ſed interceſſionem & apparitionem, per quam fit, ut effectus oblationis & expiationis factæ ad nos manet, comparatione inter Pontificem legalem & Chriſtum, ita ut fieri debet inſtitutâ. Audiamus argumentationem, quâ contra expiationem ſatisfactoriam, à ſe concluſum putat. *Si per ſatisfactionem expiaſſet ingreſſus in cœlum ad expiationem peragendam ſupervacuus fuiſſet: At non fuit ſupervacuus ingreſſus, ergo per ſatisfactionem non expiavit.* Ita ſe habet adverſarij Enthymema in formam Syllogiſmi redactum, aut fallor. Majoris conſequentiam Proſyllogiſmo firmat. Si facta ſatisfactio ante ingreſſum in cœlum, imò reſurrectionem ipſam, non reſurrectione, non aſcenſu in cœlum, non ſeſſione ad Dei dextram, ſed violentâ morte peracta eſt. Veriſſimum eſt quod hoc Proſyllogiſmo continetur, ſatisſactionem morte conſummatam fuiſſe. Veruntamen infirma majoris conſequentia ingreſſum in cœlum ad expiationem peragendam ſupervacuum, ſupervacuus quidem ad expiationis impetrationem, non ad applicationem. Hæc adverſarij collectio ejusdem eſt genij cum illâ cap. 18. Prælect. ſect. 3.

Si

Si Chriſtus morte ut ſatisfactoriâ peccata delevit, reſurrectio ad ea delenda ſupervacanea. At reſurrectio non eſt ſupervacanea, mors ergo ut ſatisfactoria non delevit peccata. Eo loco dixi Prælectorem non exiſtimare Chriſti reſurrectionem aliter delere peccata, quam quia per eam fit ut deletionis peccatorum actu & reipsâ participes fiamus, & effectu ipſo eam conſequamur, ita hic docet Chriſtum ingreſſum in cœlum, ad expiationem peragendam, non eo ſenſu quaſi ante ingreſſum peccata noſtra expiata & deleta non eſſent, ſed quia plenam & perfectam cognitionem ejus rei per ingreſſum Chriſti in cælum adepti ſumus, & fides nobis facta eſt divinæ voluntatis atque benignitatis peccata noſtra expiantis. Priori cap. prælectionem hanc audivimus. *Quatenus enim Dei erga nos voluntatem omnem in ipſo expreſſam vidimus, declaratum nobis apertiſſime eſt, remiſſa & deleta eſſe peccata.* Jam verò, quamvis deleta & expiata eſſent peccata ex ſententia Socini antequam moreretur reſurgeret, aut in cœlum ingrederetur, exiſtimat tamen conſentaneum & neceſſarium, ut moreretur reſurgeret, & cœlum ingrederetur ad expiationem peragendam id eſt factam plenè patefaceret, nos ad oblatam amplectendam moveret, faceretque ut divinæ liberalitatis & expiationis effectus ad nos manaret. Quare licet etiam iis qui ſatisfactionem defendunt dicere, poſt peractam ſatisfactione expiationem, Chriſti ingreſſum in cœlos, & coram Deo apparitionem perpetuam neceſſariam, ut expiationis factæ

factæ reipſa participes fieremus, id enim cum ipsâ ſatisfactione conſiſtere poſſe oſtenſum arbitror. Cum de ſatisfactione c. 17. ageretur.

Subjicit, quo ſimul confirmatur, quod mox recenſebam. *Nam quæ pro expiandis peccatis noſtris, quocunq; modo fiunt, ea non Deum ipſum ſed nos reſpiciunt: vel quia nos ad divinam liberalitatem jam nobis oblatam amplectendam movent: vel quia inde fit ut Divinæ liberalitatis effectus ad nos manet.* Hæc δὶς διὰ πάσων à veritate diſcre- plurimum pant. Omne ſacrificiorum genus, quodcunque unquam fuit Dei cultus eſt, oblatio eſt omne id quod Deo in cultum exhibetur. Sacrum expiatorium tum apud Judæos Deo vero, tum apud gentes prophanas fictitiis numinibus exhibetur, adeo ut quæcunque facta fuerunt unquam pro expiandis peccatis, ea non homines ſed Deum ipſum reſpiciunt. Oblationes non hominibus ſed Deo fiunt; tota lex Moſaica pro nobis pronuntiat. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumtus pro hominibus conſtituitur.* τὰ πρὸς τὸν in iis quæ apud Deum θεὸν, Ut offerat donaria & victimas pro peccatis, non dicit conſtitui ὑπὲρ θεοῦ τὰ πρὸς τὸν ἀνθρωπον, non pro Deo in iis quæ apud homines quicquid Chriſtus pro expiandis noſtris peccatis facit, agit oblatione & interceſſione. Utraque actio Deum reſpicit, atque eum pro objecto habet. Chriſtus ſe offert Deo & intercedit apud Deum. Ex iſtis ſacerdotalibus functionibus proveniunt beneficia quæ nos reſpiciunt, peccatorum remiſſio, Spiritus gratiæ impetratio, alia. Neque ſacerdotij & ſacrificij Chriſti beneficia & effectus aliter ad

nos

nos promanant, quàm quâ ſacerdos noſter ſacrificium ſuum Deo offert, & apud Deum agit ut tota Epiſtola ad Heb. teſtatur, quæ omnem ſacerdotis actionem circa Deum verſari dicit.

Pergit. *Neque enim Chriſtus in cœlis manens, ideo expiat peccata, quòd vis atque efficacitas expiationis, ab ipſo in cruce peracta perpetuò duret.* Ut Sophiſma quod in his verbis latere poſſit removeamus. Dico in duplici ſenſu hæc verba accipi poſſe. Primò ut intelligas actum illum Chriſti in cœlo expiantis nihil dicere, præter perpetuam & æternam efficacitatem expiationis in cruce peractæ: hoc ſenſu falſum eſt Chriſtum in cœlo expiare peccata noſtra. Secundò ſi intelligas expiationẽ illam peccatorum, quæ nobis ſemper durante Chriſti interpellatione procuratur inniti æternæ efficacitati expiationis ſemel factæ, verum erit effatum hoc. Hoc premiſſo facile adverti poteſt, nihil contra nos facere, quod in fine. 2. c. ad Heb. legatur, *Chriſtũ debuiſſe per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret (ſive eſſet) & fidelis pontifex ad expiandum peccata populi.* Hæc expiatio Chriſti ſacerdotis interceſſione procuratur ad quam pro nobis obeundam, propenſiſſima Pontificis noſtri miſericordia, & conſtans fidelitas requirebatur, & in omnibus neceſſitatibus noſtris animus ad auxiliandum promtus & exercitatus. Neque enim vis expiationis ad nos promanare poterat niſi interveniente Chriſti interceſſione, & ut eam participaremus, non tantùm fides noſtra, ſed perpetua Chriſti coram Deo comparitio requirebatur.

Dixerat

Dixerat Socinus paulo ante, *hanc inter Chriſtum & legalem Pontificem ſimilitudinem quoque eſſe, quod ſicuti ille poſtquam in Sancta Sanctorum ingreſſus fuerat, continenter ac perpetuò, dum ibi erat, populi peccata expiabat, ita Chriſtum in cœlis exiſtentem in perpetuum peccata noſtra expiare.* Iſti rei demonſtrandæ variorum teſtimoniorũ machinas adhibet, quâ demonſtratione adverſus confitentes non eſt opus. Agnoſcimus, docemus Filium Dei, propterea quod in æternum manet, perpetuum habere ſacerdotium, eundem ſemper vivere ad interpellandum pro nobis, quâ reſponſione contentus eſſe poſſum, atque eatenus admitto quæ producuntur ad teſtimonia illa Heb. 2. 17. 18. Heb. 4. com. 14. 15. & ex priori Epiſtol. Joh. c. 2. com. 1. 2. Rom. 8. 33. Illa Johan verba *& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, refert Socin. ad potentiam & authoritatem quam Chriſtus accepit ad Dei dextram collocatus, potius dicendum ratione mortis Chriſtum hic *ἱλασμὸν* dici. Propitiationem Quando Chriſtus dicitur *pax noſtra eſſe* Eph. 2. 14. pacẽ feciſſe ibid. v. ſequente & col. 1. 20. *& nos dicimur Deo reconciliati* Rom. 5. 10. 2. cor. 5. 18. 19. quæ admodum iſti voci ſunt affinia, ad mortem & ſanguinem Filii Dei reſpicitur. Locus alter ejuſdem Epiſtolæ manifeſtè deſignat propitiationem morte factam, quod indicat commemoratio inſignis & maximæ dilectionis Dei & miſſionis Filii quæ paſſim facta commemoratur in hunc mundum, in quo mortales degunt. Quamquam verò Chriſtus apud Patrem degens advocatus noſter ſit, & cauſam

noſtram

noſtram ſuſcipiens patrocinio ſuo tueatur, id nequaquã ſuadet Chriſtum hic ἱλασμὸν dici ratione ſacerdotalis in cœlo functionis, cum hæc verba decẽtiſſimè & eleganter nobis ob oculos ponant, cui rei advocati noſtri cœleſte patrociniũ innitatur. Porro quamquã verum ſit, Chriſtum in ſalutem noſtram ſuſcitatum eſſe, idq; in citato illo ad Rom. 8. inſigni teſtimonio doceatur id tamen verba prę ſe non ferunt conſilium Apoſtoli eſſe docere, nihil nobis Chriſti mortẽ profuturam ſine Chriſti reſurrectione. Neque ſi id iſtis verbis docuiſſet Apoſtolus, abſurdum id eſſet, poſito quod per Chriſti mortem peccatorum noſtrorum expiatio peracta fuiſſet, quemadmodum Socinus hic eſt argumentatus, & ante hac eadem fere ratione aliquoties. In ejuſdem teſtimonii tractatione, dicit nos non condemnari idem eſſe, quod peccata noſtra expiari. Qui non ſolent niſi bene probatis aſſentiri, nudis aſſertionibus aſſenſum non præbent ſuum. Eodem modo ſpeculationes ſuas adfert ad illa Pauli Rom. 4. 25. ubi juſtificationem noſtram, peccatorum expiationem, & vitæ æternæ collationem confundit. Sæpius promiſit Chriſtus in ſe credentibus æternam vitam, & quod eos reſuſcitaturus ultimo die, nunquam tamen quod eorum peccata tum expiaturus ſit, id apud Sanctos Apoſtolos inauditum. Mirari etiam poſſes, quod hic ſcribat *traditum Chriſtum propter peccata noſtra*, niſi enim inquit fuiſſent peccata noſtra, nihil opus fuiſſet, eum crucis mortem ſubire, cum ejus confeſſio ſit cap. ſequenti edita, *Chriſtum non*

tantum

tantum pro nobis, ſed pro ſeipſo quoque obtuliſſe, & ex ejus doctrinâ neceſſarium fuerit, Chriſtum ratione ſui difficillimam illam & laborioſam crucis viam ingredi, ut ad perpetuam immortalitatem veniret. Nam non tantum nobis neceſſarium fuit, Chriſtum viam illam ingredi, quam nos docuit, ad obtinendam æternam vitam, verum etiam ipſi Chriſto ex mente Socin. quamquam dum eam ingreſſus fuit viam, ſuo ſimul exemplo eam nobis præmonſtravit, dum præcurſoris veſtigiis preſſit & ſignavit, & non tantum ſibi æternam vitam adeptus ſit, ſed poteſtatem etiam aſſecutus ſit alios eàdem æternâ vita donandi. Quapropter hæc ejus opinioni & dogmatis non ſatis conſona, omnem mortis Chriſti neceſſitatem in peccatis noſtris collocare.

Ex eo quod Chriſtus in cœlis peccata expiet, malè concludit, ejus oblationē in cœlo peractam. Axioma illud, *ubi expiatio fit, ibi oblationem quoque fieri planè neceſſarium eſt*, ambiguum eſt. Ubi expiatio fit per interceſſionem, ibi oblationem quoque fieri falſum. Expiatio quę offerendo fit non facta in cœlis, neque perpetuò, fit. Hoc ſi verum eſſet, Chriſtus ſemper offerret & offerre eum oporteret uſque ad ultimum judicii diem, quemadmodum eum regnare oportet, uſquequo omnes inimicos ſubjecerit pedibus ſuis id affirmant adverſarii. Crell. *προσφορᾶς ſeu oblationis nomen, propriè ipſam rei antea abſentis exhibitionē & ut ita dicam præſentandi actum denotat, ideoque primò ſignificat Chriſti ad Deum acceſſum, & primam illam*

ſui ipſius exhibitionem, ac coram vultu Dei apparitionem, conſequenter illius apparitionis durationem, & rei ſemel exhibitæ præſentiam continuatam. Itaque cum ſemel res actu ipſo exhibetur ac præſens ſiſtitur, ſemel oblata dicitur, etiamſi oblata perpetuò eodem in loco permaneat: Unde & oblatio perpetua dici poteſt. Habet autem ideo Chriſti ad Deum acceſſus, & prima apparitio ſingularem cum legali oblatione convenientiam, adeoq; nomen hoc oblationis magis ſortitur, quia Chriſtus hac viâ poteſtatem obtinuit illam, unde perfecta peccatorum noſtrorum remiſſio pendet. Verum enimvero clariſſimis Epiſtolæ ad Heb. oraculis hæc redarguuntur. *Semel ſemet ipſum obtulit* Heb. 7. 27. *Seipſum obtulit immaculatum Deo* Heb. 9. 14. *ſemel oblatus eſt* Heb. 9. 28. *hic unâ pro peccatis oblatâ victimâ conſedit ad dextram Dei.* Hæc pugnant cum adverſariorum dictis adverſis frontibus, & tam albo nigrum applicari poteſt, quàm hæc illis. Apoſtolus de oblatione ut re præteritâ ſemper loquitur, neq; unquam aliter. Miræ & ſtupendæ ſunt hæc verborum tegnæ. Dicitur unâ pro peccatis oblatâ victimâ conſediſſe ad dextram Dei. Quis non ex iſtis judicet, non amplius fieri oblationem? Quis credat ſeſſionem illam ad dextram Dei, eſſe continuatam oblationem? Quidlibet licebit de quovis facere, ſi hoc ſit interpretari. Perverte Apoſtoli dictum, verum tamen juxta hos interpretes dixeris. Poſtquam conſedit ad Dei dextram offert ſe in perpetuum. Chriſtus ſemper offertur, ut attollat peccata multorum, & ſecundò cum peccato conſpicietur

iis, qui ipſum expectant ad ſalutem, Chriſtus enim offeretur donec veniat ad judicandum vivos & mortuos, & inimici ejus ponantur ſcabellum pedum ejus; nam non alius finis oblationis, quàm regni his dogmatiſtis; imò tum imprimis demum offeret Chriſtus, cum mortuos ſuſcitabit, firmat Crell. pag. 541. *Licet hac perpetua Chriſti apud Deum exiſtentia, cum ſalute eorum, qui graviſſimè in Deum peccaverant, cura conjuncta, oblationis nomen conſequenter tantùm videatur ſortiri: ſuâ tamen naturâ effectui illi; cui oblatio propriè deſtinata eſt, h. e. remiſſioni peccatorum, ſeu à pœnis liberationi propior eſt, & ſuâ naturâ ad eum plus confert.* Ego malim clariſſimis Apoſtoli pronuntiatis tutâ fide inhærere, quam in iſtiuſmodi proprij intellectus commentis vectari. Apparitio eſt actio perpetua & durans de eâ ut perpetuâ & durante loquitur Apoſtolus, *ſemper vivens ut interpellet pro eis*, de oblatione nihil tale. Prima apparitio inquit Crell. verbis ſuperioribus, *nomen oblationis magis ſortitur, quia Chriſtus hac via poteſtatem obtinuit illam, unde perfecta noſtrorum peccatorum remiſſio pendet.* Quomodo verò offerendo obtinuit illam poteſtatem, cum ex veſtrâ ſententiâ neceſſe ſit prius obtinuiſſe poteſtatem illam quam offerret; nam offerre ut antea audivimus eſt velle curare ſalutem noſtram, nobisq; ſubvenire per regiam poteſtatem aliunde acceptam; prius igitur obtinuit Chriſtus poteſtatem illam, quàm offerret. Poteſtas illa regia eſt ſacerdotium, & Chriſtus non prius ſacerdos fuit, quàm poteſtatē illam

 haberet:

haberet: offerre ergo non potuit, ut obtineret illam poteſtatem, ſed obtinens obtulit, alioqui prius obtuliſſet, quàm ſacerdos eſſet, quod repugnat; prius enim oportuit ſacerdos eſſet quàm offerret, quemadmodum res ipſa loquitur.

Cap. XXIX.

Quod Chriſtus non pro nobis tantùm, ſed pro ſeipſo quoque obtulerit. De diſſimilitudine quadam inſigni inter legalem Pontificem & Chriſtum. Quid ex ſola ipſa adumbratione Chriſti perſonæ, in pontificis legalis perſona colligi poſſit, breviter indicatum. Et concluſio hujus de ſacrificiis tractationis.

VErùm alia prætereà inter Chriſtum & legalem Sacerdotem ſimilitudo eſt, eaque maximi momenti, quàm à pauciſſimis animadverſam fuiſſe conſtat, & tamen ea ab Auctore epiſtolæ ad Hebræos clariſſimis verbis non ſemel expreſſa invenitur. Ea autem eſt, quòd, ſicut Pontifex legalis non minùs pro ſe quàm pro populo offerebat: ita & Chriſtus non minùs pro ſeipſo quàm pro nobis obtulit. Videbitur, non dubito, prima fronte, impia & blaſphema hæc ſententia noſtra, tanquam ex ea concludi neceſſe ſit, Chriſtum peccâſſe, quem ſacræ literæ innocentiſſimùm fuiſſe teſtantur: Atqui multò aliter res ſe habet. Nam obtulit quidem Chriſtus pro ſeipſo, non tamen pro peccatis ſuis, quæ nulla eum habuiſſe certum

tum eſt, ſed pro infirmitate ſua, quatenus videlicet, dum hîc ageret, mortalis & patibilis erat, à qua ut liberaretur, non ſecus ac nobis illi opus erat, & niſi ab ea ipſe liberatus fuiſſet, ne nos quidem umquam liberati fuiſſemus. Sed præſtat, epiſtolæ ad Hebræos hac de re teſtimonia expendere.

Igitur poſtquàm ſcriptor ille ad finem capitis quarti dixiſſet, Chriſtum poſſe compati infirmitatibus noſtris, quia tentatus fuerit per omnia abſque peccato, capite deinde quintò, huc reſpiciens, hæc verba ſubjunxit. v. 1. 2. 3. 4. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant & qui errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & proptereà debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Nec quisquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aharon.* Voluit Apoſtolus, (ut ex dictione *namque* intelligi debet) rationem eorum reddere, quæ anteà dixerat, Chriſtum ſcilicet, quem Pontificem vocaverat, poſſe compati infirmitatibus noſtris, quia & ipſe tentatus fuiſſet, &c. id eſt, quia & ipſe iisdem infirmitatibus, ſine peccato, circircumdatus fuiſſet, & proptereà ait, hoc mirum videri non debere. Nam Pontifex quoque ipſe legalis, in quo Chriſtus adumbratus fuit, infirmitate non minùs quam populus circumdatus erat, adeò ut pro ſeipſo non minùs, quàm pro populo illi offerendum eſſet. Et addit, in ſacerdotio illo Hebr. 4. 15.

 ſummo

ſummo legali, neminem propria auctoritate ſibi munus illud ſumpſiſſe, ſed eum, qui vocatus fuiſſet à Deo, ut Aharon; ex quo deinde ad ipſius familiam honor ille propagatus fuit. Itaque præter id, quod dixerat, Pontificem illum legalem infirmitate circumdatum fuiſſe; qua in re Chriſtum fuiſſe illi ſimilem, ex iis, quæ ſuperiore capite ſcripſerat, perſpicuum erat, duo commemorat, quæ in Pontifice illo eſſent, & in Chriſto ſimiliter fuerint. Unum, quòd pro ſeipſo non minùs quàm pro populo offerret. Alterum, quòd à Deo ad munus illud vocatus eſſet. Et in priore quidem Chriſtum ſimilem legali Pontifici fuiſſe, ex antedictis, exque jam inter ipſos conſtituta illa prima ſimilitudine neceſſariò conſequebatur. Nam ſi legalis Pontifex, qui & ipſe circumdatus erat infirmitate, debebat, quemadmodum pro populo, ſic etiam pro ſeipſo offerre; certè cùm jam conſtitutum fuerit, Chriſtum & ipſum infirmitate circumdatum fuiſſe, ſequitur omninò, ipſum quoque pro ſeipſo offerre debuiſſe. In poſteriore verò de ſimilitudine inter utrumque nondum conſtabat; propterea fortaſſe, quod poſteriùs propoſitum fuerat, priùs exequitur, inquiens verſu 5. 6. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret, ſed qui eſt locutus ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedec.* Poſteriore autem ſimilitudine explicata, ſtatim priorem explicat his verbis: v. 7. 8. 9. 10. *Qui in diebus carnis ſuæ, preces*

ſuppli-

ſupplicationesque ad eum qui poterat ipſum ſervare à morte, cum clamore valido & lachrimis offerens; & ex auditus pro reverentia, (vel potiùs *ex metu* :) *Et quamvis filius eſſet, didicit ex iis, quæ paſſus eſt obedientiam : Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, cognominatus à Deo Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedec.* Quis negare poteſt, in his verbis omninò affirmari, Chriſtum pro ſe ipſo obtuliſſe? Quid enim eſt aliud, offerre preces & ſupplicationes ad eum, qui poſſit ipſum liberare à morte, quàm pro ſua à morte liberatione, pro ſeipſo, inquam, à morte liberando offerre? Aut cur iſta hîc dicuntur, niſi, ut propoſita, illa Chriſti cum legali ſacerdote ſimilitudo de offerendo, quemadmodum pro populo, ſic etiam pro ſeipſo explicetur, & veriſſima eſſe demonſtretur? Cæterùm animadvertendum eſt, liberationem iſtam à morte, pro qua ſibi comparanda obtulit Chriſtus, non fuiſſe liberationem à crucis morte, quia ſcilicet Chriſtus Deum precatus fuerit, ne ſibi crucis mors ſubeunda eſſet, quod illum feciſſe videntur tres priores Evangeliſtæ ſcriptum reliquiſſe, cùm narrant, eum jam jam in eorum, qui ipſum mox crucifixerunt, manus tradendum, patrem precatum fuiſſe, ut à ſe tranſiret calix ille. Non eſt, inquam, hic locus cum illis Evangeliſtarum locis conjungendus, quaſi utrobique eadem ſit ſententia. Certum eſt enim hîc Chriſtum à morte, à qua ſe liberari ſupplex orabat, liberatum etiam fuiſſe. Apertè enim dicitur, ipſum fuiſſe exauditum : At verò ab

Matth. 26. 39. 42. 44. Mar. 14. 35. 36. 39. Luc. 22. 42.

ipſa crucis morte, à qua, ut liberaretur, eum orâſſe, Evangeliſtæ dicere videntur, non fuit liberatus Chriſtus, id eſt, crucis mortem planè ſubiit. Hæc igitur liberatio à morte, de qua hîc agitur, non eſt liberari à morte crucis ſubeunda; ſed à mortis vinculis ſolvi, id eſt, in morte non remanere, verùm poſt mortem in vitam revocari, eamque perpetuam atque immortalem. Quamquam, quidquid prima fronte Evangeliſtarum verba ſignificare videantur, valdè apud me dubium eſt, utrum Chriſtus patrem ulla ratione rogaverit, ut crucis mortem ſubire non cogeretur. Etenim cum Chriſtus, ut ipſe ait, ſemper à Patre exaudiretur, Joh. 11. 42. Luc. 22. 43. veriſimiliùs mihi fit, eum rogâſſe, ut diſcederet à ſe angor ille & animi & corporis graviſſimus, quem Lucas præcipuè deſcribit, à quo etiam liberatus fuit. Nam præterquàm quòd, ut idem Lucas ait, v. 43. *apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum*, is etiam, qui prius expaveſcebat, & graviter angebatur, Marc. 14. 33. precibus abſolutis alacris ad mortem ivit. Sed ad propoſitum redeo.

Satis ut arbitror demonſtratum eſt, Chriſtum non ſolùm pro nobis, ſed pro ſeipſo quoq; à morte liberando obtuliſſe. Mortis autem nomine, non ipſam mortem tantùm, vel potiùs mortalitatem, ſed calamitates quoque & afflictiones intelligo, & breviter, univerſam (ut ita dicam) patibilitatem, quæ omnia *infirmitatum* vocabulo apud Auctorem epiſtolæ ad Hebræos ſignificata ſunt; ut ſimilitudo iſta non

ſolùm

ſolùm pro populo ſed etiam pro ſeipſo offerendo, inter legalem Pontificem & Chriſtum, concinniùs explicaretur. Hac enim ratione oſtenditur, utrumque pro infirmitatibus non alienis tantùm, ſed etiam ſuis obtuliſſe. Nec quidquam ad ſimilitudinem convellendam pertinet, quòd utriusque infirmitates diverſæ fuerint, quodque Pontifex legalis pro ſuis peccatis offerret, Chriſtus non item. Namque, ut ſimilitudo conſtet, ſatis eſt, Chriſtum pro ſeipſo ejuſdem rei causâ obtuliſſe, cujus causâ pro aliis præcipuè obtulit. Sed dicet aliquis: Ergò cùm Chriſtus peccatorum noſtrorum causâ pro nobis obtulerit, ſequeretur, eum peccatorum etiam ſuorum causâ obtuliſſe. Reſpondeo, Chriſtum peccatorum quidem noſtrorum causâ pro nobis obtuliſſe, ſed non ut Deum ad ea nobis condonanda adduceret: verùm, ut nos à morte, quæ peccati pœna nobis erat, reipsâ, quemadmodùm Deus anteà decreverat, liberaremur, & immortales tandem efficeremur. Ex eo enim, quòd Chriſtus ſeipſum Deo obtulit, id eſt, ut ſupra explicatum fuit, ipſum cœlum ingreſſus eſt, ubi omnem poteſtatem & in cœlo & in terra eſt adeptus, neceſſariò conſecutum eſt, ùt omnes à morte liberandi, æternâque vitâ danandi poteſtatem acceperit perpetuam: Et porrò nos qui ipſius ſumus, immortali vita omninò aliquando ſit donaturus. Hac, inquam, ratione potiſſimùm, Chriſtus pro nobis peccatorum noſtrorum causâ obtulit. Quapropter cùm Chriſtus, ut demonſtratum fuit, pro ſeipſo à

morte liberando, proque æterna vita conſequenda obtulerit, nemo negare poteſt, Chriſtum quamvis ſuorum peccatorum cauſâ, quæ nulla habebat, minimè obtulerit: ejuſdem tamẽ rei cauſâ reipsâ pro ſe obtuliſſe, cujus cauſâ pro nobis obtulit. Adde, quòd mors ipſa & afflictiones à quibus ut ipſe liberaretur, Chriſtus obtulit, licèt is innocentiſſimus fuerit, figuratâ nec inſolenti loquendi ratione *Peccata* appellari poſſunt. Nam peccatorum pœnæ ſæpè in ſacris literis, ex conſuetudine Hebræi ſermonis, *peccata* nuncupantur; mors autem atque afflictiones, quamvis in Chriſto ipſo non fuerint, tamen peccatorum pœna eſſe ſolent. Hinc factum eſt, ut idem auctor epiſtolæ ad Hebræos, non ſolùm, ut vidimus, Chriſtum pro ſeipſo obtuliſſe dixerit, verùm etiam (id quod ſanè mirum videri poteſt) pro ſuis peccatis eum obtuliſſe non veritus ſit dicere. Sic enim cap. 7. 27. ſcriptum de ipſo reliquit: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Pontifices, priùs pro ſuis peccatis hoſtias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit ſemel ſe offerendo.* Cùm enim pronomen, *Hoc* neceſſariò id, quod præceſſerat referre debeat; præceſſerit autem, *priùs pro ſuis peccatis, deinde pro populi offerre*: certè, cùm ſcriptum ſit, Chriſtum hoc feciſſe, neceſſe eſt fateri, apertè ſcriptum eſſe, Chriſtum priùs pro ſuis, deinde pro populi peccatis obtuliſſe. Igitur quod verè & propriè Apoſtolus de Pontificibus illis dixerat, impropriè & figuratè, ut brevitati ſimul & comparationis concinnitati conſuleret, de Chriſto

dixit. Namque animadvertendum eſt, ibi nullam aliam in comparatione illa diſſimilitudinem inter Pontifices illos & Chriſtum conſtitui, niſi quòd illi quotidie, id eſt, ſtato quodam tempore perpetuò, & pro ſeipſis & pro populo offerebant, Chriſtus verò id ſemel tantùm fecit, quemadmodum cuique locum non oſcitanter legenti conſtare poteſt, Hac autem eâdem loquendi figura, in re tamen oppoſita, ibidem proximis in verbis uſus fuerat Apoſtolus, quod profectò non mediocriter ſententiam noſtram confirmat. In illis inquam verbis v. 26. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus á peccatoribus & excelſior cœlis factus*. Hæc enim, ut ex particula *enim* intelligitur, ex ſuperioribus inferuntur. Atqui ſupra nihil de vitæ ſanctimonia, quæ in Chriſto ſit aut fuerit, dictum eſt, nec porrò id ad propoſitum quidquam facit. Quare concludendum eſt, iſta omnia, *ſanctum eſſe, innocentem eße* &c. nihil aliud ſignificare, quàm omnium infirmitatum, quæ hominum peccatorum ſunt propriæ, præſertim verò mortalitatis, eſſe expertem. Hoc enim optimè cum iis congruit, quę priùs dicta fuerant, Chriſtum videlicet in æternum manere, & ſemper vivere; atq; ex eo rectiſſimè infertur, eum non habere neceſſitatem offerendi quotidie pro ſeipſo, quemadmodum deinde dicitur. Ut igitur priùs ſanctitatis, innocentiæ, impollutionis, & ſegregationis à peccatoribus nomine, immortalitatem & impatibilitatem Apoſtolus intellexerat, quibus homines peccatores penitus

tùs ſunt deſtituti: ſic deinde peccatorum nomine perpeſſiones ipſamque mortalitatem intellexit, quæ peccatis propriè debentur, ipſáque perpetuò comitantur. Atque hanc eandem figuratam loquendi rationem eſſe arbitror in voce *Immaculatum* cap. 9. 14. Ob id enim potiſſimùm Chriſtum ſe Deo immaculatum obtuliſſe, dixiſſe videtur Apoſtolus ut oſtenderet, Chriſtum cœlos ingredientem, immortalem & impatibilem factum fuiſſe, id quod à nobis creditum atque animadverſum in cauſa eſt, (ut ibidem ſubjungit Apoſtolus) ut conſcientiam noſtram expurgatam habeamus ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. Verùm dicet aliquis, ſi Chriſti oblatio in cælo facta eſt, quemadmodum ſupra diſputatum fuit, & modò non obſcurè eſt indicatum, qui fieri poteſt, ut Chriſtus pro ſeipſo à mortalitate & patibilitate liberando obtulerit, cùm in cœlū ingrediens, nec mortalis nec patibilis ampliùs fuerit? Aut quid ad Chriſti oblationem pertinere poſſunt preces illæ & ſuplicationes ipſius Chriſti, ab ipſo in diebus carnis ſuæ ei oblatæ, qui poterat illum ſervare à morte? Reſpondeo: Primū ad utrumq; ſimul, cùm à me ex manifeſtis cum verbis tùm ſententiâ epiſtolę ad Hebręos affirmatur, Chriſti oblationem in cœlo peractam fuiſſe, perfectionem oblationis ſeu perfectam oblationem me intelligère; nec à Chriſti oblatione ejus preces ſejungere, quas pro ſe & pro nobis Deo obtulit, dum adhuc mortalis in terris ageret Fuerunt enim hæ oblationis totius initium, & pars quædam. Deinde ad illud ſeparatim,

paratim, quod priore loco objectum fuit, dico, Christum cœlum ingredientem non jam fuiſſe immortalem & impatibilem, ſed per ipſum ingreſſum in cœlum immortalem eum & impatibilem factum fuiſſe. Reſurrexerat quidem Christus, tertia poſtquàm crucifixus fuerat die non iterum moriturus, ſed non præftereà naturam immortalem tunc ſtatim ab ipſa reſurrectione eſt adeptus, nam neque id ad rem ullam utile fuiſſet; & nullo modo ejus reſurrectionis à mortuis plena fides ejus diſcipulis fuiſſet facta, niſi idem ipſe, qualis anteà fuerat, reſurrexiſſet, adeò, ut ipſa clavorum, quibus cruci affixus fuerat veſtigia in manibus ac pedibus haberet, itemque latus ex vulnere ſibi lanceâ inflicto apertum, quæ Apoſtolis ipſis de ejus reſurrectione dubitantibus, quemadmodum fecit, oſtendere poſſet; quæ nemo (arbitror) ſanę mentis dixerit, in corpore naturâ immortali inveniri ullo pacto poſſe. Mitto, quod, ut veriſimillimum eſt, non ſunt immortalia corpora, mortalium ſenſibus ſubjecta, aut certè tanto ſplendore ſunt prædita, ut eorum aſpectus vix à mortalium oculis ferri poſſit. Atqui nihil tale de Chriſti corpore à mortuis excitato, antequàm in cœlum aſcenderet, ſcriptum legitur. Ut nihil etiam dicam, quòd, poſtquàm reſurrexit, reverâ cum diſcipulis ſuis comedit, & bibit, idque ut ex Luca ſatis liquet, ut ſuæ reſurrectionis illis fidem faceret. Cibum autem & potum nullo modo immortalibus corporibus convenire, in ipſo fermè harum diſputationum noſtrarum initio à nobis oſtenſum

eſt.

eſt. Non igitur fuit Chriſtus naturâ immortalis, & ab omni corporis patibilitate reipsâ exemptus, antequàm hinc ad Deum migraret, atque, ut ſcriptor ille divinus loquitur Heb.7. 26, ſegregaretur à peccatoribus, & cœlis ſublimior fieret. Ex quo perſpicuum eſt, rectè dici, Chriſtum pro ſeipſo à corporis infirmitatibus liberando, Deo obtuliſſe, quamvis oblationem iſtam in cœlo factam fuiſſe affirmetur, & per Chriſti oblationem factum eſſe; ut ipſemet a mortalitate & patibilitate aſſereretur; cùm certum ſit, per præſentationem illam ſui ipſius in cœlo coram Deo factam, æternam & ab omni prorſus malo ſecuram vitam eum fuiſſe adeptum. Jam verò, ut diſputationem concludamus, ſi Chriſtus ea in re legali Pontifici ſimilis fuit, quòd non ſecus atque ille, pro ſeipſo quemadmodum pro populo obtulit, poteſt hinc ſatis apertè colligi, oblationem quam pro nobis peregit Chriſtus, nullam ſatisfactionem aut ſatisfaciendi vim, habuiſſe; ſed ſolum per eam, id ad effectum perductum fuiſſe, quod Deus de nobis deque expiatione noſtrorum peccatorum decreverat; quemadmodum Chriſti pro ſeipſo oblatione nihil aliud factum eſt, niſi quòd Dei decretum de eo, ab omni prorſus corporis infirmitate liberando, executioni mandatum fuit.

Hucuſque de ſimilitudinibus inter Chriſtum & legalem ſummum ſacerdotem actum eſt. Nunc de diſſimilitudinibus agendũ eſſet: ſed cùm epiſtolæ ad Hebræos capite ſeptimo de iis ſatis diligenter explicatum inveniatur, de

de una tantùm agemus, quippe, quæ nec ita apertè ab Auctore illius epiſtolæ explicetur, & magni ad rem noſtram momenti eſſe videatur ad eaque quæ ſuperiùs diſputata ſunt confirmanda propemodum neceſſaria, quæ paucis ſaltem verbis exponatur. Dico igitur hanc inter legalem Pontificem & Chriſtum inſignem fuiſſe differentiam, quòd ille non modò antequàm in Sancta Deo ſacrificaturus ingrederetur, ſed etiam antequàm pecudem quam immolaturus erat, mactaret, reverâ jam Sacerdos erat, inque Dei ſacerdotem perfectè unctus & conſecratus: Chriſtus verò non eſt in DeiSacerdotem reverâ unctus & conſecratus, antequàm in cœlum ipſum ingreſſus fuerit,nedum antequam crucis mortem fuerit paſſus. Nam quòd ante crucis mortẽ reverâ Pontifex noſter non fuerit, ex eo planè intelligi poteſt, quòd oportuit illum in omnibus noſtrum ſimilem fieri,ut eſſet miſericors & fidelis Pontifex ut ſcriptum eſt in epiſtola ad Hebræos cap. 2. 17. qua in re, ut ex ipſo loco patet,mortis potiſſima ratio habetur. Idem planiſſimum faciunt ea ejuſdem epiſtolæ verba cap. 5.5. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c. Ex Pauli enim verbis Actor 13. 33. manifeſtum eſt, hæc Jeſu Chriſto a Deo dicta non fuiſſe, niſi poſt reſurrectionem ejus a mortuis.Ex quo conſequitur,eum non antePontificem conſecratum fuiſſe,quam a mortuis reſurrexerit.Quod autem nec etiam poſt reſurrectionem, antequam in cœlum aſcende-

cenderet, pontifex reverâ fuerit Chriſtus illud apertè oſtendit quod ſcriptum eſt Heb. 7.26. *Talis enim decebat* &c. Ex quibus verbis apparet, non decuiſſe eum Pontificem noſtrum eſſe, nec porrò fuiſſe, antequam cœlis ſublimior eſſet factus. Ut complura alia omittam ab eodem auctore ſcripta, quæ idem omnino confirmant. Quod ſi legalis Pontifex non ante expiabat peccata populi, quam in Sancta ingrederetur, licèt jam perfectè Sacerdos eſſet: multò minùs peccata noſtra expiâſſe Chriſtus dicendus eſt, antequam in cœlum ingrederetur, cum is nondum perfectè Sacerdos eſſet. Atque hic prædictæ diſſimilitudinis a nobis explicatæ fructus eſt.

Supereſt, ut de ipſa adumbratione per ſe conſiderata agamus, & quid inde colligi poſſit explicemus. Verum id ſatis explicatum eſt, cum de victimis ipſis ageremus, nec aliquid alicujus momenti ex ſola Sacerdotis perſona colligi poteſt. Inde igitur quæ ad hanc partem attinent ſunt petenda.

Atque hîc hujus de ſacrificiis tractationis finis erit, in qúa abundè nos oſtendiſſe arbitramur, ex ſacrificiis illis antiquis, in quibus Chriſti mors adumbrata fuit, nullam ſatisfactionem pro peccatis noſtris ex ea morte proficiſcentem ulla prorſus ratione colligi poſſe.

REFUT.

Refut. Cap. XXIX.

Quod Chriſtus non pro nobis tantum, ſed pro ſeipſo quoque obtulerit. De diſſimilitudine quadam inſigni inter legalem Pontificem & Chriſtum. Quid ex ſolâ ipsâ adumbratione, Chriſti perſona in Pontificis legalis perſona colligi poſſit breviter indicatum. Et concluſio hujus de ſacrificiis tractationis.

CONfitetur principio hujus cap. primâ fronte impiam & blaſphemam videri hanc ſententiam, tanquâm ex eâ concludi neceſſe ſit, Chriſtum peccaſſe. Nemo Chriſtianus eſt, qui non illam theſin, Chriſtum peccaſſe ex pectore deteſtetur, unde neceſſe eſt impiũ eſſe dogma, ex quo tam horridum conſequens deducatur. Interea ut ingenuè dicam quod res eſt, fateor me non videre, quomodo Socin. affirmativam prędictæ theſios (abſit dicto blaſphemia & impietas) pro impio dogmate habere poſſit, ut planè neceſſe eſt, ſi impia & blaſphema videbitur hæc ſententia de oblatione Chriſti pro ſeipſo, eo quod ex eâ concludi debere videtur, quod Chriſtus peccarit. Nam ſententia Socini & aſſeclarum de ratione & modo ſalutis noſtræ per Chriſtum, non requirit ut Servator ſine peccato ſit. Quid obſtat, quod quis niſi prorſus ab omni peccato immunis, ſalutis viam annuntiare, confirmare, a mortuis reſurgere; ſummam poteſtatem vitâ donandi accipere non potuerit, præſertim cum omnes

eſſent peccatis inquinati, qui per viam iſtam ad æternam fælicitatē pervenirent. Jam verò cum ex hypotheſi Socinianæ ſententiæ non eſſet ἀσύμφορον Servatorem eſſe,& non eſſe prorſus ab omni peccato liberum, poſſet quis etiam credere eſſe ſervatorem,quamvis non crederet non peccâſſe, atque ita in tali credente, ex ejuſdem ſententiæ mente eſſet ſenſus fidei, qui ad præſtandam obedientiam præceptorum neceſſarius eſſet, ac proinde ſenſus ille non eſſet impius Socin. *Semel enim certum eſto, ea tantum dogmata,ſine quibus fides in Chriſtum, & conſervatio mandatorum Dei conſtare nequit, ad ſalutem eſſe prorſus neceſſaria & pauciſſima omnino eſſe,quæ ad ſalutem ſint prorſus neceſſaria, nempe ut Deus & Jeſ. Chriſtus divino honore colatur, & vera pietas, præſertim verò charitas erga proximum exerceatur* tractat. de Eccleſiâ cap. 11. pag. 18. **Das ein jeglicher / welcher Chriſto vertrawet und ihm gehorſam iſt** diſcrepire **und ſey unterſcheiden von uns in andern puncten der religion / wie er auch wolle für ein bruder in Chriſto und derhalben für ein gliedmas ſeiner gemeine ſolle gehalten werden.**

Verum ut accedamus ad poſitum illud de oblatione Chriſti pro ſeipſo, dico periculoſam eſſe locutionem illam, *Chriſtum pro ſeipſo obtuliſſe*, hoc enim facile in eum ſenſum abripitur, ac ſi pro peccatis etiam ſuis obtuliſſet, & non tantummodo quà Mediator perſonam noſtram ſuſtinens. Dicit quidem Apoſtolus preces & ſupplicationes obtuliſſe, cum clamore valido

& la-

& lachrymis apud eum qui poterat ipſum à morte ſervare, attamen non aſſerit pro ſe ratione perſonæ ſuæ, ſupplicatione obtuliſſe, ut à morte ſervaretur & ex metu exaudiretur: propterea nequaquam certum eſt, eò his verbis tendere Apoſtolum ut demonſtret Chriſtum pro ſe obtuliſſe, quemadmodum pro populo, ad ſimilitudinem legalis Sacerdotis, qui non tantùm neceſſe habebat pro populo, ſed & pro ſeipſo offerre. Id potius dicendum eſt, Apoſtolum his verbis confirmare, Chriſtum Pontificem eſſe, qui ſenſu infirmitatum noſtrarum poſſit affici, & vicem ignorantium & aberrantium miſerari, quod ipſe ad ſimilitudinem legalis Pontificis, infirmitate fuerit circumdatus. Hęc verò non eſſe allata in confirmationem ſimilitudinis Chriſti, cum legali Sacerdote in offerendo ut pro populo ita & pro ſe ex eo ſuadetur, quod Chriſtus quidem Pontifici legali ſimilis dicatur ratione infirmitatum, propter quas ad condolendum pronus & promptus ſit, in infirmitate verò peccata, propter quam oblatio Pontifici pro ſe erat neceſſaria nuſquam. Non infirmitatem quamlibet oblationis cauſam facit, ſed infirmitatem peccati v. 3. hanc autem expreſſè à Chriſto removet Apoſtol. cap. ſuperiori com. 15. Nequaquam ergo quod exiſtimat Socin. ex eâ quæ inter Pontificem & Chriſtum ſimilitudine, ratione infirmitatum efficitur, Chriſtum ut pro populo ita & pro ſe offerre debuiſſe, cum cauſa propter quam offerre debuerit Pontifex pro ſe nullatenus in Chriſto reperiatur.

Pergit, *liberationem iſtam à morte, pro quâ ſibi comparandâ obtulit Chriſtus, non fuiſſe liberationem à crucis morte, quia ſcilicet Chriſtus Deum precatus fuerit, ne ſibi crucis mors ſubeunda eſſet.* Ad hoc obſervandum eſt, id non pro certo affirmari poſſe, ob eam quâ Socinus utitur rationem *Certum eſt* inquit *hic Chriſtum à morte, à quâ ſe liberari ſupplex orabat, liberatum etiam fuiſſe.* Verum quidem eſt Apoſtolum apertè dicere, *Chriſtum fuiſſe exauditum* ſed addit *ex metu.* Quare veriſimilius mihi eſt Apoſtolum reſpexiſſe ad precationem illam, quâ precabatur, *ut ſi poſſibile eſſet tranſiret à ſe calix iſte*; & ad alteram illam *Deus mi Deus mi quare dereliquiſti me?* Cauſa quâ in hanc ſententiam ducor eſt, magna locorum ſimilitudo, ubique mentio fit magni angoris & peturbationis ſpiritus, precum ex ſummis animi anguſtiis effuſarum: validio clamore prolata eſſe iſta, *Deus Deus mi* teſtantur Euangeliſtæ. In prioribus illis pro tranſitu calicis credibile eſt non fuiſſe ſiccos oculos, cum præ magnitudine angorum ſanguineæ guttæ corpore defluerent. Sentiendũ ergo videtur hunc locum cum iſtis Euangeliſtarum locis conjungendum, in quibus narratur precatus eſſe pro tranſitu calicis. Utrobique petiit ut mors averteretur, ſi fieri poſſet & vellet Deus: utrobique eſt exauditio. Etſi ab ipsâ crucis morte ſubeundâ liberatus non fuit Chriſtus, precatio tamen ejus non inexaudita, quia non abſolutè, ſed cum conditione petijt, quare hoc non eſt contrarium ejus quod ait Dom. *ſe ſemper à Patre exaudiri* Johan. 11. 42.

Deinde Chriſtus eatenus in hac precatione de non ſubeundâ morte exauditus, quatenus ſpiritu corroboratus, & à magna illâ animi conſternatione liberatus fuit: illa enim animi anxietas & conſternatioChriſto expreſſit ardentiſſimas illas preces,quas ut tranſiret à ſe calix iſte effudit, cum ex hac anxietate ſit liberatus, meritò exauditus dicitur in precatione illâ, quâ precatus ut calix tranſiret. Propterea quāquam non ab ipsâ morte crucis ſubeundà liberatus ſit Chriſtus,ſed à graviſſimo illo angore, non tamen inde ſequitur, calicem illum, de quo Chriſtus locutus, non eſſe calicem ipſius mortis, ſed calicem angoris & conſternationis. Eo minus à communi Theologorum ſententiâ diſcedendum videtur, quia cum mentio ſit apud Euangeliſtas calicis iſtius quem biberet Dominus, atrox illa mors crucis intelligitur. *Poteſtis poculum bibere quod ego bibam* Mat. 20. 22. *Annon bibam poculum quod dedit mihi Pater* Joan. 18. v. 11. Smalc. cap. 11. lib de divinitate Chriſti nullo modo ferendam putat hanc ſententiam,cujus contrariamSocinus hîc veriſimiliorem tantùm arbitratum planè abſurdum inquit ille eſt de Chriſto hoc dicere. *Petiiſſet enim illud, quod optimè ſciebat dari ſibi non poſſe*. Ad hoc reſpondetur,non abſolutè impoſſibile fuiſſe,potuit Pater liberare Chriſtum à morte, quemadmodum Chriſtus potuit precari Patrem, ut ſibi ſiſteret plures quàm. 12. legiones Angelorum. 2. Quod ſciebat dari ſibi non poſſe ex hypotheticâ neceſſitate decreti divini, Chriſtus non petiit niſi adhibitâ cauti-

one. Dices hoc pacto vim objectionis non elidi, planè abſurdas eſſe precationes ita modificatas, niſi preces faciens ſit incertus, de voluntate Dei & poſſibilitate rei ratione decreti divini: illam incertitudinem in Chriſto precante non fuiſſe. Verum nego incertitudinem iſtam requiri in precante, ne precatio ejus in ſcopulum abſurditatis incurrat. Etenim ſi preces tales abſurdæ eſſent, nunquam illas feciſſet Chriſtus, aut admittendum erit commiſiſſe Chriſtum quod abſurdum, quo nihil abſurdius excogitari poteſt, neque quicquam ἀπερισκεπτότερον cuiquam excidere. Tales verò preces feciſſe Chriſtum confirmatur ex loco Joh. 12. *Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater libera me ab hac horâ: ſed propterra veni in hanc horam.* Rectè non nemo in hunc locum ita commentatus eſt. *Hic igitur tanquam ſub oculis cernimus, quanti conſtiterit ſalus noſtra Dei Filio, dum in ultimas anguſtias redactus, neque verba invenit, quibus exprimat doloris vehementiam, neque conſilium ſecundum hominem, quod autem unum reſtat, confugit ad preces, & ſe liberari à morte poſtulat. Rurſum quia ſimul videt ſe æterno Dei conſilio destinatum eſſe victimam pro peccatis, votum illud quod ingens mœſtitia expreſſerat, mox corrigit, & quaſi injectâ manu ſeipſum retrahit, ut totus acquieſcat Patris arbitrio.* Hæc optimè conveniunt quemadmodum, unumquemque fidelium propria experientia docere poteſt, quando ab umbrâ ad ſolem & vivam praxin in palæſtra crucis vocatur. Quod ſi hæc Theologia frigidis & otioſis Magiſtris ſpeculationis

magis in circumſpectum

lationis inſaniat, hominem tamen Chriſtianum crucis ſtultitiæ non pudet.

Rediens ad thema illud, *quod Chriſtus non ſolùm pro nobis, ſed pro ſeipſo quoq; obtulerit*, ejus thematis affirmativam probare eo conatur, *quod poſtremum oblationis finem, qui eſt æterna & beata immortalitas, oblatione ſuâ non tantùm nobis, ſed ſibi quoque quæſierit.* Hoc enim volunt illa, namq; ut ſimilitudo conſtet, ſatis eſt Chriſtum pro ſeipſo ejuſdem rei causâ obtuliſſe & quæ in textu Socin. videri poſſunt, ubi ea prolixiori oratione perſequitur. Dixi & etiamnum dico, quicquid fecit Chriſtus ut mortis victor evaderet, & beatâ immortalitate cum in æternum triumpharet, id noſtri causâ factum. Ubi fructus & fines oblationis Chriſti cenſentur, ſemper tales qui nos, non qui Chriſtum concernant referuntur, miſericors & fidelis eſt Pontifex ad expiandum peccata nōn ſua ſed populi ſemper vivit ut interpellet non pro ſe ſed pro nobis: ingreſſus in ſacrarium non ſibi ſed nobis æternam redemtionē nactus, non ſeipſum obtulit ut conſcientiā ſuam emundaret.

Superioribus adjicit, *quod mors ipſa & afflictiones, à quibus ut ipſe liberaretur, Chriſtus obtulit, licet is innocentiſſimus fuerit, figurata nec inſolenti loquendi ratione peccata appellari poſſe, & peccatorum pœnas ſæpe in ſacris literis, ex conſuetudine Hebræi ſermonis peccata nuncupari. Mors autem inquit & afflictiones quamvis in Chriſto ipſo non fuerint, tamen peccatorū pœnæ eſſe ſolent.* Pœnas peccatorum nomine peccatorum deſignari rarius, ni fallor atque in quando fit lo-

corum circumſtuntiæ & ſubjecta materia ſatis indicant: Mors verò & afflictiones Chriſti propterea peccata dici non poſſunt, ſi in Chriſto pœnæ non fuerint, ſi enim afflictiones peccata dicuntur, quomodo ſunt pœnæ peccatorum, quid hoc ad mortem Chriſti etiam eo nomine inſigniendam ſi à pœnæ ratione ut ſentit Socinus longiſſimè abfuerit. Quod dicit afflictiones pœnas peccatorum eſſe ſolere, & ideo peccata dici etiam in Chriſto, nulla ratione ſuſtinetur. Quis dixerit hominis innocentis afflictiones furta aut latrocinia ejus eſſe: aut hominem innocentem facinoroſum eſſe, quia veluti facinoroſus affligitur. Iſtiuſmodi Sycophantiis locus ſi detur, quidvis de quovis affirmare promtum erit: nihil proficies, etiamſi ſcriptum eſſet expreſſis verbis *Chriſtum pœnas peccatorum perpeſſum eſſe*, punitum pro peccatis noſtris: iſtis facile à Socino edoctus hanc exceptionem oppoſueris, dici hæc omnia quia Chriſtus perpeſſus mortem quæ ſolet eſſe pœna peccatorum. Deinde quidquid Chriſtus morte ſuâ fuit, non ſui, ſed noſtri ratione fuit. Chriſtum pro ſuis peccatis obtuliſſe, non eſt ſcriptum Heb. 7. 27, ubi legitur *qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Pontifices. prius pro ſuis peccatis hoſtias offerre, deinde pro populi, hoc enim fecit ſemel ſe offerendo*. Cum dicit hoc enim fecit ſemel, reſpicit quidē quod præceſſerat; non totum ſed ſecundum quid, ad iſtam reſtrictionem faciendam compellit rei ſubjectæ neceſſitas, quia nuſquam nunquam Scripturæ docent Chriſtum pro ſuis peccatis

obtuliſſe.

obtuliſſe. Porro quemadmodum Socinus Chriſti mortalitatem & perpeſſiones ejus peccata dicit, eo quo jam retuli ſenſu, ita contendit illa ſanctum innocentē impollutum eſſe, non ſanctimoniā vitæ deſignare, ſed immortalitatem, & nihil aliud ſignificare, quàm omniū infirmitatum, quæ hominum peccatorū ſunt propriê, præſertim verò mortalitatis, eſſe expertem.

Mirum quod dicat *infirmitates & mortalitatem peccatorum eſſe proprias*, cum primum Prælectionum caput ſit, *hominem etiam ante lapſum naturâ fuiſſe mortalem*. Sed eo omiſſo durum admodum & inſolens, hæc attributa non de ſanctitate ſed immortalitate accipere. Beata corporum immortalitas non ſolet iſtis titulis inſigniri, oportet ergo hæc capere ut ſonant: nec authoritati Socini tantum tribuimus, ut id recipiamus. Nequicquam opponitur ex particulâ enim intelligi, hæc ex ſuperioribus inferri, ſupra autem nihil de vitæ ſanctimoniâ dictū eſſe. At particula enim quandoq; vacat. Deinde etſi vim illativā habeat, non opus eſt ad omnia referri, quia hic ad deſcribendam Pontificis noſtri perſonam adferuntur, ſed ſatis erit illa reſpici *ſublimior cœlis factus*. Elēganter occaſione iſtius illationis Apoſtolus nobis plenam & brevem perſonæ Pontificis deſcriptionem attulit, ut oſtenderet quod non parum ad propoſitum faciebat, Pontificem noſtrum omnibus numeris abſolutū eſſe: quare hæc optimè cum antecedentibus congruunt, *ſervare poſſe perfectè eos qui per ipſum accedunt ad Deum*. Atque eo infertur, *eum non habuiſſe neceſſitatem, ſæpius pro*

populi peccatis offerendi, neq; ullã pro proprijs. Adjicit etiã paucula de voce immaculati, de quâ vide ſis ſupra. Subjicit *peccatorũ nomine, perpeſſiones ipſamq; mortalitatẽ intelligi.* Chriſti nimirũ, allato illo ad Heb. 7. com. 27. teſtimonio, raro commento, cũ autor peccatorũ Chriſti non meminerit, nam tantũ dicit *ſemetipſũ obtuliſſet.*

Deinde accedens ad reſponſionem objectionis quam ſententiæ ſuæ opponit de oblatione in cœlo factę. Primo ait *ſententiã ſuam de Chriſti oblatione in cœlo peractâ, de perfecta & cõſummata non inchoatâ oblatione accipiendã eſſe:* quę ſi vera ſunt, non debuit prælegere c. 24. quod quemadmodum Pontifex non antea offerebat, quam in greſſus eſſet in Sancta, ſic Chriſtum non antea obtuliſſe, quã ingreſſus eſt in cœlum. Hæc aſſertio de inchoatâ in terris oblatione non conſona ejuſdem cap. lectioni. *Meminiſſe oportet, me, cum de Chriſti oblatione, quam ſacra litera memorant, affirmo eam in cœlo peractam poſt mortem crucis fuiſſe, non loqui niſi quatenus pertinet ad auctorem Epiſtol. ad Hebr.* Addo ſi cœpit in terris offerre Chriſtus, negari non poteſt in terris verum ſacerdotem fuiſſe, ſi revera cœpit offerre, revera ſacerdos fuit revera in ſacerdotem perfectè unctus & conſecratus Pontifex etiam ante reſurrectioné, quidquid contra Socin. tum alibi, tum hujus etiam cap. poſtremis fere verbis. Perfectè ſacerdos eſt ille, qui omnia habet eſſentialia & requiſita ad rationẽ ſacerdotis conſtituendam. Adfert pro firmamẽto ſententię ſuæ Socinus loca illa Heb. 2. 17. 5. 5. Heb. 7. 26. Primo loco dicitur *oportuiſſe*

illum

illum in omnibus noſtrũ ſimilem fieri, ut eſſet miſericors & fidelis Pontifex, quo nõ evincitur antea perfectè ſacerdotẽ non fuiſſe, potuit enim antea perfectè ſacerdos eſſe, qui offerre poſſet perfectè, & tamen morte præcedaneâ ad alteram functionis partem, quæ intercedendo occupatur, preparari: hinc ergo non magis inferri poteſt, Chriſtum ante mortẽ perfectum ſacerdotem non fuiſſe qui perfectè offerre poſſit, quam effici nullo modo ſacerdotem fuiſſe. Verba illa Pſal. 2. quæ producuntur Heb. 5. c. non prius à Deo dicta eſſe Chriſto non probatur teſtimonio Paul. Act. 13. 33. vide ſis examinis noſtri cap. prim. tertiæ claſſis. Accedit etiamſi hæc verba accipiantur de pontificatu Chriſto collato poſtquam reſuſcitatus & glorificatus fuit, nihil efficitur, quod patet per reſponſionẽ jam datam ad locum ſuperiorem. Idem quoq; judicandum de teſtimonio c. Heb. 7. com. 26.

Altera, quam adfert ad formatam à ſe objectionem contra dogma oblationis Chriſti in cœlo factæ, reſponſio eſt, *Chriſtum cœlum ingredientem non jam fuiſſe immortalem & impatibilem, ſed per ipſum ingreſſum in cœlum immortalem & impatibilem factum fuiſſe*. Hæc reſponſio adverſarii habet, perfectam Chriſti oblationem non fuiſſe factam à Chriſto immortali, ſed ut immortalis fieret: hanc ſuam reſponſionem ipſe convellit, quod ex iis quæ hactenus allata ſunt luce meridianâ clarius liquere poteſt. Hic Chriſtum ſtatuit perfectum ſacerdotem antequam immortalis eſſet, perfecta enim oblatio perfectum ſupponit ſacerdotem, alibi immortalem

talem prius eſſe debuiſſe & ſacerdotalem functionem eſſe regiæ poteſtatis uſum à Deo acceptæ. Quid ergo an Chriſtus in cœlis rex fuit antequam immortalis eſſet? Aut dices potius pro ſe offerre in cœlis deſiiſſe, cum pro nobis offerre inciperet: ſeipſum pro ſe mortalem obtuliſſe, ut immortalis fieret & ad Dei dexteram ſederet. Deinde poſtquam immortalis factus eſt & ad Dei dexteram conſedit pro nobis offerre incepiſſe: perfectum ſacerdotem fuiſſe antequam ſupremam poteſtatem acciperet ratione ſui ratione verò noſtri factum eſſe, cum jam iſtam poteſtatem adeptus eſſet. Portenta hæc opinionum λῆροι λήρων ſunt.

nugæ nugarum

Quia dixerat Chriſtum per ingreſſum in cœlum immortalem & impatibilem eſſe factū digreditur eâ occaſione in diſputationem de ſtatu Chriſti, reſurrectionem ipſam immediatè conſecuto, contendens ab ipsâ reſurrectione immortalē non fuiſſe. Diſcuſſa hæc res exam: reſp. Soc. ad lib. Wielij de deitate Chriſti c. prim. 3. claſſis pa. 116. 117. Ad ea quæ porro adferuntur ultima hujus poſtremi c. ſectione jam reſponſum eſt. Reſtat jam adverſario dicendum de adumbratione ipsâ per ſe conſideratâ, ſecundum inſtitutam à ſe agendi rationē, verum quia videbat ſupervacuum fore laborem mutato conſilio deſiſtit, & finem tractationi de ſacrificiis imponit; ſimulque Prælectiones hic deſinunt, ego itaque & hic gradum ſiſto amice lector, deſino & manum tollo. Regi æterno immortali inviſibili ſoli ſapienti Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CATALOGVS
Capitum prælectionum Theologicarum
F. SOCINI.

CAp. I. Primum hominem etiam ante lapſum naturâ mortalem fuiſſe.

Cap. II. *De iis quæ in homine naturaliter quod ad religionem.*

Cap. III. *Utrum primus homo ante peccatum juſtitiam originalem habuerit.*

Cap. IV. *An ſit & quale ſit peccatum originis.*

Cap. V. *De libero hominis arbitrio.*

Cap. VI. *De Dei prædeſtinatione.*

Cap. VII. *De decretorum divinorum ratione præſertim in iis quæ ad ſalutem aut condemnatiotionem ſpectant.*

Cap. VIII. *De præſcientiâ Dei.*

Cap. IX. *Loci ſacrarum literarum qui pro præſcientiâ Dei, explicantur.*

Cap. X. *Ejuſdem argumenti.*

Cap. XI. *Concluſio in hac de Dei præſcientiâ quæſtione.*

Cap. XII. *De ſacris teſtimoniis, ex quibus colligi videtur, in hominis arbitrio nihil poſitum eſſe.*

Cap. XIII. *De vocibus prædeſtinandi eligendi & vocandi.*

Cap. XIV. *Sacra tractat teſtimonia, in quibus ſingulare aliquod divinũ decretũ commemoratur.*

Cap. XV. *Juſtificationis noſtræ per Chriſtum prolegomena.*

Cap.

Cap. XVI. Deum nobis peccata jure condonare potuiſſe, ſine ullâ verâ ſatisfactione.

Cap. XVII. Deum nulla verâ ſatisfactione acceptâ nobis condonare voluiſſe.

Cap. XVIII. Juſtitiæ divinæ ſalvis nobis ſatisfieri non potuiſſe.

Cap. XIX. Reſpondetur ad teſtimonia in quibus de redemtione diſſeritur.

Cap. XX. Explicantur loca, in quibus Chriſtus propter peccata noſtra vel pro peccatis noſtris, aut pro nobis traditus percuſſus fuiſſe dicitur.

Cap. XXI. Locorum in quibus Chriſtus peccata noſtra portâſſe dicitur & ſimilium explicatio.

Cap. XXII. Introductio ad loca in quibus Chriſti mors cum ſacrificiis V. T. aut Chriſtus cum ſummo ſacerdote confertur.

Cap. XXIII. Comparatio mortis Chriſti cum victimis antiquis & locorum de expiatione per mortem Chriſtri loquentium explanatio.

Cap. XXIV. Chriſti oblationem non in cruce ſed in cœlo perfectam fuiſſe & quid illa velint qui per Spiritum æternum &c. Heb. 9. 10.

Cap. XXV. Concluſio diſputationis de diſcrimine inter Chriſti ſacrificium & legales victimas, unâ cum locorum aliquot de expiatione loquentium explanatione.

Cap. XXVI. Quid ex adumbratione ſacrificij Chriſti in victimis legalibus colligi poſſi.

Cap. XXVII. Momentum adumbrationis Chriſti in legalis Pontificis perſona expenditur.

Cap. XXVIII. De ſimilitudinibus aliis inter legalem ſacerdotem & Chriſtum.

Cap. XXIX. Chriſtum non pro nobis tantùm ſed pro ſe ipſo quoq; obtuliſſe.

INDEX
Rerum & verborum memorabilium àc locorum S. S. quæ in hoc opere excutiuntur.

Cap. I.

STatus controverſiæ explicatur pag 5
Locus Luc. 20. 35. 36. expenditur 6
Mors non eſt Cauſa conjugij adæquata 8
Mors cauſa conjugij quia homines permanere prohibet ibid.
Quo ſenſu animale primi hominis corpus mortale etiam fuerit 10
Peccatum eſſe cauſam cur morte & corruptione terrena illa conditio quam ex naturâ trahimus exprimenda ſit 11
Locus Pauli ad Rom 5 expenditur ibid.
Mors per naturam non intravit 12
Quid Socinus per naturalem mortalitatem intelligat ibid.
Quid nomine æternæ mortis ibid.
Sententia ejus de æternâ morte refellitur 13
Ignis non eſt æternus, quia non ille ſed effectus ejus in æternum duraturus 14
Status primi hominis anceps Socino 15
Innocentiæ certam beatæ immortalitatis ſpem fuiſſe in ſtatu primo ibid.
Quomodo Christus pœnas peccato conſtitutas deleuerit 16
Arborem vitæ de qua Gen. 2. ſymbolum immortalitatis fuiſſe 18

Cap.

CAP. II.

PAtefactionem divinam non eſſe unicum & neceſſarium agniti numinis medium pag. 28
Nihil repugnare unum & idem objectum per diverſa principia cognoſci 31
Poteſt aliquid naturale & ex fide eſſe ibid.
Locus Heb. 11. *v.* 6. *excutitur ibid. & ſeqq.*
Hominẽ etiã iis quæ naturalia ſunt carere poſſe 33
Veteres Philoſophos cognoviſſe mundum à Deo creatum eſſe 39
Sententia Ariſtotelis de creatione ibid.
Teſtimonium Pſalm. 19. *com.* 1. *expenditur & vindicatur* 40
De loco Actorum 17. *com.* 27. 44
De loco ad Rom. 2. *com.* 14. 15. 49
Legem nemo in ſe ſentire poteſt, niſi cogitet de aliquo ferente legem ibid.
Omnes gentes quæ juſti & injuſti diſcrimen habuerunt, ſimul etiam numinis alicujus reverentiâ imbutas fuiſſe 50
Non ſine ratione ex adverſario colligi quoſdam qui Deum eſſe neſciunt ſalvandos fore 52

CAP. III.

PRimum hominem juſtitiâ actuali ante eſum de arbore vetitâ juſtum fuiſſe pag. 59
Sententia Bellarmini de juſtitiâ originali excutitur 62
Ex Adami delicto non probatur, non dominatam in homine rationem appetitui 64
Juſtitiam originalem conſtitiſſe in placidâ rationis & appetitus harmoniâ, ibidem.

Homi-

Hominem cum juſtitiâ originali creatum eſſe variis argumentis probatur ibidem

Creatio hominis ad Dei imaginem in juſtitiâ eſſe potuit, quanquam non fuit impeccabilis 66

Rerum omnium dominatus juſtitiam requirit 68

Locus Gen. 1. com. 31 expenditur 69

Teſtimonium Eccleſ. 7, com. 29. defenditur 71

Cap. IV.

Poſteros ob Adami lapſum culpæ & pœnæ obnoxios eſſe pag. 80

Originalem pravitatem in omnibus eſſe variis argumentis probatur 82

Locus Rom. 3. 10-89. Rom. 5. verſ 12. Rom. 6. in initio 83 *&* 84

Teſtimonia ex Geneſi pro peccato originali defenduntur 85

Sententia de variis locis Jobi 87

De loco Pſalmi 51. com. 7. 89, 90

Septimum caput Epiſt. ad. Roman. expenditur 91

Eautomachia quædam adverſarij 93

Unum peccatum per ſe vim corrumpendi habere poſſe 95

Concupiſcentiam peccatum eſſe 98

Paulum 7 cap. ad Rom. peccati nomine pravitatem naturalem intelligere, contra Prælectorem oſtenditur 99

Conditionem quæ genitori affixa eſt perpetuò, non una cum ipſo genere neceſſario propagari 99

Quocunque modo verba illa ad Rom. 5. ἐφ ᾧ exponantur, de peccato primo intelligi debere 100

Cap. V.

AMiſſio liberi arbitrij ad verum & ſpirituale bonum inter primas peccati pœnas à Paulo recenſetur pag. 107
Voluntatem faciendæ legis divinæ quod ad ſpiritualem legis obedientiam homini à naturâ non ineſſe demonſtratur 108
Locus 1. *Cor.* 2. *com.* 14. *ab adverſariorum corruptelis vindicatur* 109
Voluntas præſtandi quæ lex jubet non eſt à naturâ in pleriſque 111
Falſum eſſe Deum nemini eorum opem ſuam denegare, quibus legem tulit 113
Peccatum neceſſarium eſſe poſſe demonſtratur. ibidem
Poſſibilitas legis ſervandæ ex Pauli teſtimonio Rom. 7. *com.* 10. *non concluditur* 116
Opinio adverſarij de adjutorio divino refellitur 117
Promiſſum æternæ & immortalis vitæ, non eſſe ipſam gratiam efficacem 118
Opinio Prælectoris de auxilio exteriori & interiori expenditur 121
Hallucinatio Socini de auxiliis interioribus 122

Cap. VI.

FIctitia libertas quæ Deo æternitatem prædeſtinationis & præſcientiæ derogat 132
Æternæ condemnationi obnoxij ſunt ij qui ex mente Prælectioris impij non ſunt ibidem.

Legem

Legem perfectè ſervantes non ſervandos ex ſententiâ Socini 133
Socinus maximi ponderis negotium in ſenſum communem reſolvit 134
Conſequentia calumnioſa Prælectoris retunduntur. 135
Facto probato dementia eſt ſapientia divina litem movere 140

CAP. VII.

Nihil in hominis arbitrio eſſe quod prædefinito Dei conſilio non ſit ſubordinatũ pag. 152
Contingentiam non excludere neceſſitatem ſecundum quid 155
Contingentia abſoluta voluntatis capacia eſſe 156
Dum non ſit Dei voluntas, Dei voluntatem tamen fieri, aut impingi in omnipotentiam Dei 160
Diſtinctio voluntatis in voluntatem ſigni & beneplaciti probatur 161
Exemplum obedientiæ Abrahami examinatur 164
De exemplo Pharaonis 167
Nullo modo ferendum Deum providendiâ ſuâ ordinâſſe ut ſuum arbitrium humano ſubjiceret 168
Socini hallucinatio univerſam providentiæ vim in externis conſiſtere 170
Providentiam circa internos etiam actus verſari variis argumentis oſtenditur ibid.
Diſtinctio quædam Socin. inter voluntatis actus internos & externos corporis refellitur 173

Religionis officium externos etiam actus reſpicere 174
Exemplum Abrahami & Balaam 676
Factum Pharaonis & Abimelechi ibid.
Ignorantia factum contra legem non excuſat, ut peccatum eſſe deſinat 177
Commentum Socini de alternis vicibus divinæ permiſſionis & impeditionis 179

Cap. VIII.

Tres probandæ præſcientiæ modi à Socino concipiuntur pag. 187
Dupliciter aliquid ſucceſſivum poſſe dici 190
Tempus dupliciter accipi ibid.
Deo omnia præſentia eſſe ſecundum eſſe objectivum 191
Comparationem Socin. ſcientiæ & potentiæ non eſſe legitimam ibid.
Contingentia determinativè certa eſſe antequam ſint 192
Scientiam Dei non eſſe liberam 193
Præſcientiæ uſus in negotio religionis ibid.
Præſcientia rerum humanarum regimen non labefactat 196

Cap IX.

Locus apocryphus Suſannæ expenditur pag. 201
An de rebus animo conceptis ſolummodo in hoc teſtimonio agatur 202
Locus Eſai. 41. com. 23 expenditur 204
Teſtimonium Act. 15. com. 18. examinatur 205

Generalia & communia de contentis ſub genere ſpeciebus prædicari 206

Cap. X.

GEn. 18. com. 17. 18. 19. defenſio pag. 224

Reſponſionem adverſarij non ſtare ex partibus eorum qui negant ſed qui defendunt præſcientiam ibid.

Bona à Deo præſciri poſſe concedit Prælector ibid.

Tranſlatio loci Geneſis expenditur 225

Argumenta adverſarij ex hoc loco contra præſcientiam ducta refelluntur 226

Verba non admonitionem ſed prædictionem præ ſe ferre 228

Scientiam conjecturalem in Deo non ponendam 229

Teſtim. Deut. 31. com. 16. & 20. 230

Aliam eſſe divinarum aliam humanarum prædictionum rationem 232

An monere potius quàm certò aliquid prædicere voluerit Deus ibid.

Gen. 15. v. 13. expenditur 233 *& ſeqq.*

Deum peccata peccatis punire ad internam cordis malitiam etiam referendum ibid.

Præordinatio pœnæ ſupponit culpam præcognitam 234

Effugium quoddam Socini 235

Variis ſc. locis præſcientia confirmatur 237

De prædictione lapſus Petri 239

Actus à libero arbitrio procedens poteſt infallibiliter præſcitus eſſe ibid.

Socin. in caſſes inexplicabiles ſe induit 240

Tandem deveniendum ad peccatum aliquod ſub pœna ratione non præcognitum 242
Locus Roman. 8. *com.* 29. 30. *defenditur contra Socin.* 244 *& ſeq.*
Teſtimonium .1 *Pet.* 1. *com.* 20. *excutitur* 246
Scholaſticorum ſententia de myſterio incarnationis ibidem
Chriſtum prædeſtinatum ex previſione peccati & ut mactandum 247
Decretum de Chriſto mactando conditionatum incerti eventus non fuiſſe 249

Cap XI.

A*Rgumenta varia ex ratione ducta contra præſcientiam refelluntur pag.* 253
Socinus non abhorret ab hoc axiomate Deum auctorem peccati eſſe 256
De loco Gen. cap. 6. *com.* 6. 7. *ibid.*
Locum prædictum Deum præſcientiâ ſuâ non ſpoliare ibid.
Deum falſitatis & dementiæ rerum per præſcientiam non teneri 257
Humana exempla Deo legem non figere 259

Cap. XII.

S*Tatus controverſiæ formatur pag.* 296
Deut. 29 *in initio* 298
Ex admonitione arbitrij poteſtas malè concluditur 299
Miracula non ſufficere ad ſalutarem fidei ingenerationem ibid.

Quid

Quid verbum dandi in ſacris paſſim ſignificet 300
Rejicitur interpretatio loci 2. *Tim.* 2. *v.* 25. 301
Locus Sam. 10. *com.* 26. 27. *ibid.*
Actor. 16. *com.* 14. 303
Prov. 16. *com.* 4. 306
Eſai. 6. *com.* 9. 309
Ezech. 36. *com.* 26. 29. 315
Gratia novæ creationis non eſt in externis beneficiis 316
Pelagiana Socini opinio refellitur ibid.
Spiritus Dei non eſt voluntas obediendi 331
Novi Fœderis promiſſis ſua veritas & ratio conſtat, quamquam multi Fœderati Deum non colunt 333
Locus Pauli ad Rom. 11. *com.* 25. 26. *expenditur* 334 *& ſeq.*
1. *Cor.* 4. *com.* 7. 336
2. *Cor.* 3. *com.* 5. 337
Vocula daleth 338
Philip. 2. *com.* 13. 340
De præceptis Euangelij hic non agi fuſius docetur 342
2. *Theſ.* 3. *com.* 2. *& alia quædam loca* 345
Johan. 6 *com.* 44. *nemo poteſt venire &* 352
Deum legem non tuliſſe de probis trahendis 353 *& ſeq.*
Improbitatem non eſſe cauſam cur non trahantur qui non trahuntur.
Diſtorta Socini interpretatio loci Joh. 6. *com.* 44. 362
Doctrinæ cœleſtis promulgatio non eſt Patris tractus 363

Ioh. 7. com. 17. 367
Ioh. 6. com. 65. 369
Sermones Chriſti de ovibus ſuis expenduntur 370
Socini ovium deſcriptio refellitur ibid. & ſeq.
Perſeverantia ovium Chriſti confirmatur 375
Locus Actor. 13. com. 48. 377 & ſeq.
Per doctrinam prædeſtinationis neceſſarium non eſt ut prædeſtinatus ſtatim audito verbo credat 378
Verba Lucæ de quotidianâ Euangelij prædicatione accipi poſſe 379
Per dogma prædeſtinationis non ſtatuitur Lucæ ſignificatum quinam reprobi, quinam electi 380
Per ſententiam de prædeſtinatione auctoritas ſalutaris hiſtoriæ non periclitatur 384
Senſus Socini varij ſuper hoc loco refelluntur 387 *& ſeq.*
Quodlibetorum ſcrinium 388
Nonum cap. ad Rom. 395 *& ſeq.*
1. *Pet. 2. cap. 2. com. 8.* 402

CAP. XIII.

DE *voce* προορίζειν *pag.* 427
Sententia Socini de prædeſtinatione redarguitur 428
Prædeſtinatio Socini eſt decretum de ferendâ aliquâ lege quam promiſſione æternæ vitæ ſanciret ibid.
Hallucinatio Socini de electione 431
Electio non eſt actus hominis qui eligitur ſed Dei eligentis 432

Electio

Electio Socino præceptis & promiſſis conſtat 432
Doctrina de perſeverantia adhortationis vim non infringit 439
Etſi Diabolus ſciret ſeductionem impoſſibilem, non tamen à ſeductione ſuperſederet 440
Locus Matth. 20. ubi de operariis vineæ à Domino conductis expenditur 442
De verbo vocatorum 445.
Teſtimonium 1. *Cor.* 1. *com.* 26. 445
Totam electionis rationem ex more diſciplinæ ſuæ in præcepta & promiſſa Euangelica reſolvit ibid.
Apoſtoli verba non ſonant de electo Euangelio 446
Gloſſa Socini refelluntur ibid.
Ad Rom. 8. *com.* 28. 447 & *ſeq.*
Multiplex in explicatione Socini error ibid.
De ſignificatione vocis propoſiti in argumento myſteriorum ſalutis 448
Deus non diligitur ante fidem & prædicatum Euangelium 450
1. *Joh. com.* 19. 451
Socini exceptio de eximiâ quadam dilectione 453
Exemplum Cornelij Centurionis 454
De notione vocis προέγνω 455
Paulum agere de prædeſtinatione ſecundum integram ſui rationem conceptâ 456
Glorificationem cum prædeſtinatione confundit noſter 458
Teſtimonia S. in quibus ſcriptionis in libro vitæ mentio fit 462
Deletio è libro vitæ ſignat etiam actum negativum 465

Certos quoſdam homines & ſingulares perſonas intelligi per ſcriptos in libro vitæ 466.
Nomen ſcriptum in libro vitæ non expungi 469

CAP. XIV.

EX vi hypotheſium quarundam Socini Deum nolle omnes & ſingulos ſalvos facere pag. 489
Exemplum Pharaonis 490
Dei providentiam non tantùm res ipſas ſed & rerum modos gubernare 491
Exemplum de Sichone rege 495
De filiis Heli ſacerdotis 1. Sam. 2. com. 25.
Exemplum Abſalom & Semei 496. 497.
Exemplum Davidis 2. Sam. 24. com. 1. 500
Verba tertiæ perſonæ non rarò imperſonaliter uſurpantur ibid.
Hoſ. cap. 8. com. 4. 502
De Juda Iſcoriota. 502.
Scriptum non docet duo decreta de proditione eſſe facta 504
Locus Judæ com. 4. examinatur 506
Deſcriptionem non eſſe revocabilem 508
Electio Apoſtoli Pauli ventilatur 511
Vocatio Pauli ad Apoſtolatum, ſimul vocatio fuit ad veram fidem ibid.
Exemplum Domini ac Servatoris Jeſu Chriſti 516
Contra Sc. aſſeritur in obedientiâ Chriſti non liberæ voluntatis ſed laborum & perpeſſionum tantùm habitam rationem 519.

CAP. XV.

HOmo per naturam non vergit in æternam mortem pag. 530
Æternam mortem neceſſario nomine deſignat Socinus 531
Juſtificatio forenſe verbũ actũ notat judicialẽ 534
Ex vi ſententiæ Socini nulla neceſſitas juſtificationis gratuitæ 536
Pugnantia Paulo condemnationi eſſe obnoxium & ex operibus legis velle juſtificari 537
Teſtimonia Salomonis 1. Reg. 8. 46. & 1. Johan. 1. 8- 10. excutitur 539
Renati ſine peccato non vivunt ibid.
Qui peccatum habeat ratione etiam præſentium peccatorum habent ibid.
Apoſtolum reſpicere ad delicta ſub ſtatu gratiæ & fidei commiſſa 540.

CAP. XVI.

IUſtitiam punitivam prorſus arbitrariam in Deo exiſtimat Socin. pag. 545
Fulcrum opinionis Socini quod peccata noſtra nihil aliud ſint quàm debita quædam ibid.
Magiſtratus non habent liberam poteſtatem in utendo vel non utendo gladio 546
Variæ notiones vocis injuriæ 545
Quando palinodiam petit actor agit actione ad vindictam tendente 546
Argumentum à ſimilitudine debiti deductum refellitur 550

Exceptio Crellij ad quandam Grotij rationem retunditur 551
Conſequens eſt dogmatis Socini debitum obedientiæ non eſſe neceſſarij juris 553
Neceſſitas pœnæ rationibus formatur 455 *& ſeq.*
De impreſſâ conſcientiæ vi 557
Inutilitas & infirmitas Levitici ſacerdotij pœnæ neceſſitatem arguit 559
Fides promittentis fallere poſſe videtur ubi nulla veracitas comminantis 561
Judicis officium à Deo inſeparabile 562
Principis eſt velle quod jubent leges 564
Scripturæ ſæpius Deum proponunt ut judicem in aliena causâ 564
Juſtitia vindicativa generali juſtitiæ nomine appellatur 565
Locus Rom. 2. *com.* 5. *ventilatur* 566
An juſtitia punitiva perpetua Dei qualitas ſit 568
Non rectè ſtatuitur Dei proprietates in omnibus ejus operibus reperiri 569
Divinarum proprietatum effectus non ſunt neceſſarij ibid.
Disparem eſſe juſtitiæ & miſericordiæ rationem 571

CAP. XVII.

QUid ſit generatim ſatisfactio exponitur 591
Remiſſionem peccatorum ſub V. F. ex mente Socini ab æternâ morte non liberaſſe 593
Patribus contingit ea remiſſio cujus vi æternam vitam adepti 594

Fides

Fides juſtificans recumbit in pactum gratiæ aut Patribus promiſſum aut Euangelio exhibitum 595
Efficacia mortis Chriſti ad ea etiam tempora extendenda quæ Chriſtum anteceſſerunt 598
Patribus juſtificatio redemtione Chriſti contigit ibid.
Duplex tantùm juſtificationis noſtræ coram Deo modus.
Crellij expoſitio comparationis Adami & Chriſti Rom. 5. com. 15-20 refellitur 599
Reſponſio ad objectionem Crellij 601
Locus Heb. 9. com. 15, examinatur 603
Quid per tranſgreſſiones ſub V Fœdere intelligendum ibid.
Objectio quædam Crelliana diſſolvitur 604
Hebr. 9. com. 25. fuſius examinatur, Socini & Crellij exceptiones variæ redarguuntur 605
Locus ad Rom. 3. com. 25. 26. expenditur 610
Pœnæ exactio non tollit liberalitatem 611
In adverſarium retorſio 613
In pœnis non quid amor jubeat ſed quid juſtitia præſcribat attenditur ibid.
Socinum non attuliſſe cauſas omnimodæ neceſſitatis mortis Chriſti 614
Cauſa expenditur propter quam pœnitentia & ſatisfactio ad invicem contraria videantur 618
Satisfactionem non ipſo facto liberare reum ab obligationis nexu 619
Cornutum Crellij argumentum 620
Parabola Matth. 28. com. 23. 622
An vox χαρίζεσθαι verum ſatisfactionem excludat 624

Res quæ ſunt ex uſu Dei id ſunt ex Dei decernentis arbitrio 625
Deus non determinatur ab æquitate ad id accipiendum quòd æquè utile atq; commodum quam id quod eſt in obligatione 626
Satisfactionem duplicem Dei liberalitatem non tollere 627

CAP. XVIII.

Modi ſatisfactionis non ſunt contradictorij pag. 650
Pœnam corporalem poſſe pro alio ſolvi 652
Legem Moſaicam ferre ſubſtitutionem 656
Deutr. 24. *com.*16. *Ezech* 18 4-20 *examinantur* 657
Factum unius alterius fieri poſſe 660
Mortis ſatisfactio ſupervacuam non facit ad peccata delenda reſurrectionem 663
In pœnis rationem ordinis & dignitatis habere jure Romano & aliorum quoque moribus receptum 671 *& ſeq.*
An leges Moſaicæ nullam ullius dignitatis rationem habuerint 674
Argumentum à dignitate perſonæ ductum defenditur 976
Obedientiæ perfectiſſimæ valor ex dignitate perſonæ accedere poteſt 685
Duobus legi parentibus alter altero plus præſtare poteſt 686

CAP. XIX.

PRopriam ἀπολυτρώσεως ſignificationem in hoc argumento redemtionis retinendam eſſe pag. 711
De redemtione Moſaicâ 712 & ſeq.
Chriſti ſanguine ex Dei manu redemti ſumus & Dei facti 716
Deus negotio redemtionis perſonam acquirentis & alienantis ſuſtinet 717
Pretium oblatum Deo & à Deo receptum 719
Firmatur argumentis ibid.
Prov. 13. com. 8. fuſius expenditur 720
Pretium redemtionis noſtræ verum pretium eſſe multis docetur 723.
Firmamenta ſententiæ Socini 724
Teſtimonium Pauli Gal. 3-13 ventilatur 728
Rom. 3. com. 24. 25. 730
Heb. 9. 11. 12. 736
1. Tim. 2-6. ibid.
Reſurrectionem potius pretium dicendum in ſententiâ Socini 739
Socini ſolutiones diſcutiuntur ibid.

CAP. XX.

MUlto ſemper circuitu negotium noſtræ per Chriſtum ſalutis involuit 759
Ex mente Prælectoris nihil prohibet dicere nos propter peccata noſtra aliquando excitandos ibid.
Propter naturam ut à Deo creatam Chriſtum eſſe mortuum 760

Propter

Propter naturam ut à Deo creatam Chriſtum eſſe mortuum 760
Dictio propter cauſam ſemper ſignificat meritoriam peccato & perpeſſionibus juncta 761
Exemplum Davidis 1. *Sam.* 12- 10. *&c.* 762
De voculâ Hebræa Min *Eſai.* 53. 763
Vocem pro peccato & paſſionibus conjunctam ſenſum ſemper habere cauſæ efficientis impulſivæ 764
Chriſtum in locum noſtrum ſubrogatum eſſe 765
Objectiones Crellij in contrarium diſcutiuntur ib. & ſeq.
Heb. 2-9-10. 770
1. *Pet.* 2. *com.* 20. 772
Johan. 11. *com.* 49. 50. 774
Johan. 10. *com.* 11-15. 776
Rom. 5. *com.* 6-7. 8- 778
2. *Cor.* 5. 14. 15. 779

Cap. XXI.

Phraſin illam portare ſeu ferre peccatũ in ſignificatione propriâ Eſai. 53 *accipiendam* 799
Vox habet propriè accipienda ibid. & ſeq.
Matth. cap. 8. *com.* 16. 17. 801
Hiſtoria de paralytico Matth. 9. 6. *Luc.* 5. 24. *Marc.* 2- 10. 806
Actualis pœnæ temporalis ablatio malè remiſſio peccatorum definitur 807
Chriſtum dum in terris ageret virtutem habuiſſe æternam vitam conferendi ibid.
Quid verba illa in terrâ in prædictis teſtimoniis operentur 811

De

De hirco emiſſario 812

Ex eo quod Chriſtus pœnas peccatorum noſtrorum exolvit, ſequi eum velle nos peccato mori 816

De verbis illis caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum & in livore ejus medicatum eſt nobis 817 *& ſeq.*

2. *Cor.* 8. *com.* 9. 819

1. *Pet.* 2. *com.* 24. *ibid.*

In corpore quid notet 822

Urgentur locutiones illæ Chriſtum pertuliſſe & ſuſtinuiße peccata noſtra & Deum feciße incurrere in ipſum iniquitates omnium noſtrum 825

Chriſtum omnium peccatorum pœnas tuliße 858

Cap. XXII.

T*Ypi & umbræ magis & minus recipiunt* 844

Omnia ſacrificia expiatoria umbræ fuerunt 845

Crellij inanis exceptio 846

Quid ſit per Chriſtum ſacrificia noſtra offerre 849

Deo dari non poſſe quod eſt ejus, congruenter ſententiæ ſuæ non dicit 852

An in re adumbrante ſemper aliquid ejuſdem generis cum eo quod in re adumbrata 853

Probatur quod non ibid.

Ad debitam typi & antitypi relationem ſufficit ſimilitudo quædam 854

De verbo Hebræo Caphar 855

An pro omnibus peccatis ſacrificia expiatoria oblata fuerint 862

Heb. 5. *com.* 2. *Heb.* 9. *com.* 6. 864

Argumentum quoddã adverſarij retunditur 867

Cap. XXIII.

AD oblationem victimarum legalium non conſecuta expiatio vera 881
Tantùm ad carnis puritatem ſanctificarunt ibid.
Christi mors vim habet quam legales victimæ non habuerunt 883
Expiationem ſacrificij Christi non eſſe expiationis declarationem 884 & ſeq.
Per victimas antiquas conſcientiæ non expiatæ 888
Purgatio vera à peccatis & eorundem pœnis eſt naturæ indiviſibilis 890
Actor. 13. com 38. 39. ibid.
De dicto illo Galat. 3. com. 10- 11. maledictus qui non permanet in omnibus 891

Cap. XXIV.

HEb. 9. com. 25. 907
Oblationem in lege ipsâ mactatione aliquando peractum 908
Mortem Christi non tantùm cum pecudum mactatione verùm etiam cum ritu oblationis mactationem conſecuto comparandam ibid.
Eductioni animalis Christi eductio reſpondet ibid.
Oblatio anniverſaria Pontificis extra ſancta ſanctorum abſolvebatur 909
Non omne id quod in ſacrificiis Leviticis ſtatim ad Christi ſacrificium referendum ibid.
Jacob. 2. com. 21. de oblatione Abrahami 910

Apoſto-

Apoſtolum ad Heb. non ſcripſiſſe Christum adhuc in cœlis offerre 911
Heb. 8. *com.* 1. *ibid.*
Teſtimonium Pauli Eph. 5. *com.* 2. *prolixe tractatur & adverſariorum gloſſis vindicatur* 913 *& ſeq.*
Hieronymi ſententia 918
Crellij quædam arguta exceptio diſſolvitur 919
Mactatio victimæ & ejuſdem oblatio in uno & eodem actu concurrere poſſunt 920
Heb. 9. *com.* 14. 921
Apoſtolum generatim de omnibus & quibuſlibet peccatis loqui Heb. 10. *com.* 2. 3. 922
Si id in victimis legis quod illis tribuit Socin. cauſa illi non videtur aliquid in illis deſiderandi 923
Expiationem perperam declarat Prælector 925
Defenſio D. Bezæ 926.

CAP. XXV.

Difficultas gemina Socini 939
Ex eo quod eſt peccatorum remiſſio, colligit Apoſtolus nullam amplius pro peccato oblationem eſſe ibid.
Immortalitatis & ſupremæ poteſtatis collatio, Chriſti oblatio non eſt 941
Munus ſacerdotale cum regiâ poteſtate contra Scr. authoritatem confunditur 942 *& ſeq.*
Gratia regenerationis non eſt in externâ doctrinâ 945
Joh. 1. *com.* 29. *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi* 946

Hoc dicto ad legis ſacrificia expiatoria reſpici 947
In expiatoriis legis ſacrificiis agnus vel aries immolabatur 948
Varij tolendorum peccatorum modi Socin. 951
Heb. 9. *com.* 13. 14. 953
Apoc. 1. *v.* 5. 1. *Cor.* 6. *com.* 11. 954

Cap. XXVI.

QValis ſit regenerationis ratio 968 *& ſeq.*
Carnis ſpiritui reluctantis vim omnes renati in ſe experiuntur ibid.
Peccato adhuc obnoxij quadantenus renati ibid.
Poſteriora 7. *cap. ad Rom. expenduntur* 971 *& ſeq.*
Sanctimonia hominis Chriſtiani non ſolo ſtudio ſed ipſo etiam actu & opere definitur ibid.
Cyprianus Macarius Auguſtin. de ſtatu regenitorum ibid.
Malum quod de homine illo ad Rom. 7. *prædicatur non æquè concludit hominem illum irregenitum eſſe, ut bonum de illo prædicatum, regeneratum ibid.*
Non agi hîc de homine qui non ſub gratiâ ibid.
Quæ cauſa imbecillitatis legis Socino ibid.
Promiſſionem æternæ vitæ non eſſe ſpiritum regerationis 975
Argumentum Socini pro poſſibili perfectione diſcutitur 976

Cap. XXVII.

DE interpretatione vocis caphar à vetere interprete redditâ per verbum rogandi 998

Non

Non eſt evidens verbum expiandi in notione declarationis oblationi ſacerdotes tribui non poſſe 999
Levitic. 10. *com.* 17. 1000
Heb. 1. *com.* 3. 10001

Cap. XVIII.

Chriſti interceſſio reſpondet oblationi Pontificis in ſacrario 1013
Secundum dogma ſatisfactionis ingreſſus in cælum ad expiationem peragendam non ſupervacuus ibid.
Quæcunque facta expiandis peccatis ea non homines ſed Deum ipſum reſpicere 1015
Sophiſma Socini detegitur 1016
Heb. 2. 17. 18. *ibid.*
Chriſtus ratione mortis ἱλασμὸς 1017
Rom. 8. *com.* 34. 1018
Rom. 4. 25. *ibid.*
Axioma illud ubi expiatio fit, ibi oblationem quoque fieri neceſſe, eſt ambiguum 1019
Oblatio non durat uſq; ad ultimum judicij diem ib.
Crellij de hac re ſententiâ ibid. & ſeq.

Cap. XXIX.

Sententia Socini non requirit ut Servator ſine peccato ſit 1035
Periculoſam eſſe locutionem Chriſtum pro ſeipſo obtuliſſe 1036
Etſi à morte crucis Chriſtus non liberatus, precatio tamen ejus exaudita 1038

Exceptio Crellij ad quandam Grotij rationem retunditur 551
Conſequens eſt dogmatis Socini debitum obedientiæ non eſſe neceſſarij juris 553
Neceſſitas pœnæ rationibus firmatur 455 *& ſeq.*
De impreſſâ conſcientiæ vi 557
Inutilitas & infirmitas Levitici ſacerdotij pœnæ neceſſitatem arguit 559
Fides promittentis fallere poſſe videtur ubi nulla veracitas comminantis 561
Judicis officium à Deo inſeparabile 562
Principis eſt velle quod jubent leges 564
Scripturæ ſæpius Deum proponunt ut judicem in aliena causâ 564
Juſtitia vindicativa generali juſtitiæ nomine appellatur 565
Locus Rom. 2. com. 5. ventilatur 566
An juſtitia punitiva perpetua Dei qualitas ſit 568
Non rectè ſtatuitur Dei proprietates in omnibus ejus operibus reperiri 569
Divinarum proprietatum effectus non ſunt neceſſarij ibid.
Diſparem eſſe juſtitiæ & miſericordiæ rationem 571

CAP. XVII.

QUid ſit generatim ſatisfactio exponitur 591
Remiſſionem peccatorum ſub V F. ex mente Socini ab æternâ morte non liberaſſe 593
Patribus contingit ea remiſſio cujus vi æternam vitam adepti 594

Fides

Fides juſtificans recumbit in pactum gratiæ aut Patribus promiſſum aut Euangelio exhibitum 595

Efficacia mortis Chriſti ad ea etiam tempora extendenda quæ Chriſtum anteceſſerunt 598

Patribus juſtificatio redemtione Chriſti contigit ibid.

Duplex tantùm juſtificationis noſtræ coram Deo modus.

Crellij expoſitio comparationis Adami & Chriſti Rom. 5. com. 15-20 refellitur 599

Reſponſio ad objectionem Crellij 601

Locus Heb. 9. com. 15, examinatur 603

Quid per tranſgreſſiones ſub V Fœdere intelligendum ibid.

Objectio quædam Crelliana diſſolvitur 604

Hebr. 9. com. 25. fuſius examinatur, Socini & Crellij exceptiones variæ redarguuntur 605

Locus ad Rom. 3. com. 25. 26. expenditur 610

Pœnæ exactio non tollit liberalitatem 611

In adverſarium retorſio 613

In pœnis non quid amor jubeat ſed quid juſtitia præſcribat attenditur ibid.

Socinum non attuliſſe cauſas omnimodæ neceſſitatis mortis Chriſti 614

Cauſa expenditur propter quam pœnitentia & ſatisfactio ad invicem contraria videantur 618

Satisfactionem non ipſo facto liberare reum ab obligationis nexu 619

Cornutum Crellij argumentum 620

Parabola Matth. 28. com. 23. 622

An vox χαρίζεσθαι verum ſatisfactionem excludat 624

Res quæ ſunt ex uſu Dei id ſunt ex Dei decernentis arbitrio 625
Deus non determinatur ab æquitate ad id accipiendum quòd æquè utile atq; commodum quam id quod eſt in obligatione 626
Satisfactionem duplicem Dei liberalitatem non tollere 627

CAP. XVIII.

Modi ſatisfactionis non ſunt contradictorij pag. 650
Pœnam corporalem poſſe pro alio ſolvi 652
Legem Moſaicam ferre ſubſtitutionem 656
Deutr. 24. com. 16. Ezech 18 4- 20 examinantur 657
Factum unius alterius fieri poſſe 660
Mortis ſatisfactio ſupervacuam non facit ad peccata delenda reſurrectionem 663
In pœnis rationem ordinis & dignitatis habere jure Romano & aliorum quoque moribus receptum 671 & ſeq.
An leges Moſaicæ nullam ullius dignitatis rationem habuerint 674
Argumentum à dignitate perſonæ ductum defenditur 976
Obedientiæ perfectiſſimæ valor ex dignitate perſonæ accedere poteſt 685
Duobus legi parentibus alter altero plus præſtare poteſt 686

CAP.

Cap. XIX.

PRopriam ἀπολυτρώσεως ſignificationem in hoc argumento redemtionis retinendam eſſe pag. 711
De redemtione Moſaicâ 712 & ſeq.
Chriſti ſanguine ex Dei manu redemti ſumus & Dei facti 716
Deus negotio redemtionis perſonam acquirentis & alienantis ſuſtinet 717
Pretium oblatum Deo & à Deo receptum 719
Firmatur argumentis ibid.
Prov. 13. com. 8. fuſius expenditur 720
Pretium redemtionis noſtræ verum pretium eſſe multis docetur 723.
Firmamenta ſententiæ Socini 724
Teſtimonium Pauli Gal. 3-13 ventilatur 728
Rom. 3. com. 24. 25. 730
Heb. 9. 11. 12. 736
1. Tim. 2-6. ibid.
Reſurrectionem potius pretium dicendum in ſententiâ Socini 739
Socini ſolutiones diſcutiuntur ibid.

Cap. XX.

MUlto ſemper circuitu negotium noſtræ per Chriſtum ſalutis involuit 759
Ex mente Prælectoris nihil prohibet dicere nos propter peccata noſtra aliquando excitandos ibid.
Propter naturam ut à Deo creatam Chriſtum eſſe mortuum 760

Propter naturam ut à Deo creatam Chriſtum eſſe mortuum 760
Dictio propter cauſam ſemper ſignificat meritoriam peccato & perpeſſionibus juncta 761
Exemplum Davidis 1. *Sam.* 12- 10. *&c.* 762
De voculâ Hebræa Min *Eſai.* 53. 763
Vocem pro peccato & paſſionibus conjunctam ſenſum ſemper habere cauſæ efficientis impulſivæ 764
Chriſtum in locum noſtrum ſubrogatum eſſe 765
Objectiones Crellij in contrarium diſcutiuntur ib. & ſeq.
Heb. 2-9- 10. 770
1. *Pet.* 2. *com.* 20. 772
Johan. 11. *com.* 49. 50. 774
Johan. 10. *com.* 11- 15. 776
Rom. 5. *com.* 6- 7. 8- 778
2. *Cor.* 5. 14. 15. 779

CAP. XXI.

Phraſin illam portare ſeu ferre peccatũ in ſignificatione propriâ Eſai. 53 *accipiendam* 799
Vox habet propriè accipienda ibid. & ſeq.
Matth. cap. 8. *com.* 16. 17. 801
Hiſtoria de paralytico Matth. 9. 6. *Luc.* 5. 24. *Marc.* 2- 10. 806
Actualis pœnæ temporalis ablatio malè remiſſio peccatorum definitur 807
Chriſtum dum in terris ageret virtutem habuiſſe æternam vitam conferendi ibid.
Quid verba illa in terrâ in prædictis teſtimoniis operentur 811

Di

De hirco emiſſario 812
Ex eo quod Chriſtus pœnas peccatorum noſtrorum exolvit, ſequi eum velle nos peccato mori 816
De verbis illis caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum & in livore ejus medica tum eſt nobis 817 *& ſeq.*
2. *Cor.* 8. *com.* 9. 819
1. *Pet.* 2. *com.* 24. *ibid.*
In corpore quid notet 822
Urgentur locutiones illæ Chriſtum pertuliſſe & ſuſtinuiſſe peccata noſtra & Deum feciſſe incurrere in ipſum iniquitates omnium noſtrum 825
Chriſtum omnium peccatorum pœnas tuliſſe 858

CAP. XXII.

T*Ypi & umbræ magis & minus recipiunt* 844
Omnia ſacrificia expiatoria umbræ fuerunt 845
Crellij inanis exceptio 846
Quid ſit per Chriſtum ſacrificia noſtra offerre 849
Deo dari non poſſe quod eſt ejus, congruenter ſententiæ ſuæ non dicit 852
An in re adumbrante ſemper aliquid ejuſdem generis cum eo quod in re adumbrata 853
Probatur quod non ibid.
Ad debitam typi & antitypi relationem ſufficit ſimilitudo quædam 854
De verbo Hebræo Caphar 855
An pro omnibus peccatis ſacrificia expiatoria oblata fuerint 862
Heb. 5. *com.* 2. *Heb.* 9. *com.* 6. 864
Argumentum quoddã adverſarij retunditur 867

Cap. XXIII.

AD oblationem victimarum legalium non conſecuta expiatio vera 881
Tantùm ad carnis puritatem ſanctificarunt ibid.
Chriſti mors vim habet quam legales victimæ non habuerunt 883
Expiationem ſacrificij Chriſti non eſſe expiationis declarationem 884 & ſeq.
Per victimas antiquas conſcientiæ non expiatæ 888
Purgatio vera à peccatis & eorundem pœnis eſt naturæ indiviſibilis 890
Actor. 13. com 38. 39. ibid.
De dicto illo Galat. 3. com. 10- 11. maledictus qui non permanet in omnibus 891

Cap. XXIV.

HEb. 9. com. 25. 907
Oblationem in lege ipsâ mactatione aliquando peractum 908
Mortem Chriſti non tantùm cum pecudum mactatione verùm etiam cum ritu oblationis mactationem conſecuto comparandam ibid.
Eductioni animalis Chriſti eductio reſpondet ibid.
Oblatio anniverſaria Pontificis extra ſancta ſanctorum abſolvebatur 909
Non omne id quod in ſacrificiis Leviticis ſtatim ad Chriſti ſacrificium referendum ibid.
Jacob. 2. com. 21. de oblatione Abrahami 910

Apoſto-

Apoſtolum ad Heb. non ſcripſiſſe Chriſtum adhuc in cœlis offerre 911
Heb. 8. *com.* 1. *ibid.*
Teſtimonium Pauli Eph. 5. *com.* 2. *prolixe tractatur & adverſariorum gloſſis vindicatur* 913 *& ſeq.*
Hieronymi ſententia 918
Crellij quædam arguta exceptio diſſolvitur 919
Mactatio victimæ & ejuſdem oblatio in uno & eodem actu concurrere poſſunt 920
Heb. 9. *com.* 14. 921
Apoſtolum generatim de omnibus & quibuſlibet peccatis loqui Heb. 10. *com.* 2. 3. 922
Si id in victimis legis quod illis tribuit Socin. cauſa illi non videtur aliquid in illis deſiderandi 923
Expiationem perperam declarat Prælector 925
Defenſio D. Bezæ 926.

CAP. XXV.

D*Ifficultas gemina Socini* 939
Ex eo quod eſt peccatorum remiſſio, colligit Apoſtolus nullam amplius pro peccato oblationem eſſe ibid.
Immortalitatis & ſupremæ poteſtatis collatio, Chriſti oblatio non eſt 941
Munus ſacerdotale cum regiâ poteſtate contra Scr. authoritatem confunditur 942 *& ſeq.*
Gratia regenerationis non eſt in externâ doctrinâ 945
Joh. 1. *com.* 29. *Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi* 946

Hoc dicto ad legis ſacrificia expiatoria reſpici 947
In expiatoriis legis ſacrificiis agnus vel aries immolabatur 948
Varij tolendorum peccatorum modi Socin. 951
Heb. 9. *com.* 13. 14. 953
Apoc. 1. *v.* 5. 1. *Cor.* 6. *com.* 11. 954

Cap. XXVI.

Qualis ſit regenerationis ratio 968 *& ſeq.*
Carnis ſpiritui reluctantis vim omnes renati in ſe experiuntur ibid.
Peccato adhuc obnoxij quadantenus renati ibid.
Poſteriora 7. *cap. ad Rom. expenduntur* 971 *& ſeq.*
Sanctimonia hominis Chriſtiani non ſolo ſtudio ſed ipſo etiam actu & opere definitur ibid.
Cyprianus Macarius Auguſtin. de ſtatu regenitorum ibid.
Malum quod de homine illo ad Rom. 7. *prædicatur non æquè concludit hominem illum irregenitum eſſe, ut bonum de illo prædicatum, regeneratum ibid.*
Non agi hîc de homine qui non ſub gratiâ ibid.
Quæ cauſa imbecillitatis legis Socino ibid.
Promiſſionem æternæ vitæ non eſſe ſpiritum regerationis 975
Argumentum Socini pro poſſibili perfectione diſcutitur 976

Cap. XXVII.

De interpretatione vocis caphar à vetere interprete redditâ per verbum rogandi 998

Non

Non eſt evidens verbum expiandi in notione declarationis oblationi ſacerdotes tribui non poſſe 999
Levitic. 10. *com.* 17. 1000
Heb. 1. *com.* 3. 10001

Cap. XVIII.

Chriſti interceſſio reſpondet oblationi Pontificis in ſacrario 1013
Secundum dogma ſatisfactionis ingreſſus in cælum ad expiationem peragendam non ſupervacuus ibid.
Quacunque facta expiandis peccatis ea non homines ſed Deum ipſum reſpicere 1015
Sophiſma Socini detegitur 1016
Heb. 2. 17. 18. *ibid.*
Chriſtus ratione mortis ἱλασμὸς 1017
Rom. 8. *com.* 34. 1018
Rom. 4. 25. *ibid.*
Axioma illud ubi expiatio fit, ibi oblationem quoque fieri neceſſe, eſt ambiguum 1019
Oblatio non durat uſq; ad ultimum judicij diem ib.
Crellij de hac re ſententiâ ibid. & ſeq.

Cap. XXIX.

Sententia Socini non requirit ut Servator ſine peccato ſit 1035
Periculoſam eſſe locutionem Chriſtum pro ſeipſo obtuliſſe 1036
Etſi à morte crucis Chriſtus non liberatus, precatio tamen ejus exaudita 1038

Heb. 5 com. 7 ibid.
Mat. 26 com. 39 & 5 ibid.
Calix eſt mors crucis ibid. & ſeq.
Adverſarij objectio pro oblatione quam Chriſtus pro ſeipſo fecerit diſſolvitur 1041
Afflictiones Chriſti peccata dici non poſſe, ſi in Chriſto pœnæ non fuerint 1042
Quicquid Chriſtus morte ſuâ fuit noſtri ratione fuit ibid.
Ex placito Socini evincitur Chriſtum in terris ſacerdotem fuiſſe 1044

FINIS.

ERRATA.

Prior numerus Paginam, ſecundus lineam denotat.

IN carmine lege, Ilicet.p.5.lin.19.naturâ.8.2.jam. 11.14. χοϊκὸν.15.33.rurſus. 30.32. multos.39.21. δόχημα.41.32.Lopez.42.5.ejus.51.12.numinis. 59. 9.enim.64.29.ſic.68.5. efficietur.82. 5. cõmunionē.87.23.amuſſim.97.15.propterea.118.14.judicia. ibid.15.nulla.123.23.donec. 125. 18. jam.126.7. εἰκάζει.132.13.Ariſtarchus.158.32.gratà.161.5.coparum.165.15. temporis.178.12. minimis.202. 20. certò. 204. 12. præſciri. 214. 6.prædicere. 229.7. certò.230.22. inerat.231. 30.prævidebat.232. 27. parainetas.240.29.oſtenderim.246.4. ſeceſſione. 254.3. certitudinis.ibid. prævius. 260.7. claudicat. 280.22.iri.301.1.quidem.302. negationis rationes. 304.7.quæcunque. 310.13. faces. 314. 20. illuminando.316.8. tantummodo. 318. 16. abjectè.319. 4. ἀνάρμοστα. 331. erratum in notis numeralibus. 336.11.prætereo.337.6. bonos.339.17.malè.341. 12. abſolvam.345.28. non. 349. 30. catanea. 350. 1. Soto.ibid.26. Theſ.7.351.26.ἰσόῤῥοπον, 352.14. perſpicuè.361.4. judiciis.367. 4. occaſum. 368. 7. concipiendam. ibid.24.25. ſed rationibus id quod quæritur cõfirmemus.ibid.26.eò credo.375.21.ſolicitatis ad apoſtaſiam. 378.14. receptam. 383. 16. πολυλογία. 384.7. arcanum reprobationis.387. 10. palpans.418.23.concinnitati.441.5.propterea.449 13. argumento.470.29. cadit.488.11. ſus. ibid.12. olitor.489. 4. ſuppetunt. 491.30. meliùs. 495. 17. incubuit.499.32. proaireticam.500.9.quas.503.11. infero.513.8. Ægyptiorum. 516.28.neq;.517.29. implicaret. 521.14. minuſue. 526. 21.intueri.528. 13. ejus.ibid.14.mentio.534.22.relegetur.548.16. vitæ.ibid.21. reſtitueret.ibid.25. & 26. l. quod ſenatus conſultum 6. l.prætor.7.§ 1.pag.545.5.decet tantæ majeſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus videtur. §. ultimo Inſtitut. quibus modis.550.

45.cuijus.551.8.cedere.552.12.ac juſtitia.ibid.21.
juſtitia.560.15.pereant.565.28.hoc eſt judicis tam
eſt.565.4.conſonant.570.18.21.tertium eſt,quam-
quam ſapientia, ὕστερον πρότερον poſita.581.32.obtin-
gere.595.7.verè. ibid.33. meminerit.603.26.ἀπο-
λύτρωσις. 613.9. charus eſt.620.5.hîc.ibid.7. dele-
gationẽ.ibid.4.procurator.ibid.16.dum.621.9.verè
634.6.quot.673.17. in Licinio.676. 2.ei.677. 11.
gloria.709.21.verbum padah aut.715.11.nos. 717.
15. de reſponſione. 717.27. Redemtorem.723.6.
detineatur.725.25.Zelo.732.14.per redemtionẽ.
ibid.16.vindicata.736.24. à ſanis.738. 1. ſaluabo.
761.26.quare.ibid.30. Script.769.33. num. 795.
24.injuriarum.799. 17. jumenta. 801.22. quoq;.
805.1.refertur.811.14.aut redundat.813.4. hircus.
814.10.pagãg.815.26.tam ergo hic effectus.821.
12. reſpondere hæc.ibid.22. ἐντεῦθεν.823.24.allatâ.
827.6. nego.842.22.in.850.27.interpretatur.851.
3. an ſuperfluum.857. 14. ἔξω. 861. 25. Majemoni-
des.864. 12.aut inde. 866.21. anniverſariâ. 867.
11.quam.883.3.Chriſti.ibid.5.oblatione. 886.25.
præbet.887.27. emundaturus.888.12. Halacham.
891.24.percuti.ibid.30.manet.892.13. patet. 916.
3.quam.919.3.acceptabilis.920.3.Schelamim.925
5. præcipua.ibid.10.facta fuiſſet.941.11.ait.948.7.
Petrus.949.33. aut non abſtulit. 951.19. res. 954.
18. poni.1036.Oſtorod.Cap.XXXII. inſtitut. Ger-
manic. ſect.4. 1037. 18. ſuadetur. ibid.22.peccati.
1039.24. arbitratur.1041.14..eam.ibid.33.id.

Sunt complura alia peccata, Lector benevolus per ſe corrigat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10-3-2

Digitized by Google